ELEMENTA

IURIS ECCLESIASTICI

PUBLICI ET PRIVATI

AUCTORE
DANTE Maria MUNERATI S. S.
SACRAE THEOLOGIAE UTRIUSQUE IURIS DOCTORE
EX ALMO PARMENSI THEOL. COLLEGIO

AUGUSTAE TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA SALESIANA
MCMIII

For Fr
M

Parma, 1903 - Tip. Ditta Fiaccadori (Scuola tip. salesiana).

PRAEFATIO

Rev.mo D. Francisco Cerruti

Moderatori summo studiorum in Pia Societate Salesiana

Iuris canonici Elementa lingua italica nuper exarata, grato animo nunc latino sermone induta dedico Tibi qui ut illis navarem Auctor fuisti.

Mentem quae in eis concinnandis mihi fuit, probe nosti, Pater, consilium scilicet hoc unum: clericorum iuvenilia ingenia scientia iuris imbuere atque amorem fovere erga matrem nostram Ecclesiam quae ut perfectissima Societas legibus vivit, ac legum observatione nutritur.

Quoad methodum nil innovandum duxi quia satis rationalis mihi videtur divisio in alia editione iam proposita, qua ad ordinem rerum respicitur ita scilicet ut ad invicem connectantur atque altera ab altera derivetur. In primis igitur ad studium isagogicum canonum operam impendi ut legitimi ab illegitimis discerni possint; canones enim sunt leges Ecclesiae, et in quavis societate leges sunt vere tales si legitimo ex fonte dimanant. Quum vero legitimus fons sit potestas legifera eiusdem societatis, ita liber primus inscribitur « De iure publico » *quod est ut fundamentum tum in administratione et organizatione Ecclesiae, quatenus definit quae et quanta sit haec potestas, eiusque subiectum determinat ; tum*

in scientia iuris privati seu canonici, *cuius proprium est de illius potestatis exercitio agere. Et de hoc disseritur in libro secundo iuxta usitatam apud scriptores partitionem:* De personis, de rebus, de iudiciis.

Opus et extensione et intensione valde imperfectum et plenam tractationem materiae haud complectitur; nam quod attinet ad res quae strictam habent rationem cum Theologia morali, studiosos iuris remittendos censui ad morales theologos et praesertim ad cl. Collegam et Magistrum meum dulcissimum Th. A. Piscetta qui « Elementa Theologiae Moralis » optime tradidit.

Hac in altera editione mihi studendum fuit: a) *ut fusius tractarem ea quae scitu utiliora sentio et coetui clericali generatim et nominatim tyronibus nostris;* b) *ut aliquas quaestiunculas evolverem quae alias leviter attigi, in limitibus tamen statutae brevitatis;* c) *ut expolirem et emendarem quae inepta vel minus recta criticis visa sunt;* d) *ut totum textum notis magis locupletarer excerptis ex probatis Auctoribus quos me peritiores duces alumnis proposui, ut illos sequantur in acri ac impenso studio SS. Canonum.*

Ad opus absolvendum Tractatibus usus sum recentiorum et celeberrimorum Canonistarum quos liberalitate clarissimi viri, cui publice maximas gratias ago, in promptu semper habui.

Et nunc, Rev.me Pater, opellam hanc qualemcumque offero Tibi, ut tua auctoritate suffulta, aliquam praesertim nostris, utilitatem afferat, quod erat in votis.

Dabam Parmae, Kal. Dec. an. MCMIII

Addict.mus Obseq.mus

SAC. DANTES MUNERATI.

PROLEGOMENA

1. De notione iuris.

Ius (1) considerari potest *subiective, obiective* et ut *scientia.*

Subiective sumptum ponitur in Digesto: « Facultas aliquid disponendi » moralis scilicet potestas inviolabilis seu irrefragabilis aliquid agendi, vel omittendi, vel praestandi, aut obligandi alterum ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum (2).

Obiective nihil aliud est quam ipsa lex vel collectio legum (3).

Si autem *ad significandam scientiam* traducitur, definiri potest: « Cognitio per causas legum quibus societas aliqua ordinatur ut et conservari et finem suum assequi va

(1) De etymologia hujus vocabuli, non concordant DD. Alii idem esse dicunt ac *iussum* adeoque, sub hoc respectu, primigenium. Cfr. *Suarez,* De legibus lib. I, c. 2, nn. 4-8. Alii a *iuvando* vel a *iusto* vel a *iustitia* derivant. Cfr. *Ulpianum,* fr. I, D. De iustitia et iure ; *Maschat,* Inst. can. lib. I, tit. I; *Pottier,* De iure et iustitia, diss. I ; *Sanguineti,* Inst. Iur. Eccl. Priv. pars altera, sect. I.

(2) Et a *Suarez,* l. c. § 4: « Facultas moralis quam unusquisque habet vel circa rem suam aut sibi debitam ».

(3) Ius, ait *Zallinger,* Inst. iur. eccl. publ. § 12, pro lege atque obligatione sumitur, imo saepe pro complexione legum atque systemate: saepe designat sententiam a iudice pronunciatam, aut ipsum locum seu forum quo causae agitantur. Cfr. etiam *Aichner,* Compendium iur. eccl., editio nova accomodata a *Theod. Friedle.*

leat » (1). Dicitur *per causas*, ita enim leges seu jussa cognosci debent, ut eorum habitudo inter se et ad finem dignoscatur, i. e. non ab invicem disiunctae, sed inter sese coherentes maxime in ordine ad finem (2).

2. De iuris divisione.

Ius, in senso obiectivo, dividitur in *naturale* et *positivum*.

Naturale dicitur, latius, ius quod in ipsa rerum natura fundatur; strictius definitur: « Complexio obligationum necessario a voluntate divina homini impositarum » (3).

Ex iure naturali profluit *ius gentium* quod est « complexus legum quibus mutuae inter populos relationes reguntur » (4).

Positivum quod ex libera voluntate alicuius legislatoris pendet et vim obtinet. Positivum potest esse *divinum* et *humanum* prout a Deo vel ab homine in auctoritate constituto procedit. Humanum autem subdistinguitur in *ius civile* et *ecclesiasticum*.

(1) Cfr. *Tarquini*, Iur. eccl. publ. Inst. § 1. Et iam *Iustinianus*, § Iurisprudentia, Inst. De iust. et iure, ex *Ulpiano*, fr. X, ib.: « Iurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia ».

(2) Cfr. P. *M. De-Luca*, S. I. Inst. iuris eccl. publ. iuxta methodum Card. *Tarquini*.

(3) Cfr. *Bouix*, De princip. iuris can. § 1, n. 6. In decreto *Gratiani*, can. 7, dist. I, ius naturale dicitur « illud quod est commune omnium nationum eo quod ubique instinctu naturae non constitutione aliqua habetur ». *Aristoteles*, 5 Eth., c. 7, illud describebat « quod ubique eamdem vim habet ». *S. Thomas*, in IV sent., dist. 33, art. 1: « Naturalis conceptio omni homini indita, qua dirigitur ad operandum convenienter ».

(4) A *Reiffenstuel*, Ius can. iuxta tit. etc. Proemium, § 2, n. 30, ius gentium definitur: « Ius quo omnes gentes vel ferme omnes utuntur »; et iuxta *Iustinianum*, § I, Inst. De iure naturali gentium et civili: « Ius quod naturalis ratio inter omnes constituit ».

Alii autem ius gentium distinguunt in *proprium* quod inter gentes qua tale receptum est cum obligatione mutua; et *improprium*

Ius civile est ius positivum auctoritate principis vel magistratus saecularis conditum et ad rectam reipublicae civilis gubernationem, pacem et salutem temporalem civium promovendam et conservandam, immediate ordinatum (1).

quod citra obligationem mutuam. Cfr. *Pichler*, Ius can. Proleg. n. 17. A *S. Thom.* 2, 2, q. LVII n. 2, ius gentium refertur sub uno respectu ad ius positivum, sub alio ad ius naturale.

(1) A *Gaio*, fr. IX. D. De iust. et iur., ius civile dicitur « quod quisque populus ipse sibi constituit » et ab *Ulpiano*, fr. VI ib. « quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit ». Iuxta autem *Schmalzgrueber*, Ius Eccl. Univ. Diss. proem. § 6, n. 146, ius civile proprie accipitur pro iure positivo quod expresso legislatoris consensu pro certa republica in ordine ad finem temporalem ordinatum est.

Ius civile improprie et per antonomasiam vocatur etiam *ius romanum* quod per plura saecula plurimas gentes rexit. Ius romanum quod ex legibus XII tabularum (Cfr. *Livium*, lib. III, c. 34), ex plebiscitis, senatus-consultis, praetorum edictis, prudentum responsis et principum constitutionibus coaluit, propriam formam accepit ab imperatore Iustiniano qui ope valentissimorum iurisconsultorum illud in corpore iuris redegit. Corpus iuris civilis constituunt: a) *Digesta* seu *Pandectae*; *Digesta* quia leges prius confusae postea digesta seu disposita sunt; *Pandectae* (a, πᾶν, omne et δέχομαι capio) ex eo quod omnia praecipua responsa comprehendunt. b) *Institutiones* seu compendium antiquorum iuris principiorum. c) *Codex* qui continet leges imperiales depromptas ex praeesistentibus Codicibus *Gregoriano, Hermogeniano* et *Theodosiano*. d) *Novellae*, seu novae constitutiones, quae nostris temporibus 168 numerantur; quarum Iustiniani sunt proprie 159, immo 157 si admittitur, ut aliqui opinantur, quod ad Iustinum II pertineant non solum Nov. 140 et 144 sed etiam Nov. 148 et 149. Aliae autem sunt Tiberii II et Praefectorum praetorii. -- Cfr. *Zimmern.* Stor. del D. R. I. p. 180.

De ratione allegandi ius romanum animadvertatur:

Digestum seu Pandectae citantur per leges aut per fragmenta et Codex per leges, adiecta respective una cum siglis D. seu ff. vel C. etiam rubrica tituli. Ita ex. gr. Digestum: l. 23, D. De rei vindic. vel: fr. 23 ff. De rei vindic. Et Codex: l. 21, C. De sacros. Eccl.

Institutiones hoc modo citantur: ponitur primo numerus vel verba paragraphi; secundo indicatur opus Institutionum; tertio ru-

Ius ecclesiasticum definitur: « systema legum quibus ordinatur Ecclesia Christi ut rite conservetur finemque proprium consequatur ».

Ius ecclesiasticum subdistinguitur in *publicum* et *privatum* (1).

Publicum est: « Systema legum divinarum determinantium iura et officia Ecclesiae tamquam perfectae societatis (2) ». Et brevius: « Legum systema quibus Ecclesiae constitutio definitur (3) ».

brica tituli. Ex. gr. § 2, (vel § omnis stipulatio), Inst. De verborum oblig.

Novellae vero allegantur per numerum et caput. Ex. gr. Nov. 115, c. 3. Cfr. *Ios. Ferrari,* Summa inst. can. tom. I, tit. I, n. 6 not.; *Lombardi,* Iuris can. inst. p. 19; *Haiberger,* Diritto R. privato e puro, period. IV, § 24.

(1) Primus qui ius publicum ut disciplinam distinctam a canonico seu privato, de facto tradidit, fuit Antonius *Schmid* S. I. in op. Ius Eccl. Pub. an. 1771, quamvis plures iam antea huius inducendae distinctionis necessitatem adnotassent. Cfr. *Solieri,* Iur. publ. Elem. p. 28.

(2) Card. *Cavagnis,* Inst. iur. publ. eccl. proleg. n. 29.

(3) *Tarquini,* op. cit. n. 3. Iuxta *Ulpianum,* l. 1, ff. de iustitia et iure, « ius publicum est quod ad statum rei romanae spectat ». Et *Donellus* commentat: « Publicum ius sic definitur ut sit ius quod ad statum rei romanae spectat.... spectat autem ad statum reipublicae id quod est de rebus ad statum reipublicae seu ad rempublicam ut rempublicam pertinentibus, quodque ens reipublicae tuetur ac constituit........ Dicuntur autem res ad statum reipublicae pertinere, sine quibus aut civitas constitui, aut constituta stare incolumis non potest. Id enim statum cuiusque rei vocamus, quo res stat, et sine quo non consisteret ». Hic quoque agit de iure civili; adeoque adhibet terminos iuris civilis, respublica, civitas. Si locutus esset de Ecclesia, dixisset: « Publicum Ecclesiae ius sic definitur ut sit ius quod ad statum Ecclesiae spectat. Ius autem illud spectat ad statum Ecclesiae quod est de rebus ad statum Ecclesiae seu ad Ecclesiam ut Ecclesiam pertinentibus, quodque ens Ecclesiae sive notionem ipsam Ecclesiae, totumque simul eius corpus eiusque coagmentationem tuetur et constituit. Dicuntur autem res ad statum Ecclesiae pertinere sine quibus Ecclesia constitui aut constituta stare incolumis non potest ».

Privatum, quod et *canonicum* (1) vocatur, definitur: « Systema legum quas ecclesiastica potestas proponit vel constituit pro regimine plebis christianae in finem Ecclesiae proprium, seu pro regimine societatis spiritualis et supernaturalis ». Vel: « Systema legum quo Ecclesia suam potestatem per idoneum subiectum pro triplici functione legifera, iudiciaria, coactiva, ad actum reducit ».

Ius publicum et *constituens* dicitur, quia tradit quod Ecclesia possit constituere; privatum et *constitutum* quia versatur in quod Ecclesia constituerit (2). Primum ergo ut facultas habetur, secundum uti actus seu actorum series.

Internum quod exibet constitutionem Ecclesiae nexumque inter rectores ecclesiasticos et subditos qua tales.

Externum quod relationes Ecclesiae ad reliquas societates et iura inde profecta explicat.

3. De iuris eccl. praestantia et utilitate.

Ius eccl. praestat iuri civili, ratione originis, universalitatis, materiae, finis. Ad rem *Schmalzgrueber*, Diss. proem. § 7, n. 233: « 1° praestat *origine*, quia manat ab ipso Christo, et a potestate mere spirituali B. Petro eiusque in Apostolica Sede successoribus immediate a Christo communicata, 2° *universalitate*, quia obligat omnes Christi fideles per mundum universum sparsos..... Totus enim orbis terrarum subest conditoribus huius iuris, Christo nimirum eiusque in terra vicariis.... 3° *materia,* quia haec spiritualis est vel spirituali adnexa, 4° *fine*, quia intendit pro fine ultimo aeternam beatitudinem et salutem animae spiritualem ac supernaturalem per vitae et iustitiae christianae opera obtinendam ». Ad

(1) Canonicum a κανών regula. Aliqui Auctores hoc vocabolum sumunt ut synonimum iuris eccl. Cfr. *Bouix,* op. cit., c. I, § 1; *Sanguineti,* op. cit., sect. I, nota.

(2) Ius canonicum vocatur etiam *sacrum*, *divinum*, *pontificium;* et esse potest *scriptum* vel *non scriptum*, *universale* vel *particulare* prout per leges scriptas vel per traditiones, ad universam Ecclesiam vel ad aliquam regionem specialem extenditur.

romanum speciatim quod attinet, notum est ius ecclesiasticum illud expolivisse ac perfectius reddidisse (1).

Eius praestantia deducitur etiam ex salutari influxu in *ius gentium*, fraternitatem universalem propugnans et rationem arbitratus instituens; in *ius administrationis* statuens quod aequum et bonum est; in *formam iudiciorum* damnans probationem per ignem et aquam; in *ius poenale* proponens una cum punitione rei etiam eius emendationem (2) etc.

Utilitas autem, maxime pro clericis, manifeste apparet non solum ex dictis de praestantia, sed etiam ex eius notione essentiali, cum sit Ecclesiae legislatio, cuius rectam interpretationem ut ministri et iudices curare debent, et apologia practica religionis catholicae. Quapropter a Patribus et Conciliis, iuris eccl. studium valde commendatur. Ita ex gr.:

S. Coelestinus S. P. ait: « Nulli sacerdotum liceat canones ignorare nec quidquam facere quod patrum possit regulis obviare (3) ».

(1) Cfr. *Troplong*, De l'influence du Christianisme sur le droit civil des romains; *Lombardi*, op. cit art. V.

(2) Cfr. *Lacointa*, De l'influence du Christianisme sur le droit penal et le regime penitentiaire; *Estanyol Bollani*, Lezioni didattico storiche di Diritto canonico, § 6; *Manenti*, Concetto ed importanza dello studio del Diritto canonico.

(3) Item et Doctores: *Pignatelli*, Consult. can., tom. I, consult. 14, n. 11: « Non dubito pronunciari indignum theologi nomine qui ius can. ignoret ». *Pirhing*, epist. dedic. tom. I: « Quantumcumque labor hic (nempe studium iuris can.) sit difficultate ferreus, utilitate tamen est aureus ». *Wagner*, exegesis praef. ad lect.; *Berardi*, Comm. in ius eccl. praef. p. 13; *Phillips*, Comp. iuris eccl. I. pag. 16. Cfr. pariter Encycl. S. P. *Pii IX* « *Inter multiplices* » 21 Martii 1853 et Lettr. Encycl. S. P. *Leonis XIII* aux Arch. Evêq. et au Clergé de France, 8 Sept. 1899, ubi scribit: « Cette science, se rattache par des liens très intimes et très logiques a celle de la Theologie, dont elle montre les applications pratiques a tout ce qui concerne le gouvernement de l'Eglise, la dispensation des choses saintes, les droits et les devoirs de ses ministres, l'usage des biens temporals, dont elle a besoin pour l'accomplissement de sa mission ».

S. Antoninus affirmat: « leges canonicas esse supra omnes humanas leges ».

Concilium Toletanum IV (an. 633): « Sciant sacerdotes scripturas sacras et canones ».

Concilium Bituricense (an. 1868): « Theologicarum doctrinarum solidae scientiae coniungi debet Canonum cognitio ....sine qua Theologia erit imperfecta et quasi manca, nec non multi errores de Romani Pontificis, Episcoporum iuribus, ac praesertim de potestate quam Ecclesia iure proprio exercuit, pro varietate temporum forsitan serpent, et paulatim invalescent ».

4. Scientiae subsidiariae iuris ecclesiastici.

Aliae sunt sacrae, aliae profanae. Inter primas recensemus:

I. *Exegesim biblicam* quia S. Scriptura continet quasi lineamenta iuris ecclesiastici, sicut vice-versa canones (ut ait Petrus Blegensis) sunt supplementa evangeliorum et prophetiarum.

II. *Studium SS. Patrum et Conciliorum* quia, ut videbimus, Patres et Concilia inter fontes iur. can. adnumerantur.

III. *Theologiam* quia iurisprudentia can. praesupponit theologiam ipsaque tamquam fundamento tota nititur.

IV. *Historiam Eccles.* quae ortum et progressum et vicissitudines iuris eccl. docet.

Inter profanas:

I. *Ius naturale* ex quo dirimuntur saepius controversiae graviores quae in scholis agitantur, et consilium et lumen subvenire potest ad omnes iuris ambiguitates dilucidandas (1).

II. *Ius civile* et in specie *romanum*; Ecclesia enim per imperium romanum diffusa est, Ecclesiae leges et romanum ius mutuo sese per plura saecula compenetrarunt, complures

(1) *Zallinger*, de usu et systematica deductione iuris naturalis et eccl. publici, § 4.

insuper leges civiles in ius eccl. transumptae sunt, utrumque demum ius in pubblicis Academiis explanatum est (1).

5. De fontibus iuris ecclesiastici.

Fons dicitur origo a quo ius dimanat. Fontes varii sunt pro variis iuris speciebus, scilicet *pro iure divino* et *humano*, *scripto* et *non scripto*.

Iuris divini scripti fontes sunt:

a) *Sacrae Scripturae N. T.* quae recte vocantur instrumenta authentica et tabulae fundationis Ecclesiae (2).

b) *Sacrae Scripturae V. T.* quoad praecepta moralia (3); quia coerimonialia et iudicialia post Christum abrogata sunt.

Iuris divini non scripti:

a) *Traditiones divinae.*

b) *Jus naturale* quod scilicet ubique instinctu naturae, non constitutione aliqua habetur.

c) *Propositiones* infallibilis Ecclesiae in rebus fidei et morum (aequipollenter).

d) *Attestationes* authenticae Patrum (4), (aequipollenter).

Iuris humani prout communis scripti:

a) *Constitutiones* Roman. Pontificum (5).

(1) Hinc illud satis notum « Ecclesia vivit lege romana ».

(2) *Zallinger*, op. cit. p. 632.

(3) Mediante tamen interpretatione infallibili magisterii Ecclesiae. De S. Scriptura et Traditione vide apud Theologos, ubi etiam de Legibus, de Consuetudinibus et Privilegiis.

(4) *Patres* dicuntur qui doctrina et sanctitate Ecclesiam primaevam aedificarunt. Ex his praestantiores et *Doctores* vocantur.

Inter graecos sunt: *Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus* et *Chrisostomus*; inter latinos: *Gregorius M., Ambrosius, Augustinus, Hieronimus*, quibus accesserunt: *Bernardus, Hilarius, S. Petrus Daniani, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Anselmus, S. Isidorus Hispalensis, S. Petrus Chrysologus, S. Franciscus Salesius, S. Alphonsus de Liguori.* — Cfr. *Wernz*, Ius Decretalium I, n. 136.

(5) Constitutiones Pontificum aliae sunt in forma *Bullarum*, aliae in forma *Brevium*.

Bullae ita nuncupantur, ex bulla seu sigillo plerumque plum-

b) *Decreta Conciliorum Generalium* vel Particularium quae ex auctoritate R. Pontificum extensa sint ad universum orbem (1).

beo quo insignuntur quaedam Constitutiones pontificiae, quod sigillum ex funiculo serico seu cannabino ex pergamena dependet, et una ex parte imagines exibet SS. Apostolorum Petri et Pauli, ex altera Pontifici nomen. — Cfr. *Ferraris*, Bibliotheca can. v. Bulla. — Hodie vero ex decreto S. P. *Leonis XIII*, 29 Dec. 1878, haec plumbea numismata una cum adiectis cordulis nonnisi in Bullis maioris momenti retinentur: in Bullis minoris momenti sustituitur impressio sigilli rubri coloris cum imaginibus SS. Apostolorum Petri et Pauli et superscriptione nominis Pontificis.

Breve « illud dicitur ubi non apponitur sigillum plumbeum, sed in eo signum fit ex cera rubra, cum sigillo quodam quod dicitur *Anulus Piscatoris*..... Diciturque breve quasi quod ibi summatim rescribitur et brevioribus verbis quam in bullis, in quibus magis pontificia dignitas explicatur atque longiori sermone. Dicitur Anulus Piscatoris ille quo signantur brevia, quia simpliciter eo usus fuisse B. Petrus fertur; continetque imaginem B. Petri eo modo quo e navicula in mari piscabatur ». Card. *Petra*, Commentaria ad Constitutiones Apostolicas, tom. I, p. 5.

Aliae constitutiones dicuntur.

Decreta si in iis Papa motu proprio sive solus, sive Cardinalium consilio aliquid statuit.

Decretales si Papa consultus ab Episcopis vel ab alia persona iis rescribit statuens aliquid quod legis communis rationem habeat.

Encyclicae si ad omnes catholicos Episcopos dirigantur.

Rescripta quae definiuntur: « Responsum supremi Principis ad alicuius supplicationem relationem vel consultationem in scripto datum ». Distinguuntur rescripta *iustitiae* nempe ad lites solvendas, et rescripta *gratiae* quae puram liberalitatem principis continent absque contentione partium. Rescripta *gratiae* sunt latae interpretationis et ex se perpetua, non autem rescripta *iustitiae*. — Nulla et valoris expertia censentur rescripta: a) ex defectu solemnitatis et authentiae, puta si desideratur legitima inscriptio, salutationis stylus etc.; b) ex defectu seu falsitate precum.

Cfr. *Santi*, Praelectiones iuris canonici iuxta ordinem Decret. Gregorii IX, tom. I, p. 26 et seqq.

(1) De notione et divisione Conciliorum postea videbimus. Hic seriem chronologicam Concil. Gener. damus:

Iuris humani scripti prout particularis:

a) *Decreta Conciliorum Particularium* scilicet Nationalium aut Provincialium.

b) *Decreta Episcoporum* vel ab inferioribus Praelatis vel a Pontificis Delegatis lata.

c) *Leges civiles* a Rom. Pontifice vel a Concilio Generali approbatae (1).

Iuris humani non scripti:

a) *Traditiones* humanae.

b) *Consuetudines* (2).

6. De Canonibus et eorum divisione.

Canones sunt dispositiones ecclesiasticae quae fidelibus proponuntur ut regulae recte vivendi.

Canones possunt esse fidei seu *dogmatici*, morum seu *morales*, disciplinae seu *disciplinares*. Canones *dogmatici* con-

Concilia Generalia Graeca

Nicaenum I	An. 325	Constantin. II	» 553
Constantinopol. I . . .	» 381	» III.	» 680
Ephesinum	» 431	Nicaenum II	» 787
Chalcedonense	» 451	Constantin. IV	» 869

Concilia Generalia Latina

Lateranense I. . . .	An. 1123	Viennense	» 1311
» II . . .	» 1139	Florentinum	« 1441
» III. . .	» 1179	Lateranense V . . .	» 1512
» IV . . .	» 1215	Tridentinum	ab 1545 ad 1563
Lugdunense I. . . .	» 1245	Vaticanum	» 1869
» II . . .	» 1274	quod suspensum fuit 20 Oct.	1870

Quoad particularia vide apud *Selvagio*, Inst. can. Tom. 3, pag. 211-222.

Acta Conciliorum tum Generalium tum Particul. praesertim collegerunt: *Harduin*, 12 vol. usque ad an. 1714; *Mansi*, 31 vol. usque ad saec. XV. Cfr. etiam *Thomassin* dissert. in Conc. Gener. et Partic., tom. I.

(1) Nam « sicut humanae leges non dedignantur sacros can. imitari, ita et sacrorum statuta canonum, principum constitutionibus adiuvantur ». *Lucius III.*

(2) Cfr. *Sanguineti*, op. cit. sect. I, n. 61; *Tarquini*, op. cit. c. III, n. 23.

tinent aliquam veritatem fidelibus credendam ut divinitus revelatam (1). *Morales* statuunt quae agenda vel omittenda sunt, et saepius veritatibus fidei coniunguntur et dogmatici fiunt (2). *Disciplinares* versantur *a)* in tutela fidei et morum; *b)* in determinandis praeceptis divinis et naturalibus; *c)* in regenda societate ecclesiastica (3).

Ex his patet distinctio inter Theologiam et Ius Ecclesiasticum. Theologia tota est in rebus fidei et morum universim investigandis, illustrandis et propugnandis; Ius Eccl. in iis custodiendis, propagandis et in usum actumque perducendis, unde vocatur Theologia *rectrix* et *practica* (4).

(1) Ad quam rem *Canus*, de loc. theol. l. 5, c. 5, q. 4, habet: « Summorum Pontificum Conciliorumque doctrina, si toti Ecclesiae proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum vero de fidei causa judicium est ».

(2) Plures can. morales in Decreto Gratiani invenimus, plures etiam in titulis Decretalium, quales sunt *de pactis*, *de iureiurando*, *de homicidio*, *de furto* etc.

(3) Hinc canones *de electionibus*, *de institutionibus*, *de vita et honestate clericorum*, *de iudiciis* etc.

(4) Cfr. Card. *Soglia*, Inst. iuris pub. et priv. p. 5; *Vecchiotti*, Inst. Can. Vol. I, § 13; et seqq.

NOTIONES HISTORICAE
COLLECTIONUM CANONUM

7. Collectiones sunt complexus fontium iuris can. auctoritate publica vel privata quodam systemate concinnatus. Ad coordinandas varias collectiones distinguendum in historiam iuris triplex stadium seu aetas (1).

I. **Aetas Patrum** ab initio religionis Christianae ad saec. XII.

II. **Aetas Scolasticorum** a saec. XII ad saec. XVI.

III. **Aetas restaurationis** a saec. XVI usque ad nos.

Prima epocha complectitur igitur Collectiones *iuris veteris* factas in primis duodecim saeculis usque ad Gratianum qui compilavit suum *Decretum* seu « *Concordantia discordantium canonum* ».

Secunda, Collectiones *iuris novi* quod incipit a dicto Gratiano et definit ad Concilium Tridentinum.

Tertia, Collectiones *iuris novissimi* quod a Tridentino ad nostra usque tempora pergit (2).

(1) Historica evolutio canonum magni momenti. « Iuris Ecclesiastici notio, quaecumque fuerit, sine historiae eccl. notione mutila erit. Hac qui caruerit, regiminis eccl. formam, applicationem et cum juri civili relationem haud percipiet; iuris tam antiqui quam novi originem, indolem et fata ignorabit, ipsâque iuris eccl. fontium, qui post S. Scripturam sunt Traditio, Patrum sententiae, Pontificum et Conciliorum decreta notione carebit ». *Rautenstrauch*, Proleg. Inst. iur. eccl. § 165, apud *Wouters*, Hist. eccl. introd. § 2.

(2) Cfr. *De-Camillis*, Inst. can. lib. I, sect. II; *M. De-Luca*, Prael. iur. can. Introd. gen. sect. III.

CAPUT I.

De Collectionibus Iuris antiqui.

Istae sunt: Collectiones *Apostolicae, Graecae* et *Latinae.*

ART. I.

De Collectionibus Apostolicis.

In Collectionibus Apostolicis comprehenduntur *Constitutiones* et *Canones.*

8. **Historia** — Sub nomine *Constitutionum Apostolicarum* venit antiquissima collectio graece exarata et in octo libros distincta. Primi sex continent brevem synopsim vitae christianae secundum ius, reliqui habent varias praescriptiones liturgicas et morales. De ipsarum origine et fatis res parum comperta est. Quidam eas Apostolis adscribunt, quidam Clementi romano; sed vero similius videtur opus confectum fuisse ab uno vel pluribus ignotis auctoribus (1).

(1) Rationes dubitandi hae sunt: a) silentium scriptorum eccl. in primis tribus saeculis; b) errores dogmatici de invaliditate baptismi ab haereticis collati, de necessitate trinae immersionis etc.; c) errores disciplinares praecipientes ieiunium die dominica; d) errores historici v. gr. cum praesentem faciant Jacobum Zebedaei Concilio Hierosolimitano, quem constat ex c. XII. Act. iam interfectum ab Herode. Nec dicas Epiphanium Saec. IV eas commendasse. Nam exinde solum colligi potest S. Epiphanii aetate, aliquem librum nomine Constitutionum Apost. extitisse, nihil contra fidem et mores et disciplinam continentem, et hunc vel periisse, vel ab haereticis corruptum interpolatumque fuisse. Cfr. Dissertationes *Cotellerii, Pagi, Mansi,* et *De-Magistris* quae insertae sunt

Canones sunt breves sententiae et dispositiones disciplinares quae libro octavo Constitutionum subnectuntur. Eorum numerus iuxta latinos ad quinquaginta refertur; iuxta graecos ad quinque et octoginta. Ex titulo qui eis praefigitur: « *Canones Apostolorum per Clementem romanum a B. Petro ordinatum Episcopum editi* » ab aliquibus tribuuntur Apostolis; sed probabilius eorum auctor pariter incertus manet (1).

9. **Auctoritas** — Quoad auctoritatem Constitutionum et Canonum dicendum: Licet et Constitutiones et Canones non omnes habeant Apostolicam auctoritatem, tamen ubi non constat ignorantia vel fraude fuisse vitiata, indicant disciplinam IV, III, II, aliquando etiam I saeculi (2).

ART. II.

De Collectionibus graecis.

Praecipuae videntur quatuor: I. Collectio Concilii Chalcedonensis quam aliqui et *Theodoreti* dicunt (3); II. Collectio

in I Vol. Patrologiae Graecae, edit. Migne. Item: *Biner*, Apparatus iur. can. p. 2, c. 4; Card. *Pitra*, Iuris Eccl. Graec. Hist. lib. I, p. 45 et seqq.; *Darras*, Hist. Eccl. tom. 6, p. 582-93.

(1) De Canonum historia duae sunt sententiae extremae. Alii cum *Joan. Damasc.* Apostolicos esse defendunt. Alii cum *Dallaeo* calvinista omnes apogriphos affirmant. Media sententia videtur praeferenda, scilicet: Apostolos quasdam regulas seu canones tradidisse nascenti Ecclesiae: hos fuisse successu temporis, tum traditione servatos, tum scripto traditos: sed Apostolos fortasse paucos canones edidisse, quibus pro temporum opportunitate successores alios addidisse, non variato titulo primitivo Canonum Apostolicorum, prout ephemeridibus vel diurnis contingit. Et sic Canones de die in diem creverunt. Cfr. fratres *Ballerini* in App. tom. III, Oper. S. Leonis M.

(2) Cfr. *De-Camillis*, op. cit. artic. I; *Estanyol-Bollani*, op. cit. lez. XV; Card. *Pitra*, op. cit. tom I, p. 28-39, 1-12; *M. De-Luca*, Praelect. jur. can. I, p. 89; *Lagarde*, Constit. Apost.

(3) *Douiat*, Praenotiones canonicae.

Ioannis Scholastici; III. Collectio *Concilii Trullani*; IV. Collectio *Fotii.*

10. **Historia** — *Prima* edita fuit anno 1616 et probabiliter constabat CCVII canonibus (1) ex variis conciliis depromptis (Nicaeno I, Ancyrano, Neocaesariensi, Gangrensi, Antiocheno, Laodiceno, Constantinopolitano I et Ephesino). His progressu temporis additi sunt LXXXV canones Apost. et can. Conc. Sardicensis.

Secunda prodiit circa medium saec. VI. Auctor praesumptus, cognomento Scholasticus, quia ex Schola sive ordine Advocatorum erat, argumenta anterioris collectionis collegit, iis addidit LXVIII canones ex epistolis S. Basilii, omnes distribuens per materias et opus dividens in L titulos ut Tribonianus jam in Digesto fecerat. Usurpata serius sede Constantinopolitana, compendium efformavit Constitutionum imperatoris Iustiniani ; illud adiecit codici a se composito de jure eccl. et *Nomòcanon* (2) appellavit, comprehendens utriusque potestatis leges, canonicas scilicet et civiles (3).

Tertia, illa quae compilata et approbata a Graecis in Conc. Trullano (4) (an. 632), etiam *quinixestum* vocatur (5). In ipsa descripti sunt canones Apostolici, canones conciliorum orientalium, quaedam epistolae Episcoporum, acta quorumdam Conciliorum particularium et canones DCCCXXXIII Concilii Africani loco canonum Conc. Sardicensis qui expuncti sunt.

(1) Prout a *Iustello* (Bibl. can.) edita fuit. Non concordant tamen Auctores. Cfr. *Devoti*, Inst. can. Proleg. § 54, not. 3.

(2) A νόμος lex, et κανών.

(3) Cfr. *Zaccaria*, Hist. graec. roman. delineatio.

(4) Trullanum a *Trullo* seu secretario palatii quod ob fastigium concameratum Trulli seu Trullae nomine appellabatur.

(5) Dicitur *quinisextum* quia habitum fuit animo supplendi Concilii V et VI generalium. Romana Ecclesia tamen eos tantum probavit huius Concilii canones qui nihil haberent quod superioribus conciliis et bonis moribus adversaretur. Ita declaravit Episcopus Cardinalis Silvae Candidae legatus Leonis IX apud Graecos.

Quartam denique perfecit Photius Patriarcha sedis Constantinopolitanae, reiecto Ignatio Episcopo. Haec Collectio continet documenta Trullana, canones pseudo-synodi Constantinopolitani contra Ignatium, et ad exemplum *nomòcani* etiam leges civiles.

11. **Auctoritas** — De auctoritate harum Collectionum concludi debet: Si eorum antiquitatem spectamus, Collectiones graecae anteponendae sunt aliis, quia Ecclesiae primitivae dispositiones lingua originali referunt. At cum inter Graecos jam aliqua proclivitas ad schisma notetur, magna cautela opus est in recipiendo quidquid etiam de longe ei favere videatur (1).

ART. III.

De Collectionibus latinis.

Ex Collectionibus latinis paucae supersunt inter quas duae mentione dignae inveniuntur utpote recentiores et celebriores. Collectiones *Dyonisiana* et *Isidoriana.*

12. **Historia** — *Dyonisiana* nomen habuit a Dyonisio natione Scytha monaco romano cognomenti *Exigui* vel statura vel potius humilitate (2). Hic Romae degens sub fine saec. V aegre ferens quod canones graeci ad posteritatem transirent confusione qua laborabant in antiqua versione, rogatus etiam a *Laurentio* diacono Romanae Ecclesiae, Cano-

(1) Cfr. *Berardi,* Inst. can. tom. I, tit. 8, § 10; *De-Camillis,* op. cit. vol. I, sect. II, c. I, n. II, § 2; Card. *Pitra.* Des Canones et des Collectiones canoniques de l'Eglise Greque; Card. *Mai,* Spicilegium, tom. 7, pag. 77. Illustrarunt has Collectiones, *Zonaras, Alexius, Aristimus, Theodorus Balsamon,* sed ab his maxime cavendum.

(2) De *Dyonisio* mentionem facit *Cassiodorus,* Div. litt. c. 23, pag. 551, tom. I, edit. Roth. ad 1679, qui eum dicit versatissimum tum in graeca, tum in latina lingua.

De ejus vita, probitate et moribus loquuntur varii Auctores. Cfr. *Bellarm.* De Script. Eccl. op. tom. 7, pag. 201.

nibus graecis elegantius latine redditis, novae Collectioni operam dedit, in qua et can. Apostolicos, can. Sardicenses, Chalcedonenses et Africanos congessit. Deinde, hortante *Iuliano* presbytero S. Anastasiae, Decretales Pontificias a S. P. Siricio (an. 385) ad Anastasium (498) collegit et aliam Collectionem fecit quae vocari potest II pars primae Collectionis (1).

Isidoriana in lucem pervenit circa medium saec. IX. Hic Isidorus mercator vel peccator (2) a quo Collectio appellatur, quis esset non bene constat (3). Dividitur Collectio in tres partes iuxta vetustissimum manuscriptum vaticanum.

Prima pars continet LX Decretales a Clemente usque ad Melchiadem.

Secunda pars canones Conciliorum a Nicaeno usque ad Hispalense II in classes distributos.

Tertia pars Decretales Rom. Pontificum a Silvestro ad Gregorium M.

(1) Post Dyonisianam aliae prodierunt Collectiones; ita ex. gr *Hadriana*, (ex Papa Hadriano an. 802) quae tamen nova editio Dyonisianae dicenda est, paucis tantum aut exceptis, aut additis. Item in Gallia Collectio *Quesnelliana* (a Quesnell. saec. VI); *Codex Carolinus* (a Carolo M. an. 791) et *Capitulares* quos collegit abbas *Ansegisus*. In Africa Collectio seu potius *Breviatio Ferrandi Diaconi* Ecclesiae Carthaginensis; Collectio *Cresconii* Episcopi Africani. In Anglia et Hibernia *Excerptiones Egberti* et *synodus Patritii* seu Collectio *hibernica*. In Germania Collectio *Conciliorum Germanic.* (ann. 742, 743). In Hispania Collectio *Martini Bragarensis*, Collectio *canonico-gotha*, et *Instituta seu excerpta canonum* (ineunte saec. VIII). Cfr. *Voellus* et *Iustellus*, Bibl. juris can. tom. I, in App. *Tardif*, Histoire des sources de droit can., 5. 7, 8; *Vering*, Droit can., tom. I; *Walter*, Man. iuris can. univ. e lingua germanica in gallicam versum, §§ 83, 84, 85; *La Fuente*, Storia Eccl. di Spagna, vol. II.

(2) Codices alii Mercatoris et alii Peccatoris nomen inscriptum habent. Cfr. *Devoti*, op. cit. proleg. LXIV, art. 1.

(3) Aliqui dicunt fuisse *Olgarum* Episcopum Moguntinum; alii *Ebron* Archiepiscopum Rhemensem; alii *Benedictum* Levitam Moguntinum. Cfr. *Vecchiotti* op. cit. I, § 60; *Aichner*, op. cit. pag. 42

13. **Auctoritas** — Ad auctoritatem harum Collectionum quod spectat dici potest: Collectio *Dyonisiana* opus fuit viri privati ideoque nunquam publicam auctoritatem nacta est; tamen omni fide dignissima est sive inspecta scientia et probitate collectoris, sive ob publicam aestimationem in qua retenta fuit ab Ecclesia romana (1). *Isidoriana* autem quadam auctoritate gaudere potuit, non respectu Auctoris sed faventibus illius aetatis adiunctis; detecta vero falsitate plurimarum Decretalium, inter apogriphas est recensenda (2).

CAPUT II.

De iure novo.

Character specialis Collectionum secundae aetatis est character *generalitatis*; et ius quod constituunt etiam *commune* vocatur quia in tota Ecclesia viguit. Huc pertinent *Decretum Gratiani*, *Decretales ante-gregorianae* et *gregorianae.*

(1) Cfr. *Phillips*, Du droit eccl. dans se sources, C. I, § 5, p. 27, 29.

(2) Cfr. FF. *Ballerini*, De antiquis Collectionibus et Collectoribus canonum, P. III, c. 6; *Cavagnis*, op. cit. vol. I, lib. II, c. III, a. 5; *Jungmann*, Dissert. selectae in Hist. eccl. tom. III, diss. XVI.

Collectiones quae Isidorianam secutae sunt, hae notantur: Collectio *Reginonensis* (saec. X, an. 906); Collectio *Burchardi* Wormantiensis (saec. XI, an. 1012-1023); Collectio *Anselmi* Lucensis Episcopi (saec. XI, ann. 1087); Collectio *Deusdedit* Card. (an. 1087) Collectio *Ivonis Carnutensis* (exeunte saec. XII). Harum omnium Collectionum modica est auctoritas quum tamquam a praecipuo fonte ex Collectione Isidoriana fuerint derivatae. Cfr. *Lombardi*, op. cit. vol. I, artic. II, § III; *M. De-Luca*, Praelect. iur. can. l. c. p. 110.

ARTIC. I.

De Gratiani Decreti.

14. **Historia** — Gratianus monachus ordinis S. Benedicti, natus Clusii in Hetruria, edidit circa annum 1151 suam Collectionem quam ille inscripsit « *Concordantia discordantium canonum* » et posteri nomine *Decreti* ditarunt. Ipsum velut tractatus scientificus-practicus tenendum est et in tres partes dispescitur.

In prima, quae constat CI Distinctionibus in canones distributis, auctor agit *de iuribus et officiis Clericorum.*

In secunda, quae continet causas XXXVI, divisas in quaestiones quae in canones distribuuntur, agitur de *iudiciis ecclesiasticis.* Ad causam autem XXXIII, post quaest. III extat tractatus de poenitentia, quem septem distinctionibus absolvit.

In tertia denique parte, quae « de Consecratione » inscribitur et quinque distinctiones complectitur, *de ritibus sacris* (1).

Gratiani opus licet pluribus scateret mendis ob critices defectum et graeci sermonis ignorantiam in auctore, mox receptum est tamquam textus qui doceretur in Universitate Bononiensi, et magnum usum in foro obtinuit (2). Verum temporis lapsu, pluribus erroribus detectis (3), dubitari coep-

(1) Mens autem Gratiani in hac divisione quaenam fuerit non bene apparet. « Percipi vix ac ne vix quidem potest, ait *Devoti,* iure can. univ. tom. I, p. 371, quid sibi Gratianus sua hac partitione voluerit. Non enim iustam aliquam videtur habuisse causam propter quam postremas distinctiones a primis discerneret, aut varias quaestiones modo sub causarum, modo sub distinctionum titulo expenderet....... Accedit quod tam in causis, quam distinctionibus eaedem ferme res explicantur; ita ut Auctor videatur oblitus earum quae alio loco pertractaverat ».

(2) Cfr. *Bouix,* De principiis jur. can. P. III, c. XIII, p. 478.

(3) Praecipui errores hi sunt: saepe documenta spuria pro ge-

tum est de genuinitate et integritate Decreti. Hinc Rom. Pontifices Decretum emendandum curarunt, delectis ad hoc doctissimis viris, qui *Correctores romani* dicti sunt. Emendatio absoluta fuit sub Gregorio XIII qui Constitutione « *Cum pro munere pastoralis sollicitudinis* » die I Iunii 1582, editionem correctam promulgavit simul iubens ut « nihil addatur, mutetur aut minuatur » (1).

15. **Auctoritas** — Si consideratur auctoritas ex parte scientifica certe exigua videtur ob parvam authentiam monumentorum quae continet. Si legalis spectetur, triplex adest sententia. Quidam censent publicam auctoritatem obtinuisse, quia supponunt approbatum ab Eugenio III et a Gregorio XIII (2).

Alii contra enixi Benedicto XIV (3), hanc auctoritatem non concedunt, quia plurimi etiam inveniuntur in Decreto canones apogriphi vel interpolati. (4).

nuinis falsa pro veris usurpat; fidem adhibet Decretalibus Pontificum antiquiorum Siricio; confundit canones quinisextae synodi in Trullo cum can. sexta synodi oecumenicae, sententias Patrum cum decretis Rom. Pontificum aut Conciliorum, et Patrem unum aut unum Concilium aut Pontificem, cum alio Pontifice, Concilio, Patre; corrumpit Auctorum nomina et loca atque iis sententias adscribit quas nunquam animo conceperunt. Cfr. *Antonium Augustinum*, lib. I, dial. I, de emend. Gratiani, tom. 3, p. 21.

(1) Cfr. *Phillips*, op. cit. § 16.

(2) Adversarii negant approbationem Eugenii III quam narrat *Trithemius*, quia in nulla alia editione apparuit; et pariter Gregorium XIII expresse ipsum opus approbasse et authenticum declarasse.

(3) *Bened. XIV*, De syn. dioec. l. VII, c. 15, habet: « Gratiani decretum quamtumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habet, quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset si numquam in Gratiani Collectione insertum foret, ut videre est in nostro opere de Canonizatione SS. lib. IV, p. 2, c. 27, n. 10 ».

(4) Cfr. *C. S. Berardi*, in suo eximio opere: « Gratiani canones genuini ab apogriphis discreti, corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrata ».

Plures denique auctores, mediam sententiam tenent asserentes Decretum Gratiani, autheticae quidem collectionis vim non attingere; nihilominus quadantenus authenticum practice dicendum esse, 1° quia Gregorius XIII, licet expresse non decreverit vim legis Gratiani Decreto in foro dandam esse, tamen a) declaravit sua auctoritate fuisse recognitum; b) vetuit ne eidem operi quidquam adderetur, vel im mutaretur, vel inverteretur, quae solent de authenticis scripturis edici. (Cfr. Const. « *Cum pro munere* » quae Decreto ipsi Gratiani praefixa est); 2° quia per plura saecula in scholis et iudiciis receptum fuit tamquam pars iuris communis et eius canones ita citari solent, ac si Collectio ipsa esset authentica » (1).

16. **De Paleis** — In Decreto reperiuntur quidam textus qui inscribuntur Palea. Huius tituli etymologia pluribus apud eruditos disputationibuslocum dedit. Quidam e graeco *πάλιν rursum* derivari volunt, quasi isti canones sint praecedentium repetitio. Alii e latino *palea* repetunt, eo quod in his levia ac nullius momenti ut paleae contineantur. Alii contractionem faciunt verborum *post alia* (P. alia) ideoque ut additiones habent ab alio factas (2). Alii denique nomen Gratiani discipuli *Paucopalea* vocati qui opus recensuit, dicunt (3).

Quidquid de his opinationibus, certum est has paleas Gratiani non esse, sed aliena deinde manu accessisse; item certum est illas fuisse primum in margine descriptas, et postea translatas in ipsum operis contextum; unde nova occasio emersit depravationum in inscriptionibus. Paleae eamdem sortem ac canones Gratiani sunt expertae, tamen minorem auctoritatem obtinuerunt (4).

(1) Cfr. *Bouix*, l. c. p. 482; *M. De-Luca*, Praelect. jur. can. l. c. pag. 136.

(2) Cfr. *Devoti*, in proleg. c. 6, § 77 et in not.

(3) Cfr. *Aichner*, op. cit. § 15.

(4) Cfr. *Bouix*, op. cit. p. III, c. XIII, p. 480; *Tardif*, op. cit. livr. 8, c. 1, sect. I; *Lombardi*, op. cit. I p, 92.

ARTIC. II.

De Decretalibus ante-gregorianis.

Decretales ante-gregorianae quinque celebriores numerantur.

17. **Historia** — *Primam* edidit *Bernardus Papiensis* cognomento *Circa* vel *Cirta*, anno 1190 sub titulo « Breviarium extravagantium » scilicet decretorum quae extra Decreti Gratiani vagabantur. Ipse divisit suam Collectionem in quinque libros (1) colligens monumenta quae effugerant Gratiani industriam, sed praesertim Constitutiones summorum Pontificum post Gratianum editas scilicet Alexandri III, Lucii III, Urbani III, Clem. III et praeterea canones Concilii Lateranensis III.

Secundam confecit, *Ioannes Vallensis* vel Gallensis anno 1202, in qua inseruit novas Constitutiones Celestini III.

Tertiam absolvit *Petrus Beneventanus* subdiaconus apostolicus. Haec Collectio ab Inn. III qui in ipsa suas Decretales inserendas curavit, publica auctoritate donata est.

Quarta quae brevi, sub auspiciis ipsius Innoc. III, sequuta est, incertum habet auctorem et complectitur Decretales Innoc. III posteriores et canones Concilii Lateranensis IV.

Denique sub nomine *quintae* Collectionis illa cognoscitur quae missa fuit ab Honorio III anno 1226 ad quemdam *Tancredum* juris professorem in Academia Bononiensi; sed auctor ignoratus manet (2).

18. **Auctoritas** — Ex his solum III et V legalem auc-

(1) In primo libro agit de legibus Ecclesiae et de magistratibus eccl.; in II de iudiciorum ordine; in III de clericis et rebus ecclesiasticis; in IV de matrimonio ; in V de delictis, de accusationibus et poenis.

(2) Harum decretalium priores quatuor *Antonius Augustinus*, postremam *Innocentius Cironius* ediderunt, notisque illustrarunt.

Duas etiam Collectiones Alexandri III memorat post *Bohemerum*, *Philippus Hedderichius*, Elem. iur. can. part. 1, tit. 7. § 92.

toritatem habuerunt, vulgatae enim fuere ex mandato RR. PP. Aliae, utpote privato studio exaratae, hanc auctoritatem non obtinuerunt. Omnes tamen licet hodie nullam auctoritatem faciant nec in scholis nec in iudiciis, tamen exibent fide dignum antiquitatis monumentum, ut in iis genuinus et germanus sensus plurium Constitutionum RR. Pontificum deprehendatur (1).

ARTIC. III.

De Decretalibus gregorianis et post-gregorianis.

Collectiones quae prodierunt a Gregorio IX ad Conc. Tridentinum sunt: *Decretales Gregorii IX*, *Sextus Decretalium Bonifacii VIII: Clementinae; Extravagantes* (2) *Ioannis XXII; Extravagantes communes.*

19. **Historia** — *De Decretalibus Greg. IX.* Gregorius IX Pontifex M. ut praeberet studiosis iuris can. normam certiorem illa quam dederant praecedentes Collectiones, imperatorem Iustinianum imitatus, novum codicem edendum B. Raimundo mandavit. Is maxima cum diligentia operi incubuit, et post quatuor annos absolutum cum titulo « *Decretalium Gregorii IX Compilatio* » S. Pontifici transmisit. Continet haec Collectio non tantum Decretales RR. Pontificum a Gregorio I usque ad Greg. IX sed etiam loca quaedam Scripturae Sacrae, canones qui dicuntur Apostolorum, decreta Conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV, multaque alia tum ex Patrum, tum ex aliorum scriptorum operibus desumpta. Collectio dispertitur in quinque libros quorum argumentum ex noto versu exprimi solet:

(1) Cfr. *De-Camillis*, op. cit., vol. I, c. II, art. II, § II ; *Estanyol-Bollani*, op. cit. lez. XXI ; *Durantis*, Specimen proem. et *Joan. Andr.* addit. (m.) in f.

(2) Extravagantes appellantur quatenus vagantur extra corpus caeterarum Drecretalium, vel extra Decretum Gratiani.

Iudex, iudicium, clerus, connubia, crimen.

In primo scilicet agit de iudicibus eccl. seu de Praelatis; in secundo de judiciis civilibus eorumque ordine; in tertio de personis, de officiis et de proventibus ecclesiasticis; in quarto de sponsalibus et matrimoniis; in quinto de iudiciis criminalibus, de delictis et poenis. Unusquisque liber dividitur in titulos: tituli vero in capita dispertiuntur (1).

II. *De sexto Decretalium.* Exeunte saec. XIII cum non amplius sufficeret Codex Gregorianus ob novas Constitutiones quae prodierunt et ob canones duorum posteriorum Conciliorum (2), Bonifacius VIII anno IV sui Pontificatus novae Collectionis peragendae consilium iniit. Usus est ope trium virorum celebrium (3) et anno 1298 eam perfectam proposuit sub appellatione *Sexti Decretalium* tamquam appendicem Collectioni gregorianae, quasi sextum librum superadditum ad quinque iam editos quorum etiam ordinem sequuta est.

III. *De Clementinis.* Clemens V, qui Bonifacio successit, colligere coeperat suas Constitutiones emissas in Concilio Viennensi ea mente ut sub septimi Decretalium titulo promulgarentur. Sed cum Clemens morte prohibitus esset, eam Collectionem publicavit illius successor, Ioannes XXII S. P. qui sedit ab anno 1316 ad annum 1334, sub nomine Clementinarum, eadem divisione et ordine ac in Decretalibus gregorianis.

IV. *De Extravagantibus.* Duae aliae Collectiones sub hoc titulo supervenere. Prima, cuius auctor ignotus, edidit ipse Ioannes XXII. Constat tantum XIV titulis, et Constitutiones refert Ioannis XXII.

(1) Cfr. *Aug. Theiner,* Disq. crit. in praecip. canonum et Decret. Collectiones; *Fagnan.* Comment. absolutissima etc.; *Santi,* op. cit.

(2) Haec Concilia Lugduni habita sunt, primum sub Inn. IV, an. 1243; alterum sub Greg. X an. 1274.

(3) Hi fuerunt: *Guillelmus* archiepiscopus Etrudunensis, *Berengarius* episcopus Biterrensis et *Richardus de Senis* S. R. E. Vice Cancellarius.

V. Posterior non unius sed plurium sequentium Pontificum Constitutiones comprehendit, ob quod sub nomine *extravagantium communium* usu venit, auctore incerto.

20. **Auctoritas** — Canones qui comprehenduntur in Collectionibus Gregorii IX et Bonifacii VIII vel Clementis V vim legis obtinent quousque non demonstretur eas non fuisse auctoritate dictorum RR. Pontificum approbatas (1), vel recentiori iure abrogatas esse vel immutatas. Legalis autem auctoritas Extravagantium tum Ioannis XXII tum communium nulla est si tantummodo in ordine ad huiusmodi Collectiones consideretur; sed cum constent genuinis et sinceris monumentis, communi scholarum et iudiciorum usu receptae sunt (2).

ARTIC. IV.

De Corpore Iuris.

21. **Historia** — Sub nomine *corporis iuris can.* venit complexus Collectionum Decretalium duobus voluminibus dispertitus. Primum constat: Decreto Gratiani, LVI canonibus poenitentialibus (3) et LXXXIV can. Apostolicis (4).

(1) Decretales gregorianae promulgatae sunt per Constitutionem « *Rex Pacificus* » Gregorii IX, 5 Sept. 1233; Sextus Decretalium per const. « *Sacrosanctae* » an. 1298; Clementinae per Const. « *Quoniam nulla* » 25 Oct. 1317.

(2) Cfr. *De-Camillis*, op. cit. tom. 1, lib. 9, sect. II, c. 2, a. 2, § 2; *Berardi* op. cit. p. I, tit. 13, § 8-9; *De-Angelis*, Praelect. iur. can. proleg. n. 4. Item *Ioseph Ferrari*, op. cit. vol. I, n. 14, qui de extravagantibus ait: « Duae huiusmodi collectiones non reperiuntur expresse approbatae; at nihilominus vi et auctoritate legis universalis pollent, quia Bullae sunt Pontificum omnes obligantes, quae ideo extravagantes dicuntur; cfr. etiam *Wernz*, op. cit. I, p. 333; *Laurin*, Introd. in C. I. C. pag. 218.

(3) Canones poenitentiales normam praefigunt sacerdotibus in infligendis poenis in foro poenitentiali. Eorum auctor incertus est et nulla prae ceteris libris poenitentialibus auctoritate gaudent. Hodie ut monumentum antiquae disciplinae manent.

(4) Recensentur solum 84 et non 85 can. Apost. quia sub uno duo coniunguntur (3 et 4).

Secundum complectitur: Decretales Gregorii IX, Sextum Decretalium; Clementinas; Extravagantes Ioann. XXII et Communes.

His partibus claudi deberet corpus iuris; at in secunda medietate saec. XVII in plerisque edictionibus ad calcem accesserunt duo alia opera, nempe liber VII Decretalium Petri Matthei (1) et Institutiones iuris can. a Lancelotto conscriptae (2).

22. **Auctoritas** — Corpus iuris can. non obtinuit sanctionem collectivam, ideoque eius elementa constituentia eandem auctoritatem servant quam singulae partes antequam in corpore iuris clauderentur habebant.

Ita ex. gr. auctoritatem non acquisierunt Decretum Gratiani, Decretales quae numquam ea gavisae sunt, nec additiones factae scilicet, Institutiones Lancelotti et Liber Petri Matthei (3).

23. De rubricis, summariis, glossis, notis.

Rubricae dicuntur inscriptiones titulorum, sic vocatae quia olim rubro colore scribebantur. Aliae *praeceptivae* sunt aliae *non praeceptivae*: praeceptivae quae sensum perfectum

(1) *Petrus Mattheus* iurisconsultus Lugdunensis sub Sixto V. suam Collectionem efformavit eamque adnectere cupiens Sexto Decretalium Bonifacii VIII appellavit *librum Septimum Decretalium*. Collegit Decretales usque ad Sixtum V et opus dicavit Card. *Caietano*. Tamen eius Collectio nullam auctoritatem obtinuit imo ab multa vitia materiae et ordinis proscripta fuit a S. Congr. Indicis, Decr. 3 Iul. 1623.

Hic liber Petri Matthei distinguendus ab alio VII Decretalium SS. PP. Gregorii XIII, Sixti V et Clem. VIII cura efformatus, qui tamen non fuit divulgatus.

(2) *Ioannes Lancelottus*, institutiones can. quas conficere aggressus erat *Antonius Cucchius* Tycinensis iuris professor, ex mandato Pauli IV perfecit. Sed concluso Concilio Trid. haec institutiones utpote iure veteri enixae nullam auctoritatem in usu obtinere potuerunt.

(3) Cfr. *Berardi*, op. cit., tom. I, p. I, tit. 16, v. 1; *Ioan. Douiat*, op. cit.

exibent, non praeceptive quae non continent nisi meram indicationem rerum quae in titulis comprehenduntur (1).

Summaria sunt breves propositiones supra singula capita inscripta, quae summatim canones exponunt sub titulis vel rubricis inclusos (2).

Glossae sunt commentaria seu explicationes quae ordinario in margine extant (3).

Notae sunt breves adnotationes quae ad calcem uniuscuiusque paginae solent recenseri, ut nempe variantes lectiones significentur.

24. De ratione allegandi corpus iuris.

1.° Textus ex libris Decretalium allegantur:

a) Expresso verbo initiali capitis et inscriptione tituli (4), in quo caput reperitur; ex. gr. *Caput Sicut Romana de Rescriptis.*

De utilitate autem corporis iuris scribit cl. *Bouix:* « Licet multa immutaverit tum Conc. Trid. tum novae Const. Pontificiae, tum recentiora pro variis gentibus concordata, innumera tamen immota prout in corpore iuris extant remansere. Est praeterea corpus iuris can. fons amplissimus et necessarius adeundus frequentissime in discutiendis plerisque tum circa dogmata tum circa disciplinam quaestionibus: Cum enim omnes per plura saecula scholae et doctores perpetuo ex textibus corporis iuris can. arguerint et doctrinam suam contexerint, ab eo solum intelligi et perpendi eorum argumenta possunt, cui familiaris erit eiusdem codicis usus ».

(1) Sunt praeceptivae ex. gr. *Ne sede vacante aliquid innovetur; Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.*

Non praeceptivae: *De Constitutionibus, De testamentis,* etc.

(2) Summaria addita sunt ex scriptis praesertim *Abbatis Panormitani, Ioannis Andreae, Dominici,* etc. Privatam auctoritatem habent; attamen utilissima fiunt canonibus interpretandis.

(3) Glossae, nomen in finem referunt Doctorum qui eas apposuerunt. Inveniuntur inter communiores, *Bernardus Tancredus, Ioan. Andrea* et alii. Isti utpote privati, auctoritate legali suas interpretationes dotare non potuerunt.

(4) Titulus saepe mutilata inscriptione innuitur; e. gr. titulus qui inscribitur: *Ne clerici vel Monachi saecularibus negotiis se immisceant,* citatur his verbis: *Ne cler.* aut etiam: *Ne cler. vel. mon.*

b) Expresso numero capitis et inscriptione tituli; ex. g. *Cap.* 1, *de Rescriptis.*

c) Expresso verbo initiali, et simul numero capitis, et inscriptione tituli; ex. gr. *Cap. Sicut Romana* 1, *de Rescriptis.* Hoc est: Capite quod incipit: *Sicut Romana,* quodque primum est in titulo de Rescriptis (1).

2°. Textus ex Sexto allegantur eodem modo, addito « in 6 ». Ex. gr. *Cap. Licet de Constit. in* 6, vel *Cap.* 1 *de Const. in* 6 vel *Cap. Licet* 1 *de Const. in* 6.

3°. Textus ex Clementinis possent allegari eodem modo ac Decretales, addito solum: *in Clementinis,* Ex. *g. Cap. Eos qui de consang. et affin. in Clem.* Sed communiter allegatur: *Clem. Eos qui de cons. et affin.* id est: Clementinae capite quod incipit *Eos qui,* in titulo qui inscribitur *De consanguinitate et affinitate.*

4.° Textus ex Extravagantibus possent item allegari addito « *in Extravagantibus.* Ex. gr. « *Cap. Unam Sanctam de Maior. et obed. in Extravagg. Comm.* » Sed compendii gratia: « *Extrav. Unam Sanctam de Maiorit. et obed. inter comm.* ». Hoc est: Constitutiones extra vagantes communes, capite quod incipit *Unam Sanctam,* in titulo qui inscribitur de *Maioritate et obedientia.* Cum deestrvebum *communes* vel *inter communes,* significatur esse Constitutionem Extravagantem Ioannis XXII. Ex. gr. « *Extrav. Cum inter nonnullos de Verborum significatione.* Et significat Constitutio Io. XXII, quae incipit: *Cum inter nonnullos,* in titulo qui inscribitur de *Verb. signif.* ».

5°. Denique Decretum Gratiani sic allegatur. Prima pars citatur expresso numero vel verbo initiali (vel utroque) canonis et numero distinctionis, E. gr. *Can. Miramur dist.* 61; *Can.* 5 *dist.* 61; *Can. Miramur* 5 *dist.* 61. Veteres brevius citabant dicendo: *dist.* 61: *Miramur.*

Pars II citatur expresso vel verbo initiali vel numero (vel utroque) canonis et numero causae et quaestionis. E. gr. *Can. Quia iuxta* 61, *cau.* 16, q. 1 (ubi can.=canone; ca. vel cau.=causa; q. =quaestione); vel can. 61, ca. 16, q. 1. Tractatus *de Poeni-*

(1) Brevitatis causa potest omitti verbum initiale, vel, eo citato, omitti numerus. Veteres tamen solebant apponere vocabulum *Extra,* ad significandum Decretales in hoc opere contentas vagari extra Decretum Gratiani. Recentiores vero solent apponere signum X.

tentia, qui habetur in causa XXXIII, citatur expresso vel verbo initiali, vel numero canonis (vel utroque) et numero distinctionis, additis verbis *de Poenitentia;* v. gr. *Can. Lagrimae* 2, dist. 1, *de poenit.*

Pars III citatur expresso numero vel verbo initiali canonis (vel utroque) et numero distinctionis, addito verbo *De Consecratione*. E. gr. *Can.* 11, *Missarum, dist.* 1, *de Consecr.*: vel brevius *dist.* 1, *Missarum de Consecr.*; id est, distinctione prima, capite quod incipit verbo *Missarum*, parte quae inscribitur de *Consecratione* (1).

CAPUT III.

De iure novissimo.

Ius novissimum constituitur praecipue decretis Concilii Trid. et Vaticani, Bullariis, regulis Cancellariae, variis decisionibus Congregationum romanarum praesertim Congr. Concilii et Rituum atque Concordatis.

25. Concilium Trid. a Paulo III an. 1545 convocatum, continuatum a Iulio III, feliciter absolutum fuit sub Pio IV an. 1563 (2). Sessiones celebratae fuerunt XXV ; ex eius decretis alia dogma spectant, alia disciplinam ideoque decreta reformationis appellata sunt quia vera morum reformatio in hoc concilio prospere perfecta est (3).

(1) Itaque cum vides citatam *distinctionem et canonem*, absque addito, scias citari I partem. Cum vides citari causam et quaestionem, scias citari II partem. Cum et distinctionem et canonem, addito verbo *de Poenitentia* scias citari peculiarem particulam partis IIae, seu tractatum *De Poenitentia*. Cum denique vides citari distinctionem, et canonem, addito verbo *De Consecratione*, scias citari partem III. Cfr. *Sanguineti*, op. cit. n. 42 ; *Ios. Ferrari* I, n. 11 not. 1.

(2) Historiam Conc. Trid. vide in celeberrimo opere Card. *Pallavicini* edito ad confutandos errores *Pauli Sarpi*.

(3) Id minus dicendum de anterioribus Conciliis. De quibus haec

Finis Conc. Trid. duplex: a) confirmandi catholicum dogma contra Protestantes qui minabantur Apostolicae Sedi; b) restituendi collapsam admodum disciplinam, depravatosque in clero et populo christiano mores emendandi (1). Auctoritas Conc. Trid. irrefragabilis est in Ecclesia quae illud habuit velut centrum totius Ecclesiasticae legislationis (2).

26. Concilium Vaticanum apertum fuit a S. P. Pio IX die 8 Dec. an. 1869 et suspensum ab ipso S. P. die 20 Sept. 1870. Constitutiones publicatae sunt: « *Dei filio* » de fide cattolica et « *Pastor aeternus* » prima Constitutio de Ecclesia Christi (3). Scopus Concilii Vaticani sic definitur a Const. « *Aeterni Patris* » qua Pius IX indixit Conc. oecumenicum, 29 Iun. 1868: « In oecumenico enim hoc Concilio ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac statuenda quae hisce praesertim asperrimis temporibus maiorem Dei gloriam et fidei integritatem divinique cultus decorem sempiternamque hominum salutem et utriusque cleri disci-

breviter notanda sunt: Concilium *Pisanum* (1409) pro oecumenico non habetur: *Costantiense* (1414-18), exceptis aliquibus decretis, speciatim quibus superioritas Conciliorum supra Papam statuta est (sess. 4 et 5), qua legitimum agnosci debet. *Basileense* (1431-43) in schisma prolapsum primum Ferrariam (1438) hinc Florentiam translatum est. Denique *Lateranense* V (1517) ac compluribus ac praesertim Gallicanis, licet perperam reicitur. Cfr. *Aichner*, op. cit. p. 52, nota.

(1) Sess. VI, c. 1. De reform.

(2) Quaestio agitatur inter eruditos utrum etiam per consuetudines legitimas derogari possit decretis Conc. Tridentini. Alii negant ut *Pitonius*, Card. *De-Luca*, *Pignatelli*, *Fagnanus*, *Devoti*, Card. *Pitra* et alii. Alii affirmant quia plurima facta ostendunt sententiam antiquam « *contra Conc. Trid. non admittitur consuetudo* » decursu saeculorum vim et veritatem suam amisisse. Ita sentiunt eruditi viri etiam Romae. Cfr. *Aichner*, op. cit. pag. 53.

(3) Cfr. *Cecconi*, Historia Conc. Vaticani; cfr. Acta et decreta sacr. oecum. conc. Vaticani in quatuor sessionibus. Vol. I; *Martin*, Omnium Conc. Vatic... documentorum Collectio, edit. 2.

plinam solidamque culturam, atque eccl. legum observantiam morumque emendationem et christianam iuventutis institutionem et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt » (1).

27. De Bullariis.

Bullaria sunt Collectiones Constitutionum RR Pontific. Primum Bullarium incepit *Laertius Cherubinius* (an. 1586) et perfectum fuit ab ipsius filio Angelo M. Cherubino monaco Cassinensi, qui illud edidit in quatuor volumina complectens Constitutiones a Greg. M. ad Inn. X. Opus prosecuti sunt fratres minores de observantia *Ioannes* et *Paulus* qui illud produxerunt usque ad Const. Clementis X, et deinde *Hieronimus Magnardus* usque ad Clem. XII. Etiam Benedictus XIV suas Constitutiones in unum colligi curavit; et haec Collectio cognoscitur sub nomine Benedicti XIV (2).

Bullaria, excepta prima parte Bullarii Benedicti, (quod promulgatione authentica ab ipso auctore munitum fuit), legalem uactoritatem non habent (3).

28. De regulis Cancellariae.

Regulae Cancellariae sunt species quaedam Constitutionum quas dederunt Pontifices ut iisdem Cancellaria Apostolica regeretur in expediendis praesertim causis beneficialibus et iudicialibus. Ab antiquitate nulla Collectio extitit;

(1) Cfr. etiam *Hergenroether*, Histor. Eccl. tom. 7, epoc.. IX, c. I, n. 136.

(2) Est insuper notanda *Bullarii continuatio* per D. *Barberi* a Clem. XIII ad Greg. XVI. Romae 1835. Item Bullarium per D. *Tomasetti* a Leone M. ad an. 1740. Aug. Taur. 1857, Hujus supplementum prodiit Neapoli, series 2, tom. X, an. 1885. Posteriorum Pontificum, nominatim Pii IX et Leonis XIII latarum Constitutionum factae non sunt authenticae Collectiones. Acta tamen Pii IX collectae inveniuntur Romae apud typ. Bonarum artium; et Leonis XIII typis Vaticanis eduntur.

Extans etiam Bullaria ordinum religiosorum, ex. gr. Bullarium ordinis FF. Praedicatorum et Minorum Capuccinorum.

(3) Cfr. *Bouix*, op. cit. p. III, c. 16, n. 41.

sed sola traditione vigebant. Primus fuit Ioann. XXII qui scripto mandari curavit et pontificia auctoritate confirmavit. Sequentes Pontifices eas ampliarunt, donec hodie LXXII numerantur.

Regulae Cancellariae vim habent quousque vivit S. Pontifex et expirant Sede vacante. Attamen novus Pontifex eas innovare et confirmare solet (1).

Nota — De decisionibus RR. Congregationum et de Concordatis videndum in sequentibus libris.

APPENDIX.

De Regulis iuris.

29. Quae in philosophia et theologia *axiomata* dici solent, in medicina *aforismi*, in iure sive civ. sive can. appellantur *regulae*.

Ipsae definiuntur: « Sententiae quaedam generales legum vel canonum plurium summam paucis complectentes ».

Regulae aliae *authenticae*, aliae *doctrinales*. Authenticae, si vim et auctoritatem legis habent ut regulae insertae in Decret. Greg. IX et in sexto; doctrinales quae a canonistis veluti axiomata iuris inventae et usurpatae sunt (2).

(1) Unde ait *Riganti*, Comm. in Regulas, Constit. Ord. Cancell. Apost.: « Hujusmodi Constitutiones et Regulas vim legis habere, esse ad instar Constitutionum, atque hodie ad stabilem legem edictumque perpetuum pervenisse ».

(2) De regularum auctoritate observat *Reiffenstuel*, De reg. iuris, proem., n. 13: « Non obstante quod regulae patiantur fallentias, semper tamen censetur maxima utilitas earum; atque perutile regulas iuris legere et relegere, easque quamtumvis fieri potest, memoriae mandare, atque pro decisione causarum et casuum allegare.... tum quia cunctae regulae pro adiutorio memoriae compendiosam notitiam iuris praebent; tum quia iuxta eas deciduntur casus emergentes qui a iure speciatim et expresse non sunt decisi, cum tales casus decidendi sint per similia.

Cum tamen non instituatur regula sine exceptione, adnotamus heic exceptionem a regula tres praecipuos effectus sortiri posse:

I. *Exceptio non ampliat sed restringit regulam*, limitat scilicet universalitatem regulae saltem respectu ipsius casus excepti.

II. *Exceptio declarat regulam*, demonstrat enim eius naturam et vim.

III. *Exceptio firmat regulam*, id est ratione habita ad casus non exceptos.

Regulae praecipuae in Decret. antiquis.

30. I. *Omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur.* Valet in contractibus et obligationibus moralibus a voluntate contrahentium dependentibus, quae sicut per mutuum consensum constituuntur, ita mutuo consensu dissolvi possunt. Fallit in his quae sunt iuris divini, ut matrimonia et caetera sacramenta, iuramenta, vota.

II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent.* Valet in actibus indifferentibus et in genere suo permissis. Fallit in delictis, et actibus in genere suo malis.

III. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Valet in lege positiva praesertim humana; fallit in lege naturali.

IV. *Non potest esse pastoris excusatio si lupus oves comedit et pastor nescit.* Valet contra ignorantiam vincibilem et incuriam Praelatorum.

Regulae praecipuae in Sexto Decretalium.

31. I. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Vim non habet in iure civili si agatur de praescriptionibus longissimi temporis 30 vel 40 annorum.

II. *Sine possessione praescriptio non procedit.* In rebus corporalibus possessio esse debet de facto et de iure; in rebus incorporalibus sufficit quasi possesio. Cfr. Theol. mor. tract. De Iust. et Iure.

III. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Impossibilitas esse potest *a natura*, *de facto* et *de iure*. A natura ut ex. gr. hominem volare; de facto, ut a mendico dari mille aureos; de iure, respectu actuum quae sine peccato fieri non possunt, ut obligari ad furandum, fornicandum etc.

IV. *Privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum persona.* Non potest ergo transmitti ad haeredem vel ad aliam personam.

V. *Semel malus, semper praesumitur malus.* Valet in delictis eiusdem generis.

VI. *Ratum quis habere non potest quod ipsius nomine non est gestum.* Valet in delictis, in obligationibus, in praeiudiciis et in genere in rebus odiosis.

VII. *Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est.* Fallit quando agitur de libertate, de valore matrimonii, de dote, de testamento.

VIII. *Ignorantia facti non iuris excusat.* Ignorantia *facti* tum habetur cum quis sciendo legem nescit talem actum esse legi contrarium. *Iuris* cum quis leges communes ignorat. Regula valet in foro externo; nam in foro interno, coram Deo semper excusat ignorantia invincibilis.

IX. *Odia restringi, et favores convenit ampliari. Odia* hic significant poenas, obligationes, privilegia, dispositiones contrarias iuri communi vel iuri tertii. *Favores* indicant gratias, conceptiones etc. nemini nocivas.

X. *Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit.* Si res tamen maneat in eodem statu quo ab initio.

XII. *Scienti et consentienti non fit iniuria neque dolus.* Valet in rebus et iuribus privatis.

XII. *Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Idest extendenda non sunt ad casus similes, ex eo quod sint odiosa. Cfr. reg. IX.

XIII. *Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.* Si communitatem tangit, approbari debet a Capitulo; si singulas personas, requiritur singulorum consensus.

XIV. *In obscuris minimum est sequendum.* Minimum scilicet quantitativum, ita ex. gr. minima obligatio, minima poena etc. (Cfr. Theol. mor. De Conscientia).

XV. *Utile non debet per inutile vitiari.* Valet in divisionibus, descriptionibus, limitationibus etc.

XVI. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.* Ita interdicto dominio religiosis, iis prohibetur etiam venditio, donatio, commutatio etc.

XVII. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Ideoque deficiente principali, ordinario et accessorium fallit.

XVIII. *Qui tacet, consentire videtur.* Valet in mere favorabilibus, quae nullum gravamen tacenti afferunt. Fallit in favorabilibus quae onus adnexum habent: ut in sponsalibus, nuptiis, contractibus etc.

XIX. *Praesumitur ignorantia ubi scientia non probatur.* Valet circa facta contingentia quae scire non tenemur.

XX. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* Valet in iuribus et potestatibus subordinatis, non vero in disparatis.

XXI. *Qui prior est tempore, potior est iure.* Procedit in pignoribus et aliis contractibus.

XXII. *Qui sentit onus, sentire debet et commodum, et contra.* Si tamen onera et commoda rei adnectantur ex natura vel ex lege.

XXIII. *In re communi, potior est conditio prohibentis.* Valet in re communi plurimis et singulis, si tamen actus sit in praeiudicio prohibentis. Ex. gr.: Decem habent agrum communem, in quo novem volunt constituere servitutem Titio, decimus, in cuius praeiudicio est actus, reclamat contra: huius conditio utpote prohibentis, est potior.

XXIV. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* Excipe nisi ius aperte resistat possidenti et assistat petitori; ut si religiosi possideant decimas parochiae; tunc enim possessor probare tenetur titulum proprietatis.

XXV. *Potest quis per alium quod potest facere per se.*

Valet in actionibus quas delegatione vel mandato quis perficere potest.

XXVI. *In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Ita ex. gr. concessa confessario facultate confessiones audiendi non intelligitur datam esse etiam potestat. absolvendi a reservatis (1).

(1) Vide de his regulis ampliores declarationes apud *De-Camillis*, vol. I, p. I, c. IV; *Icard*, Praelect. iur. can. Vol. I. Prolegomena, p. 57 et seqq; *Canisium*, Summa iur. can. in App. comm. in regulas, libri VI; *Barbosa*, Axiomata iuris, Glossa magna, *Reiffenstuel*. *Wiestner*, *Foebeum*.

LIBER I.

DE IURE PUBLICO.

Ius publicum ecclesiasticum, ut ex data definitione eruitur, determinat potestatem quae societati eccl. competit ad finem suum consequendum, et iura et officia subiecti eiusdem potestatis.

Agemus ergo in I parte *de Ecclesiae potestate* in se spectata: et in II *de subiecto* in quo illa potestas residet.

PARS I.

DE ECCLESIA.

CAPUT I.

De perfectione iuridica Ecclesiae.

ARTIC. I.

Notio de Ecclesia.

32. Ecclesia a Theologis post Bellarminum (1) definiri solet: *Coetus hominum viatorum unius et eiusdem fidei christianae professione, et eorumdem sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum ac praecipue romani Pontificis* (2).

(1) De Eccl. milit. tom. 3, c. 2.

(2) Cfr. Card. *Mazzella*, Praelect. De Eccl. n. 401.

33. Quoad eius naturam dicimus: Ecclesia est *societas*, *spiritualis*, *supernaturalis*, *suprema*, *iuridica*, *perfecta*.

I. Est *societas* (1) quia quatuor elementis essentialibus societatis constat, scilicet: *multitudine* hominum, morali eorum *coniunctione*, *fine* ad quem conspirant, *mediis* ad finem consequendum (2).

II. Est *spiritualis*, *supernaturalis*, *suprema* quia eius finis, nempe salus aeterna, ut inter theologos divina fide certissimum, est spiritualis, supernaturalis, supremus (3). Atqui finis est nota intrinseca (4) et immutabilis, quae determinat essentiam alicuius societatis et in suo esse eam specificat (5); ergo Ecclesia est spiritualis, supernaturalis, suprema.

(1) Societas definitur: multitudo hominum ea ratione coeuntium ut collatis viribus media sibi comparent ad certum communemque finem assequendum. Cfr. *Taparelli*, Saggio teoretico di dritto naturale, Vol. I, § 301. Ex qua definitione colligitur quatuor esse cuiuslibet societatis elementa.

(2) Vide apud theol. tract. De Ecclesia.

(3) Salus aeterna dicitur bonum supremum tum quia nullo pretio comparari potest: « *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* » Matth. XVI, 26; tum quia dirigit supremas relationes hominum cum Deo: « *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum* », ad Hebraeos, V, 1; tum denique quia habet caput Christum qui est verus Deus, ad Eph. V, 23. Cfr. *Liberatore*, Del diritto pubblico, c. I, § V.

(4) Finem esse notam intrinsecam et immutabilem quae singulis societatibus sit unice propria, patet, ait Card. *Tarquini*, op. cit. lib. I, c. I, sect. I, ex eo quod ex quatuor elementis essentialibus, *duo priora* idest multitudo hominum, eorumque coniunctio, quatenus in se spectantur, abstractione facta a fine, sunt communia generi; *tertium* idest *media* non est per se determinatum, insuper aliis etiam potest esse commune; contra vero *quartum*, idest finis in societatum genere est plane indeterminatum, determinatur autem tantum in singulis societatibus, ita ut uniuscuiusque sit unice proprium. Ergo ex fine tantum essentia societatum determinari potest. Quae vero societates inter se distinctae sunt, et nihilominus eundem *adaequate* finem habent, eae sunt totidem repetitiones eiusdem societatis, quae non *natura* sed *numero* distinguuntur.

(5) Unde notum adagium « Societates sunt, ut fines ».

III. Est *iuridica*. Et revera: Societas iuridica illa dicitur quae membris constat iuridice erga ipsam obligatis vel ex lege, vel ex pacto (1). Atqui lex divina et necessitas finis urget omnes Christi fideles Ecclesiae Christi adscribi. « *Euntes docete omnes gentes*, ait Christus, *baptizantes eos etc.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* ». Et: « *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur* ». Ergo etc. (2).

Esse autem perfectam per propositionem probamus.

34. Prop. — **Ecclesia est societas perfecta.**

Societas perfecta dici debet « quae est in se completa, adeoque media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet » (3); vel aliis verbis « quae est in suo ordine sibi sufficiens et independens ». Idest tendit ad

(1) E contra societas pure moralis est ea in quam ad unum honestum finem coeunt plures, quin ad hanc societatem obbligationem ullam habeant stricte talem ex lege aut ex pacto. Talis esset societas litteratorum, aut academia, societas commoediorum.... qui nullo ligantur iuridico vinculo ad ipsam. Cfr. *M. De Luca*, Inst. Iur. publ. eccl. Vol. I, n. 41.

(2) Cfr. *Liberatore*, Diritto pubbl. c. I, art. I, § 1, 2, 3, 4; *Cercià*, Lezioni di Diritto, vol. I, p. I, lez. 4.

Aliam demonstrationem profert Card. *Cavagnis*, op. cit. I, n. 211: « Illa est societas perfecta quae fundata est ab eo cui potestas erat eam instituendi et proinde ei tribuendi ius existendi et vivendi seu operandi conformiter proprio fini; atqui huiusmodi est Ecclesia; fundata enim est a Christo Domino, cui « plenitudo potestatis collata est in coelo et in terra. (Matth. XXVIII, 18). Ergo. etc. ».

(3) Consonat cum data definitione notio quam de societate perfecta exibet *S. Thomas*, 1, 2, q. 90, ar. 3 ad tertium..... « Illa erit perfecta communitas quae ordinatur ad hoc ut homo habeat sufficienter quidquid est necessarium ad vitam ».

Et *Aristot.*, l. 1, Politic. « Perfecta autem societas ex pluribus viribus conflata civitas est, quae ad summum iam, ut ita dicam, omnis copiae culmen pervasit, sibi plane sufficiens, orta quidem vivendi causa, constans autem bene vivendi gratia ».

finem qui non est subordinatus alteri eiusdem naturae, nec est pars universalioris eiusdem generis seu valoris (1).

35. Ecclesia est perfecta

A) *natura sua.*

Probatur I: quia est *suprema;* nam eius finis, nempe felicitas supernaturalis, non est pars alterius finis nec ad alium ordinatur cum sit ultimus ad quem omnes alii fines subordinari debent. Cum ergo ius habeat, ex divina ordinatione, ad finem illum supremum, ius etiam habere debet ad media necessaria ad eundem finem consequendum; et proinde ea omnia aut realiter, aut virtualiter, illa scilicet exigendo ab alia societate, in semetipsa possidere. Est igitur perfecta.

Probatur II: quia est *supernaturalis.* Et sane: si societas supernaturalis non esset in oeconomia mediorum sibi sufficiens, pendere deberet ab alia superiore societate, sicut domus a civitate. Haec autem superior societas esset nonnisi naturalis; atqui repugnat societatem supernaturalem pendere a naturali, ut repugnat maiorem pendere a minori. Ergo etc.

Insuper: si societas supernaturalis disponere non posset de omnibus bonis proportionatis ad suum finem consequendum independenter ab alia societate, ea sumere deberet a societate inferiori et naturali; atqui societas inferior et naturalis suppeditare non potest media proportionata ad finem supernaturalem quia esse debent et ipsa supernaturalia. Ergo etc. (2).

(1) Unde *Doctor Angelicus,* 2, 2, q. 99, a. 3: « Societas perfecta est ea quae non est alterius pars, quaeque finem non habet ad alterius finem (in eodem genere) ordinatum, adeoque sit independens et in se completa. Unde consequitur quod media ad sui conservationem propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa habere debet ».

(2) Nec dicas homines ex quibus constituitur Ecclesia, opus habere rerum materialium: etenim distinguendum est inter media per se sussidiaria et media intrinseca et operativa respectu finis.

B) *positiva voluntate fundatoris.*

36. Thesis fuse probatur a Theologis: heic quaedam tantum generalia principia in mentem revocamus.

I. *Ex sacra scriptura:* Matth. XVI, 18, 19: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis ». Atqui si Ecclesia penderet ab alia societate, super ipsam fundata esset et non super Petrum. Item non omnia solvere vel ligare posset, non saltem quae ab alio pendent (1).

II. *Ex traditione* quae eruitur *a*) *ex testimoniis Patrum* qui Ecclesiae potestatem tribuunt propriam et incircumscriptam. Ita ex. gr. *S. Gregorius Naz.*, orat. 17 ad Theodosium: « Te quoque imperio meo et throno lex christiana subiicit. Imperium enim et nos quoque Episcopi gerimus: adde etiam praestantius et perfectius »; *Ioann. Damasc.*, orat. I, de imag.: « Ne tentes, imperator, ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim Apostolus: *quosdam quidem posuit in Ecclesia Apostolos....* non autem dixit *regem* »; *Stephanus VI* imperatori Basilio: « Datum est tibi curare ut iustitiam ministres subditis tuis.... Gregis vero cura nobis commissa est tanto praestantior quanto distant a coelo ea quae in terra sunt ». Item *Isidorus Pelusiota*, l. 3, ep. 246; *Ioann. Chris.*, homil. 15 in 2 ad Cor. n. 3, 4; *Ambrosius*, *Augusti-*

Independentia autem alicuius societatis ex sufficientia mediorum intrinsecorum et non subsidiariorum deducitur; ut independens dicitur paterfamilias etiam si auxilio servorum indiget. Cfr *Liberatore*, op. cit. § IV.

(1) « Si Ecclesiae potestas, ait Card. *Mazzella*, in tract. de Ecclesia, a civili potestate penderet, haec iure posset impedire quod Ecclesia statuit; at si iure illud impediret, Deus non confirmaret id quod Ecclesia statuit: falsa ergo esset universalis illa affirmatio, quod ligatur aut solvitur in coelis quodcumque Ecclesia ligat aut solvit in terris ».

nus, *Fulgentius* et alii plures (1); *b*) *ex confessionibus* ipsorum imperatorum ex. gr. *Constantini* (2), *Valentiniani I* (3), *Honorii* (4), *Iustiniani* (5) et *Ludovici VII* Galliorum regis qui de Friderico Æenobarbo reluctante potestati Ecclesiae ait: « An ignorat, Christum Petro et per eum universis successoribus eius, oves suas pascendas commisisse?.... (6); *c*) *ex definitionibus Ecclesiae.*

Ita Const. Dogm. Ioann. XXII « *Licet* » X Kal. Nov. 1327 adversus errores Marsilii Patavini de quo infra; *Bulla coenae* (licet substituta sit ei Pii IX Const. « *Apost. Sedis* ») quae tot, ait *Tarquini*, habet auctores et confirmatores quot sunt Summi Pontifices saltem a Martino V usque ad Clem. XIV; Const. Clem. XI « *Nova semper* » 29 Nov. 1714; Const. Pii IX « *Probe nostis* » 9 Mai. 1859. Adde Alloc. Pii IX, 17 Dec. 1866 et prop. Syllabi n. 19, 23, 24, 54 (7).

37. Corollarium. — Ergo Ecclesia est societas distincta et prorsus independens a societate civili.

38. **Obiicies.** Ecclesia est in republica; atqui pars suo toti tamquam maiori subordinari debet. Ergo Ecclesia pendet a Statu.

R. Ecclesia est in republica *formaliter* ita scilicet ut sit pars omogenea eiusdem, *nego;* quia finis eius est distinctus et superior. *Materialiter* autem, *distinguo*: si sermo sit de singulis fide-

(1) Cfr. cl. *Rosckovany*, Mon. cath. pro independ. potest. eccl.

(2) *Rufinus*, Hist. Eccl. lib. I, c. 2; *Eusebius*, l. 3 de vita Constantini.

(3) *Sozomenus*, Hist. Eccl. l. 6, c. 7.

(4) Cfr. epist. ad fratrem *Archadium*.

(5) In Nov. VI.

(6) *Baronius*, ad ann. 1162, n. 10.

(7) Cfr. *Tarquini*, op. cit. n. 45; *M. De-Luca*, ius publ. n. 45; *Cavagnis*, op. cit. I, c. II, ar. V; *Solieri*, Iuris publ. eccl. Elementa, l. II, art. I. Item si vis consule *Bellarm*. Tract. de Eccl. lib. de laicis, c. 17; *Suarez*, De legibus, lib. IV, c. 1 et 8 et Defens. Fid. lib. III, c. 6 et seqq.; *Zaccaria*, Diss. inscripta: Rendete a Cesare etc.

libus aut de ecclesiis particularibus *conc.*, sed thesi nostrae nihil officit; si de Ecclesia universali, *nego* ut patet.

ART. II.

De potestate Ecclesiae.

39. Ex regula generali tota potestas quam vi suae naturae societas perfecta habet in suos, consistit in iure exigendi quae necessaria sunt ad finem plene assequendum (1). Atqui ad finem plene assequendum tria haec tantum requiruntur: 1° ut media quae ad finem conducunt obligatorio modo proponantur; 2° ut quae proposita sunt, rite, i. e. iuxta eum modum ac sensum quo fuerunt proposita, applicentur; 3° ut renuentes eadem applicare, vi adhibita, cogantur, impedientes coercentur: ex quibus primum constituit potestatem *legiferam*, alterum *iudiciariam*, tertium *coactivam*. Ergo potestatis divisio, quam vi suae naturae societas perfecta habet in suos, in legifera, in iudiciaria et coactiva continetur.

His praemissis dicimus Ecclesiam triplici hac potestate gaudere, legifera scilicet, iudiciaria et coactiva.

PROP. I. — **Ad Ecclesiam pertinet potestas legifera.**

Ecclesia ut societas iuridice perfecta, ad finem communem (2) membra movere debet. Atqui ut omnes ad finem communem efficaciter movere possit necesse est, ob humani intellectus diversitatem et voluntatis incostantiam indomitumque cupiditatum aestum in qualibet agentium multitudine, ut membra ad eundem finem dirigat quibusdam re-

(1) Cfr. *Tarquini*, op. cit. art. I.

(2) « Non idem est, ait *S. Thomas*, De regim. Principum, l. I, c. I, quod proprium est et quod commune. Secundum propria differunt, secundum commune uniuntur. Diversorum autem, diversae sunt causae. Oportet igitur praeter id quod movet ad proprium bonum uniuscuiusque, esse aliquid quod movet ad bonum commune multorum ».

gulis quae vim habeant rationabiliter compellendi fideles ad agendum in ordine ad finem.

Aliis verbis, necesse est ut, statutis mediis proportionatis ad finem consequendum, omnes obliget ad eadem media adhibenda. In hoc vero consistit potestas legifera; ergo Ecclesia ius habet statuendi leges (1).

Confirmatur a) *ex verbis explicitis I. Christi:* « Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra »; « Sicut misit me Pater et ego mitto vos » Ioan. XX, 21; « Quaecumque alligaveritis etc. » Matth. XVII, 18; b) *ex definitionibus* Conc. Trid. c. 20, sess. 6 et c. 8 de bapt. sess. 7, ubi anathematizantur qui « dixerint homines baptizatos liberos esse ab Ecclesiae praeceptis, ita ut ea observare non teneantur, nisi sponte submittere illis se voluerint »; c) *ex praxi constanti Ecclesiae* cuius fidem faciunt Act. XV, 28, et Corpus iuris can. quod Collectiones iuris authenticas et quasi authenticas continet; nec non continuae leges canonicae (2).

(1) Nec dicas legem evangelicam sufficere; nam, ut bene notat *Bellarminus*, Controv. tom. I, De Rom. Pontif. lib. IV, c. 16: « Quaemadmodum in republica civili necessariae sunt leges civiles, quae sunt quaedam quasi conclusiones deductae ex iure naturae, vel determinationes iuris naturae: sic etiam in Ecclesia praeter legem evangelicam, sunt leges ecclesiasticae, quae sunt etiam veluti conclusiones deductae ex principiis Evangelii, vel determinationes ».

(2) Falso igitur asserit *Cadorna*, senator italici regni, *Nuova antologia*, 2 serie, V. 33, p. 466: « Nelle cose morali la Chiesa non fa nè può fare se non queste due cose, cioè in fatto di dottrina morale definisce dommaticamente la legge al fine di mantenere la purità e l'unità; e in ciò è infallibile. In fatto poi di applicazione e di esecuzione della medesima col mezzo degli atti umani, istruisce, ammaestra ma non comanda, nè può comandare ». Quem iam praeiverat Lutherus, de captiv. babil. c. I, de bapt., impudenter quaerens « quo iure Papa super nos leges constituit? Quis dedit ei potestatem captivandae libertatis nostrae per baptismum nobis donatae? ».

40. Prop. II. — **Ad Ecclesiam pertinet et potestas iudiciaria.**

Ecclesia, ut vidimus, ius habet statuendi leges; atqui vanae evaderent leges si omnibus fas esset eas pro libitu ad proprias actiones applicare atque ad sensum suum retorquere. Debet ergo ipsa Ecclesia verum et iustum sensum legum declarare, cum sit ipsa unica interpres legum a se latarum; et insuper iudicare utrum actiones sociorum conformes sint sensui vero legum suarum. Sed ius declarandi seu proponendi quaenam subditorum actiones in concreto sint iuri conformes, quaeque eidem difformes, et effectus legitimos eiusdem conformitatis aut difformitatis, est potestas iudicialis; ergo etc.

Confirmatur a) *ex S. Scriptura:* « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis » Matth. XXVI, 18. Atqui duobus modis auctoritas ligare et solvere potest subiectos, per leges scilicet vel per iudicia; imo magis per iudicia ob eorum proximam relationem ad actus individui (1). Ergo Christus etc. Item *Paulus*, I, Tim. V. 19: « Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus ». Atqui accusatio non defertur nisi ad iudicem et ad iudicem testes offeruntur. Ergo etc.

Confirmatur b) *ex perpetua praxi Apostolorum* ut patet ex epist. *Pauli*, I Cor. IV, I8; II, X, 6 et seqq.; Thessal. II, III, 14 (2).

(1) *Liberatore*, op. cit. cap. II, § II.

(2) Idem de successoribus testatur *Cyprianus*, Epist. ad Cornelium apud Labb. tom. I, collect. 716, ed. ven.: « Nam cum statutum sit, inquit, omnibus nobis et aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum...... oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohaerentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatorem habere et testes sui criminis possunt ».

41. Prop. III. — **Ecclesiae competit potestas coactiva.**

Potestas coactiva dicitur ius vim phisicam adhibendi in personas ad consecutionem finis socialis.

Ad consecutionem finis media alia *moralia*, alia *phisica* sunt. Moralia rationi ostendunt necessitatem agendi et voluntati hanc moralem seu rationalem necessitatem imponunt; haec praestat efficacissimo modo lex generaliter, et sententia iudicialis et praeceptum magistratus pro particularibus negotiis ac personis. Phisica consistunt in vi quae et ponit media quae erant ponenda et removet obstacula quae erant non ponenda et restaurant ordinem laesum. Haec vis semper est phisica sive sit materialis, sive spiritualis, dummodo sit externa socialis; et deficiente bona voluntate sociorum unicum medium ideoque necessarium ad finem consequendum fit (1). Atqui si est medium necessarium ad finem, profecto competit Ecclesiae quae ut societas perfecta ius habet ad omnia necessaria ad finem plene consequendum. Ergo etc.

Confirmatur: Potestas legislativa et iudiciaria competunt Ecclesiae; sed haec sine coactiva inefficaces forent; quid enim possent contra homines invitos et contumaces? (2).

(1) Cfr. *Cavagnis*, op. cit. vol. I, c. II, a. 2, n. 123; *Fleury*, Inst. du droit eccl., liv. II, chap. I.

(2) Unde *Suarez*: « Potestas ad puniendos malefactores est necessaria in omni republica bene instituta, ad eius conservationem et bonum regimen. Quod adeo evidens est, ut, seclusa etiam fide et revelatione divina, ex vi rationis omnes homines intellexerint hanc potestatem esse connaturalem et datam ab Auctore naturae, eo ipso quod homines in corpus mysticum unius reipublicae congregantur. Sed Christus Dominus instituit Ecclesiam ut esset unum corpus mysticum per unam fidem, perducendum ad unum supernaturalem finem. Ergo reliquit in illa potestatem ad puniendos et coërcendos malefactores, qui maxime huic corpori nocere possunt, et ab illo fine quo tendit perturbare ». Tract. de fide, disp. XX, sect. III.

Cfr. etiam *Tarquini*, op. cit. § III; *M. De Luca*, Ius publ. p. 140 et seqq.; *Zaccaria*, Diss. inscript. « Comandi chi può » ecc. n. XXII usque ad finem; et *Bianchi*, Della esterior polizia della Chiesa, lib. I, c. V, § VI.

Ex his apparet qualis origo, fundamentum et finis poenarum (1); necessitas scilicet tutelae ordinis socialis et conservatio huius ordinis ne consecutio finis communis impossibilis ex toto vel ex parte deveniat.

42. Prop. IV. — **Ecclesiae competit ius infligendi poenas etiam corporales.**

Contra ius Ecclesiae inferendi poenas temporales insurrexerunt plures adversarii (2) dictitantes vel Ecclesiam esse societatem spiritualem et proinde media tantum spiritualia adhibere debere; vel carere Ecclesiam vi materiali qua opus est ad poenas temporales infligendas; vel repugnare Ecclesiae quae charitate et mansuetudine regenda est, exercitium huius potestatis.

Stat vero doctrina catholica, Ecclesiae hoc ius semper vindicans.

Ioannes XXII bulla dogm. adversus Marsilium Patavinum scribit: « Adhuc constat sicut legitur in Mattheo (3), quod si aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiae noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excomunicationis sententiam compellere potest, quae quidem potestas est utique coactiva. Circa quod est animadvertendum quod cum excomunicatio maior, nedum excomunicatum a perceptione sacramentorum removeat sed etiam a communione fidelium ipsum excomunicatum excludat, corporalis est a Christo coactio Ecclesiae permissa ». Et damnat, hanc Marsilii propositionem: « Tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva nisi concedat hoc imperator ».

Concilium Tridentinum, sess. VII, de bapt. c. XIV: « Si

(1) De notione et divisione poenarum videbimus in iure privato.

(2) Donatistae (saec. V), Marsilius Patavinus (saec. XIII), Albigenses, Waldenses et moderni liberales.

(3) *Matth. XVII:* « Si Ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus, et publicanus ».

quis dixerit.... nec alia poena ad christianam vitam cogendos (fideles) nisi ut ab Eucharistia, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur donec resipiscant, A. S. ». Item in sess. XXV, c. 3, de ref. ubi Episcopis memorat uti licere in causis civilibus etiam poenis temporalibus, ex. gr. *multa pecuniaria, captione pignorum, personarumque districtione* etc.

Pius VI in Const. dogm. « *Auctorem fidei* » damnat propos. IV pseudo-synodi Pistoriensis asserentem « abusum fore auctoritatis Ecclesiae... exigere per vim subiectionem suis decretis » (1).

Pius IX in Const. « *Ad Apostolicae* » 22 Aug. 1851 errorem *Neponuceni Nuitz* « Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam » refellit.

Et descendit ut Corollarium ex dictis superius: Nam si Ecclesia utpote societas perfecta ius habet determinandi media pro necessitate finis; et si mediis spiritualibus continere non potest eos qui ordinem socialem perturbare conantur, profecto propriae securitati consulere debet mediis efficacioribus. Et cum experientia testetur perversos homines poenas spirituales spernere et maxime pertimescere corporales, opportunius eas adhibet ad contumaces et rebelles coërcendos.

43. Ad difficultates autem respondimus:

Ad 1. Ecclesiam esse societatem spiritualem quoad finem *conc.*; quoad materiam seu quoad membra quibus constat *nego*; siquidem non mere spiritibus sed hominibus constat. Mediis autem spiritualibus uti debet, i. e. eiusmodi quae proportionem habeant ad finem spiritualem obtinendum, *conc.*; quae in se et natura sua sint tantum spiritualia, *nego*. Qui enim plane non desipiat novit homines (quorum quippe spiritus coniunctus est corpori) moveri et corrigi et coërceri denique ad finem, licet spiritualem, mediis tantum spiritualibus non posse (2).

(1) Item *Ben. XIV* in brevi « *Ad assiduus* » contra P. La Berde negantem Ecclesiae competere potestatem et in specie ius inferendi poenas temporales. Cfr. *Fernandes-Concha*, Derecho publ. eclesiast.

(2) Cfr. *Liberatore*, op. cit. c. II. ar. V, § III; *Tarquini*, op. cit. ar. I, n. 47; *Taparelli*, op. cit. nn. 1432-1486.

Ad 2. **Ecclesiam vi materiali pollere** eo quod ius habet illam *imperative* exigendi a societate civili utpote sibi subordinata. Quamvis igitur Ecclesia vi materiali re et formaliter careat, virtualiter eam possidet, scilicet virtute morali iuris sui (1).

Ad 3. Esse proprium charitatis ut succurrat potius toti societati quam paucis individuis, et praesertim ut defendat innocentes a noxis. « Non est contra mansuetudinem Ecclesiae, ait *Bellarminus*, de Laic. lib. 3, c. 22 ad XVI, quia tenetur misereri filiorum suorum, et tunc vere immitis et crudelis esset si mallet parcere lupis quam ovibus » (2).....

44. Scholion. — **De Tribunali Inquisitionis.**

Ecclesiae, ut demonstravimus, competit ius infligendi poenas temporales, et proinde poenas pecuniarias, publicationem bonorum, relegationem, exilium, carcerem, fustigationem et etiam poenas capitis. Nunquam tamen usa est poena capitali, nec mutilatione, neque atrocioribus vexationibus (3).

Sed heic contra ut terribile spectrum nobis ab adversariis obiicitur tribunal Inquisitionis. Breviter igitur videndum de eius origine, iure existendi et modo procedendi.

45. **Origo** — Inquisitio ut tribunal fidei coepit an. 1281, quum Concilium Veronense Episcopis Longobardiae praecepit

Hinc diluitur etiam sofisma *Vincentii Bolgeni*, (Cfr. op. Dei limiti della podestà eccl. e civile) qui affirmabat Ecclesiam posse tantum poenas inferre auferendo bona quae ipsa dedit, scilicet spiritualia. Nam Ecclesia est societas hominum quatenus ipsae personae ei adscribuntur, cum tota sua activitate et omnibus suis bonis. Cfr. *Cavagnis*, op. cit. I, n. 232.

(1) Hoc sensu explicant DD. locum *Lucae XXII*, 35 « Domine ecce duo gladii » docentes in iis duobus gladiis duplicem potestatem Ecclesiae figuratam esse. Ita ex. gr. *Bernardus*, (in lib. IV de Consid. c. IV) et *Bonifacius* VIII in Cost. « *Unam sanctam* », et prius Inn. III.

(2) Hac de re legenda *Augustini* verba in libr. contra Fulgent. Donatist. c. 23, V, can. 13, 14, 16, c. 23, q. 8.

(3) Cfr. *Vittadini*, Diritto pubbl. eccl. vol. 2, pag. 310 et seqq.; *Nannetti*, Gius pubbl. eccl., vol. 2, pag. 185 et seqq.

ut haereticos quaererent et si pertinaciter in errore persisterent eos ad civiles magistratus, qui illos punire debebant, traherent. Ineunte saec. XIII Inn. III primum inquisitione usus est contra Albigenses qui Galliam meridionalem non modo erroribus sed et ceteris criminibus, homicidiis, incendiis, vastationibus implebant. Anno 1229 Gregorius IX Tolosae Concilium convocavit eadem ratione, et regulae statutae sunt ad haereticos reprimendos. Comes Tolosae has regulas ratas habuit et Inn. IV eas extendit fere ad totam Italiam. Et deinde sensim sine sensu haec Inquisitio ad alias partes Europae propagata est, ut v. gr. in Aragonia et Castella ubi tamen solum an. 1475, petentibus regibus catholicis, concessa est (1).

Denique Paulus III an. 1545 Congregationem S. Inquisitionis creavit quae confirmata est a Sisto V.

46. **Ius existendi** — Certum est Ecclesiae traditum fuisse sacrum depositum revelationis et fidei. Sed frustra revelatio et fides traditae, si unicuique pro libitu eas interpretandi et corrumpendi fas esset. Ecclesiae igitur eo ipso quod depositaria, munus incumbit divinam revelationem sartam et tectam integramque conservandi, et ius ad eam spectat illam defendendi contra eos qui ipsam inquinare conantur, (2) omnibus illis mediis quae magis apta iudicat ad finem efficaciter consequendum.

Adde quod in societate catholica integritas doctrinarum est bonum sociale maximi momenti. Laedit igitur civilem societatem qui exterius haeresim profitetur et docet. Et ideo iis in locis ubi S. Pontifex summa potestate civili potitur, Ecclesia potest, ut auctoritas politica, inquirere haereticos eosque punire iuxta leges.

47. **Modus procedendi** — Ecclesia tamen ut bona mater semper mitis in poenis inferendis et semper a san-

(1) Cfr. *Balmes*, Il protestantesimo ecc. vol. II, p. 299; *Fleury*, Hist. Eccl. l. 73, n. 54.

(2) Cfr. S. *Paul.* II Thess. c. III, v. 14; Galat. c. I, v. 8; S. *Petr.* II, c. III, v. 3 et 17.

guine abhorruit. Primum pluries monebat haereticos qui sese retractantes veniam obtinebant (1); quando autem omnis spes ad meliores sensus eos convertendi evanescebat, SS. Ufficium illos saeculari brachio tradendo ritualem formulam adhibebat « ut quam mitissime punirentur et citra sanguinis effusionem » (2).

Bingham historicus protestans demonstravit poenas haereticis irrogatas, ab initio mitissimas fuisse et ordinario simplices mulctas; postea quando excessus et furores Donatistarum imperatores coërcuerunt ad poenam capitis statuendam contra ipsos, Episcopos longe abiisse ut approbarent talem rigorem et multum industriae adhibuisse apud magistratus ne haeretici poena capitis damnarentur quamvis pluries homicidiis vel aliis facinoribus rei essent (3).

Igitur si aliquando abusus interierunt, hi non ex Inquisitione romana quae imo ut maxima apologia christianae religionis habenda (4), sed ex illis fundatis ob scopum religiosum-nationalem, organizatione potius civili quam ecclesiastica, ut fuit Inquisitio hyspanica quae non iudicabat tantum de criminibus religiosis sed et de pluribus aliis ut de delictis contra naturam, de seductoribus, blasphemiis etc. (5).

48. Nec dicendum SS. Pontifices non reprehendisse hyspanicae Inquisitionis severitatem. Sub ipso Systo IV relationes diplomaticae ruptae sunt hac de causa inter S. Sedem et Regem Hispaniae. Reges etiam curabant impedire appellationes ad S. Sedem cum facile ab ea absolverentur qui in Hispania damnati fuerant (6).

(1) Cfr. *Aloy. Nicora*, Apolog. Inquis. in eph. « La scuola cattolica » fasc. 119 et 120, Nov. Dic. 1882; *Cantù*, Storia degli eretici in Italia, vol. 2. Gli eretici in Toscana.

(2) *Cantù*, op. cit.

(3) Orig. Eccl. Lib. 16, c. 2.

(4) *Balmes*, op. cit. vol. II, pag. 290.

(5) Cfr. *De-Maistre*, L'inquisizione svelata — Lettere ad un gentiluomo russo.

(6) *Cavagnis*, op. cit. c. II, at. VI, § 9; *Balmes*, op. cit. vol. II, p. 292; *Hefelé*, *Ximenes*, *Gams*.

49. Ceterum abusus qui de hyspanica Inquisitione lamentantur, praeterquam quod communes omnibus humanis institutionibus, pro crudelioribus actibus heterodoxorum parvi existimandi sunt. Iuxta *Llorente* qui, nova methodo, combusto archivio, historiam Inquisitionis hyspanicae fabbricavit, tribus saeculis damnati fuerunt ad extremum supplicium circiter 34653 heretici. Quod si ut verum ponamus, nihil mirandum; nam, ut ait Cantù (1), Inquisitio non modo in Hispania sed et in universo mundo non fuit causa damnationis tot delinquentium quot undecim annis (1641-1652), occisi sunt Catholici in Hibernia ab Anglis in odium verae doctrinae (2).

Quid pluris si sub regimine terroris in Gallia, plura centena hominum millia tumultuarie fere et arbitrarie interfecti sunt? (3).

Et novatores nonne suam Inquisitionem habuere ad puniendos adversarios etiam poena capitali (4)? Et ipsi Protestantes eam commendarunt, defenderunt et prae ceteris tribunalibus laudarunt (5).

ARTIC. III.

De praecipuis Iuribus Ecclesiae.

Inter multiplicia iura Ecclesiae praecipua recensemus: ius scilicet *magisterii*, *immunitatis*, *possidendi et administrandi*, *sese organizandi*.

(1) *Cantù*, op. cit. tom. XII, Crociata contro gli Albigesi.

(2) Cfr. *Cobbet*, Storia dello scisma inglese.

(3) *Cantù*, op. cit. tom. XIX, Docum. sub. litt. I.

(4) Vide *Calvinum* in suo libro « Fidelis expositio etc. »; *Melancton*, *Luther*. Cfr. *Rohrbacher*, Storia univ. lib. 84; *Martinet*, Soluzione dei grandi problemi, t. IV.

(5) Cfr. *Schroeckh*, tom. 34, hist. pag. 483 et seqq.; *Ranke*, Principi e popoli, tom. I, p. 242 et seqq.; *Havemann*, etc.

§ I.

De iure magisterii.

50. Ecclesia suam auctoritatem exercere potest vel circa ea quae hominibus credenda sunt (doctrinam); vel circa ea quae agenda sunt (moralem). Hoc ius dicitur *magisterii*.

51. Prop. I. — **Ad Ecclesiam spectat ius docendi.**

Patet *a*) *ex S. Scriptura:* « Euntes ergo docete omnes gentes » *Matth. XXVIII* 18-19; « Praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit etc. » *Marc. XVI*, 16; in Act. XV, 41 de Paulo dicitur: « Perambulabat Syriam.... praecipiens custodire praecepta Apostolorum ».

b) ex *Traditione* practica Ecclesiae quae actibus suis scilicet cathechesibus, conciliis, symbolis perpetuo testata est sibi persuasum esse potestatem docendi a Christo accepisse (1).

c) ex eo quod alioquin imperfectum et irritum foret opus redemptionis. Nam quomodo hominibus applicarentur fructus redemptionis? Non amplius ex immediato oraculo Christi; non per internas revelationes; non per scripturam sacram libero examini relictam (2).

52. Prop. II. — **Magisterium Ecclesiae est iuridicum, scilicet Ecclesia ius habet obedientiam exigendi suis doctrinis.**

Eruitur *a*) *ex verbis Christi* quibus missionem transmittit Ecclesiae docendi in mundo; in mandato enim transfunditur auctoritas mandantis cui « data est omnis potestas

(1) Et revera, si hanc potestatem docendi Ecclesia non accepisset a Christo, tyrannice et iniuste ageret. Ergo Ecclesia per Apostolos inducta et a 18 saec. perdurans, illegitima esset; ergo non esset vera Ecclesia Christi; ergo nulla extitisset unquam, nec existeret nunc legitima Christi Ecclesia. Nulla enim est societas quae historice demonstretur a Christo fundata et per Apostolos propagata quam illa quae dicitur Ecclesia catholica. Cfr. *Bouix*, De princ., p. V, c. V, prop. I.

(2) Haec enim media inepta in Theol. Dogm. demonstrantur Cfr. *Paglia*, tom. II, tract. II.

in coelo et in terra » *Matth. XXVIII*, 18-19. Et confirmatur *ex praxi Apostolorum*. Cfr. Act. l. c.; Rom. X, 10, 15; nec non *ex traditione Patrum.*

b) *ex necessitate fidei* quae est « humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis sine qua impossibile est placere Deo » (1). Sed fides ordinario nisi per doctrinam Ecclesiae. « Fides ex auditu... Numquid non audierunt?.... In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum » (2).

c) ex eo quod alioquin inutiliter prorsus Ecclesiam Christus instituisset; homines enim per se ipsos legitime possent de vera Christi doctrina et de mediis a Christo ad salutem institutis, et de vera morum regula iudicare, et ergo de decretis Ecclesiae et de omni eius actione non curarent (3).

Hoc autem magisterium esse infallibile, est de fide (4) et fuse probatur a Theologis.

53. Corollarium I. — Ecclesia ergo ius habet: *a*) praedicandi catholicam doctrinam et proponendi fidem cunctis gentibus; *b*) mittendi suos Apostolos in universum mundum, independenter a beneplacito saeculari; *c*) removendi obstacula quae doctrinae propagationi adversantur; *d*) approbandi eos qui de religione publice docere valuerint; *e*) prohibendi fidelibus libros qui noxii evadere possunt etc. (5).

54. Corollarium II. — Ad Ecclesiam institutio, cura et moderamen scholarum spectat; nam extra Ecclesiam, fidelium institutio maxime fit in scholis ubi pueri informantur tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem praesertim relate ad finem supernaturalem.

(1) Conc. Trid. sess. VI, cap. 8.
(2) Rom. X, 17, 18.
(3) Cfr. *Bouix*, l. c.; *Liberatore*, op. cit. c. II, ar. II, § I.
(4) Conc. Vatic., sect. 4, Const. 2, cap. 4.
(5) *Cavagnis*, op. cit. Pars. II, spec. lib. II, c. I, art. I et II; *Icard*, op. cit. vol. I, p. I, n. 64, 3°, 4°; *M. De-Luca*, Ius publ. vol. II, c. II, nn. 71, 72.

Ecclesia ergo ius habet: *a*) interdicendi fidelibus scholas laicales frequentare ubi periculum est quoad fidem et morem; *b*) invigilandi ne in scholis quid contra christianam doctrinam edoceatur; *c*) exigendi ut in societate catholica removeantur et puniantur qui ei contrarium aliquid attentaverint; *d*) item exigendi ut in scholis publicis catholicis cum aliis materiis etiam cathechismus tradatur (1); *e*) erigendi seminaria pro clericis qui, ut eiusdem ministri idonei evadant, speciali indigent instructione et educatione (2); *f*) instituendi scholas elementares et gymnasia (3), et universitates (4) pro laicis. Scholae enim et promovent secundario

(1) Cfr. *Taparelli*, op. cit. n. 358.

(2) Ad rem faciunt quae habet Card. *Borromaeus*. De sem. inst. P. III, c. 1: « Sunt igitur ea potissimum de causa seminaria erecta ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum quas suo praetiosissimo sanguine Christus redemit instituantur et ii quidem adolescentes (qui ob aetatem cum tenera sit et proclivior ad voluptates et flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas in operibus virtutum erudiri debent) ut eam vitae perfectionem adipiscantur quae in iis qui doctores populorum futuri sunt elucere debent, et severioribus disciplinae legibus coërcendi. — Unde ex PP. Trid. mente ea omnia diriguntur, ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit ».

Cfr. pariter *Barbosam*, de can. et dign. c. 1. n. 2; *Liberatore*, op. cit., a. IV, § I.

(3) *Leo XIII*, Const. « *Romani Pontifices* », IV idus Mai 1881 praescripsit quae servari debent quoad has scholas erectas ac erigendas a regularibus.

(4) Omnibus notum est studiorum universitates praesertim medio aevo ope RR. Pontificum maxime floruisse. De hac SS. Pontificum sollicitudine praeclare scripsit S. Pontifex Pius II: « Inter felicitates quas mortalis homo in hac labili vita ex dono Dei nancisci potest, non in ultimis computari meretur quod per assiduum studium adipisci valeat scientiae margaritam quae bene beateque vivendi viam praebet et peritum et ab imperito longe facit excellere sua praetiositate, et ad mundi arcana cognoscenda dilucide indicit, suffragatur indoctis, et infimo loco natos inducit in sublime. Et propterea Sedes Apostolica rerum spiritualium et etiam temporalium cuiusvis laudabilis exercitii perpetua et constans adiutrix.... hominibus loca praeparat et opportunae commoditatis auxilia impartitur ».

bonum spirituale et primario bonum temporale discentium et societatis christianae, ideoque obiectum est Ecclesiae saltem sub respectu communis charitatis. Maxime enim conveniens est Ecclesiae promovere quae ad charitatem proximi in ordine temporali referuntur. Adde quod influxus scholarum in bonum spirituale mediocris non est, et ex eis Ecclesiae magna utilitas provenire potest (1).

55. Corollarium III. — Ius est Ecclesiae approbandi ordines atque congregationes religiosas; ipsae enim valde conducere possunt ad sanctificationem plebis christianae: quidquid autem ducit ad sanctificationem societatis christianae, perducit ad Ecclesiae finem qui unice ab Ecclesia pendet. Ergo etc.

56. Corollarium IV. — Ius habet conditiones statuendi pro recta et licita confectione et administratione sacramentorum quae sunt media substantive supernaturalia, ideoque ad finem Ecclesiae exclusive spectantia; et instituendi sacramentalia quae sunt media mediate et partecipative sanctificationis analoga sacramentis (2).

57. Corollarium V. — Ius habet ad illa media ordinanda quibus fideles in accepta sanctificatione continentur et adiuvantur iuxta officia quibus erga Deum devinciuntur et quae reduci possunt *a*) ad loca cultui destinata, nempe Ecclesias; *b*) ad obiecta cultui proposita; *c*) ad utensilia quae ad cultum inserviunt; *d*) ad caerimonias quae cultum dirigunt; *e*) ad tempora cultui distincta; *f*) et tandem ad officia quae cultui praesunt (3).

(1) Cfr. *M. De-Luca*, Ius publ. vol. II, n. 76.
(2) *Cavagnis*, op. cit. Lib. II, c. II, art. II.
(3) Cfr. *Solieri*, op. cit. n. 200; *Cavagnis*, op. cit. l. c. a. III.

§ II.

De iure immunitatis.

A) *De immunitatis natura.*

58. *Immunitas* definitur: « Exemptio a laica iurisdictione competens personis ecclesiasticis et rebus ipsarum, nec non ecclesiis et aliis locis piis » (1).

Ex definitione triplex distinguitur immunitas, scilicet *personalis, realis, localis.*

59. Ex *personali* quatuor privilegia clericis proveniunt: privilegium *fori, canonis, exemptionis, competentiae.*

I. *Privilegium fori* quo clerici conveniri nequeunt coram iudice laico in causis sive civilibus sive criminalibus (2).

(1) Immunitas quasi vacatio a munere prout munus inter alia significat onus cuius remissio seu liberatio immunitatem praestat. *L. Munus* ff. de V. S. et L. I de iur. imm.; cfr. *Delbene,* De imm. et iurisd. Ecclesiae, P. I, c. 1, n. 1.

(2) Cap. *Nullus,* 2, de foro comp.; Cap. *Ecclesia Sanctae Mariae,* 10, de Const.; Cap. *Si iudex,* 12, de sent. encom. n. 6; *Trid.* sess. XXV, c. 20, de reform. et sess. XXIII, c. 6.

Quoad autem originem huius privilegii controvertitur inter DD. Nonnulli cum *Abbate* in c. 12, De const. n. 6; *Fagnano,* c. 19, de Const. n. 10; *Barbosa,* Ius eccl. l. I, c. 29, § 4, autumant ab ipso iure divino clericos a iurisdictione fori saec. immunes esse.

Alii contendunt hanc immunitatem clericorum iure humano positivo proditam esse: ita *Covarruvias,* Pract. q. c. 31, n. 2; *Molin,* Tract. de iust. et iur. disp. 31, n. 11. Sed e duabus extremis media exorta est sententia veritati magis consona, quam hodie post *Schmalzgrueber,* tit. 2, lib. II, n. 98, fere communiter sequuntur canonistae: « hanc clericorum immunitatem immediate quidem esse iuris humani, fundamentaliter tamen et initiative iuris divini ».

Privilegium fori abrogatum fuit in Italia lege *Sicardi,* an. 1850. Notandum tamen, quod haec abolitio facta inconsulta et reclamante Sede Apostolica, damnata fuit a *Pio IX,* in syll. prop. XXXI et in Const. « *Apost. Sedis* » ubi excom. specialiter S. P. reservata infertur contra cogentes etc. Hanc excommunicationem declarat S. C.

II. *Privilegium canonis* (1) quo clerici contra reales iniurias, ecclesiastica poena gravissima delinquentibus intentata, inviolabiles redduntur.

III. *Privilegium exemptionis* quo clerici in ordinariis adiunctis excepti sunt a vectigalibus solvendis, a servitio militari et a muneribus publicis subeundis (2).

Inquis. 23 Ian. 1886 his verbis: « In constitutione Pii IX s. m. quae incipit *Apostolicae Sedis* moderationi IV id. oct. 1869 cautum est, « excommunicationem Romano Pontifici reservatam speciali modo incurrere — *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae* ». Cum de vero sensu et intelligentia huius capitis saepe dubitatum fuerit, haec suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis non semel declaravit -- caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones — Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit; ideoque S. haec Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit.

Ceterum in iis locis in quibus fori privilegium per summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forma laicorum convenire possint: eamque Ordinarii nunquam denegabunt tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori si id expedire in Domino iudicaverint ».

(1) Ita appellatur ex can. XV Concilii oecum. Later. II, an. 1139 sub Inn. II. Cfr. *Labb. et Mansi*, T. X, coll. 999; cfr. *Sanguineti*, op. cit. lib. II, tit. II, § 1.

(2) Cap. *Non minus*, 4, de imm. Eccl.; cap. *Quia nonnulli*, 1, eiusdem tit. in 6°; cap. *Clericis*, 3, h. t. in 6°; cap. *Quamquam*, 4, de censibus in 6°. Ex lege vero civili « 7 Maggio 1865 » clerici nullo

IV. *Privilegium competentiae* quo clerici aere alieno gravati neque libertate privari possunt, neque iis quae ad honestam sustentationem necessaria sunt (1).

Maxima immunitas competit autem S. Pontifici, ut Capiti visibili Ecclesiae. « Prima sedes non iudicatur a quoque (can. 7, d. 21); neque ab Augusto, neque a Clero, neque a populo iudicabitur ». Conc. Rom. sub Sylvestro, cap. 20.

60. *Realis* in eo est ut bona Ecclesiae temporalia a publicis vectigalibus eximantur (2).

Localis consistit in exemptione locorum sacrorum, sanctorum et religiosorum ab iurisdictione civili et usibus profanis.

De hac fusius in iure privato. Hic solum advertimus: Licet de facto hae immunitates, ut plurimum, non amplius subsistant, tamen, nisi speciales pro locis diversis datae sint declarationes, puta per Concordata, ipsae vigent.

Cfr. prop. damnatas in *Syllabo* Pii IX 30, 31 et 32 (3).

B) *De origine immunitatum.*

61. Ad iuridicam immunitatis originem quod spectat tres adsunt sententiae. Alii ex iure mere civili eam repetunt; alii ex iure mere ecclesiastico; alii omnimode ex iure divino.

Nulli ex tribus subscribere possumus. Non primae quam tenent regalistae, quia ea damnata expresse reperitur in Const.

modo subtrahuntur a servitio militari, nisi pro quibusdam minoribus servitiis quae commutantur. Cfr. tamen decl. et inst. S. C. Inq. 16 sept. 1875. Cfr. *Nasoni,* Iuris can. Comp. vol. I, pag. 65.

(1) Cap. *Odoardus,* 3, de solutionibus. Secundum autem ius civile si clericus aere alieno gravatus habeat titulum etiam *patrimonii* (a tertio datum), titulus ipse inalienabilis est; fructus vero tituli sunt insequestrabiles tamquam alimentarii si titulus sit *pensionis.* Cfr. Cod. proc. civ. art. 592.

(2) Olim etiam a iure civili haec immunitas admittebatur. Hodie et hoc privilegium ablatum est.

(3) Cf. *Nasoni,* op. cit. vol. I, membr. II, n. 8.

Pii IX « *Multiplices* » (10 Ian. 1051) (1), et ex ipsa ratione refutatur. Nulla enim potestas virtute propria se extendere debet ultra sphaeram seu limites sui obiecti; atqui clerici et eorum bona, ut vidimus, sunt extra obiectum et iurisdictionem saecularis potestatis, ergo etc. (2).

Non secundae quia consona non videtur communi sentiendo Patrum, Pontificum et Conciliorum (3).

Nec tertiae quia ab ecclesiastica auctoritate procul dubio saltem formam accepit.

Dicendum ergo immunitatis ecclesiasticae fundamentum esse in ipso iure divino, ut patet ex constanti et perpetua traditione (4); sed proxime pendere a lege Ecclesiae. Hoc docet et Tridentinum (sess. XXV, c. 20 de reform.) ubi ait immunitatem ecclesiasticam inductam esse « Dei ordinatione et canonicis sanctionibus » (5).

62. Quoad autem historicam originem, a primordiis religionis christianae eam viguisse fidem faciunt leges imperatorum et testimonia Patrum. Ita ex. gr. Lex *Constantini* relata in Cod. Theodosiano, leg. 16, tit. 2, lib. 7; Lex *Theodosii* in ipso Cod. leg. 26. Et ex Patribus, *S. Ioan. Chrysostomus*, hom. 65 in cap. 47 Geneseos; *Hilarius* in epist. ad Constantium etc. (6).

(1) Haec Const. edita fuit contra librum *Francisci Vigel* Peruani, cui titulus « Defensa de l' autoritad ».

(2) Cfr. *Delbene*, op. cit. c. 5, dub. 8; *Suarez*, Defensio fidei, l. IV, c. 9.

(3) Cfr. *Liberatore*, op. cit. c. IV, a. II, n. 277.

(4) Hanc exemptionem servandam esse in Ecclesia docuerunt et praeceperunt Pontifices et Concilia fere ab initio Ecclesiae usque ad praesentem diem. Atqui quando traditio est constans et perpetua ostendere solet ius divinum. Talis autem videtur traditio huius exemptionis. Ergo etc. *Suarez*, Def. fidei, lib. IV, c. 8.

(5) Item et Conc. Coloniense, Par. IX, can. 20; Lateran. V, sess. IX; Const. *Leonis* X, « *Supernae dispositionis arbitrio* ».

(6) Cfr. *Cavagnis*, op. cit. vol. II, art. III.

§ III.

De iure possidendi et administrandi.

63. *Ius possidendi* descendit ut corollarium ex dictis de natura Ecclesiae. Si enim Ecclesia est societas perfecta, ius habet ad suam conservationem et perfectionem, ideoque et ad media necessaria ad hanc conservationem et perfectionem. Atqui bona temporalia necessaria sunt ad conservationem et perfectionem Ecclesiae quia sine ipsis haberi non possunt ministri, cultus et regimen, ergo etc. (1). Hinc proscripta fuit in Syll. a Pio IX prop. XXVI « Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi ».

Et traditio hoc ius confirmat ut eruitur ex *Act. Apost. IV*, 34, 35; nec non ex actis B. Laurentii martyris, ut narratur in sermone S. Leonis M. in natali S. Laurentii. Nec dicas ex his exemplis solum deduci posse bona tantum mobilia possedisse; non desunt enim monumenta ex quibus sufficienter constat etiam super immobilia Ecclesiā dominium habuisse. Colligitur ex epist. Urbani Papae (an. 227) cap. 1; et habetur in capite 4 « *Vidente* » XII, q. I (2). Item ex epistola imperatoris *Constantini* ad Aulinum Praefectum circa restitutionem Ecclesiae faciendam omnium bonorum quae ab ipsa sublata fuere (3).

64. **Nec obiicias** cum *Bolgeni* et aliis bona materialia subiici per se societati civili ideoque imminui ius societatis civilis

(1) *Mamachi,* Del diritto libero della Chiesa di acquistare e possedere beni temporali, sì mobili che stabili, tom. III. Cfr. *M. De-Luca,* Ius publ. vol. I, p. 152; *Liberatore,* op. cit. c II, art. VI; *Balmes,* op. cit. passim.; et opus « Osservazioni sociali politiche ed economiche sui beni del Clero ».

(2) *Suarez,* Def. fidei, lib. IV, c. 21.

(3) *Eusebius,* Hist. Eccl. lib. X, c. V; *Lampridius,* inter script. hist. Aug. p. 151; *Thomassinus,* De nov. et vet. Eccl. discipl. p. 3, lib. I, c. 3; Cfr. *Vecchiotti,* Inst. can. vol. II, c. I, § 7 et seqq.; *Aichner,* op. cit. pag. 804; *Wernz,* op. cit. tom. III, n. 135 et seqq.

si ad Ecclesiam absque eius beneplacito transeant; nec cum *Wicleffo*, Christum interdicisse Apostolis possessionem bonorum temporalium, ipsis praecipientem: « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris » (1).

Nam quoad 1 respondemus bona temporalia pertinere per se ad societatem humanam quae alia est civilis, alia religiosa, cum utraque eis indigeat. Ceterum etiamsi societatis civilis ius aliquid imminueretur ex transitu eorumdem ad Ecclesiam, nullum inconveniens, cum societas civilis utpote inferior aliquid damni sustinere teneatur in utilitatem superioris scilicet Ecclesiae (2).

Quoad 2 voluntatem Christi non ex locis passim collatis deduci debere, sed ex ipso contextu et traditione. Habet enim *Paulus*: « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere » et denuo: « nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? » (3). Verba ergo Christi (Matth. X, 9) evidenter exprimunt praeceptum temporarium, relative scilicet ad specialem missionem Apostolorum (4).

Adde quod ipse Christus possidebat in communi cum Apostolis, et rebus acquisitis Iudam praefecit.

65. Hinc patet iniustitia legis quam appellant *de manu mortua*, qua ab auctoritate civili vetatur ecclesiis et communitatibus religiosis quidquam communiter possidere, sub speciosa ratione quod defraudetur aerarium, quia ob

(1) *Matth.* X, 9.

(2) *Cavagnis*, op. cit. vol. I, art. VII, n. 369.

(3) 1ª ad Cor. IX, 13, 14.

(4) Cfr. *Liberatore*, op. cit., c. III, art. VI, § II. Ad rem *Bellarminus*, Controv. tom. 2, de membris Eccl. milit. lib. , de clericis, c. 26.: « Ad illud *Matth.* X, 9 etc. respondeo, illa verba dici Apostolis pro eo tempore quo in itinere erant futuri in terra promissionis, ante Christi passionem. Tunc enim ut expeditiores essent, non debuerunt ferre secum quidquam, praesertim cum neque pauperum neque ecclesiarum tunc curam haberent. At ubi coeperunt Apostoli, post Christi ascensionem figere sedes in certis locis, et habere curam ecclesiarum et pauperum, non timuerunt recipere bona temporalia, ut patet *Act.* 4, 5 et 6 ubi Apostolis deferebantur multae pecuniae ut inde alerent se et alios ». Cfr. pariter *S. Thom.* 2, 2, q. CLXXXV, n. 6.

perpetuitatem Ecclesiae et religiosarum communitatum et difficilem alienationem non solvantur tributa extraordinaria successionum. Sed quid absurdius quam in potentioribus domibus plura esse fidei commissa quae manu quidem mortua amplissima bona in eadem linea perpetua retineant, Ecclesiam vero omni possessione, nomine manus mortuae privari (1)?

66. *Ius* autem *administrandi* ex iure possidendi sequitur, cum proprietas etiam definiatur « *ius utendi* ». Ecclesia autem utpote societas perfecta, independens est et sufficiens in sibi consulendo; atqui administratio est medium quo sibi consulere potest, ergo etc. (2).

§ IV.

De iure sese organizandi.

67. Organizatio alia *personalis*, alia *territorialis* dicitur. Personalis eadem est ac hierarchica de qua videbimus ubi de hierarchia iurisdictionis. Heic aliquid de secunda.

Organizatio territorialis in eo consistit ut Ecclesia universalis dividatur in plures ecclesias particulares seu dioeceses quae subdividantur in parochias etc. (3).

Hoc ius organizationis ad Ecclesiam pertinere ex ipsa eius finis natura consequitur. Nam cum finis Ecclesiae sit universalis ut omnes homines comprehendat, fere impossibile esset societatem ita universalem gubernari, nisi inferioribus auctoritatibus potestas communicaretur ac territorium eis, assignatione facta, divideretur.

Atqui si organizatio Ecclesiae perutilis imo et necessaria Ecclesiae fit, profecto ad ipsam spectat, ius enim ple-

(1) V. lib. Sym. apud *S. Ambr.* epist. 17 alias 11. Cfr. *Mamachi* « Negli acquisti delle mani morte » l. 3, c. 2, § 2, n. 4, et tom. 3, p. 302 etc. i. e. l. 2, p. II, c. 4.

(2) Cfr. *Cavagnis*, op. cit. lib. II, quaestio specialis, § 2; *Liberatore*, l. c. § IV.

(3) *Cavagnis*, vol. II, lib. II, c. III.

num et independens habet ad omnia quae ad finem suum consequendum necessaria vel utilia iudicat. Ergo hanc organizationem nemo iure impedire potest.

Hinc Ecclesiae ius est: *a*) instituendi parochias, dioeceses, provincias eccl.; *b*) mutandi fines ipsarum semel constitutos; *c*) vel eas coniungendi, dividendi, dismembrandi, imo et supprimendi; *d*) item concedendi organizationem specialem adsociationibus et ordinibus religiosis, distinctam scilicet a dioecesi divisionem (1).

CAPUT II.

De relationibus iuridicis Ecclesiae et societatis civilis.

ART. I.

De relatione cum societate ortodoxa.

§ I.

Principia generalia.

68. Prop. I. — **In rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis Ecclesia nihil potest in societate civili.**

Ratio est quia ex regula generali quaecumque societas perfecta nihil potest in iis quae sunt extra finem proprium, scilicet quae nullum necessarium nexum habent cum fine eiusdem societatis. Bona autem temporalia per se et sub respectu finis temporalis sunt praeter finem Ecclesiae, cum neque obstent neque ex ipsius iudicio eidem necessaria.

(1) *Solieri*, op. cit. l. III, a. 1.; *Cavagnis*, l. c.; *Giobbio*, Lezioni di diplomazia eccl. vol. 2, n. 569 et seqq.

Confirmatur ex doctrina Pontificum. Ita *S. Gelasius* Papa ad Anastasium imperatorem: « Quantum ad ordinem pertinet publicae (civilis) disciplinae, cognoscentes imperium tibi suprema dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites ». *S. Gregorius M.*, epist. 2, ad Leonem Isaurum: « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet ac dignitates regias conferendi, sic..... ». Item ex Conciliis ut ex. gr. ex *Later.* IV, c. 42 « Sicut non volumus ut iura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici iura sibi vindicent laicorum » (1).

69. Corollarium. — Societas civilis licet catholica exclusive potestatem habet in rebus temporalibus sub respectu finis temporalis independenter ab Ecclesia.

70. Prop. II. — **In rebus quae sive per se sive per accidens iudicio Ecclesiae necessariae sunt ad finem spiritualem, etiamsi temporales sint, Ecclesia potestatem suam iure exercere potest, et civilis societas eidem cedere debet.**

Ratio *primae* partis eruitur ex dictis superius circa naturam Ecclesiae, quod scilicet sit societas non spirituum simpliciter sed hominum anima et corpore constantium. *Secundae* autem ex subordinatione societatis civilis Ecclesiae utpote inferioris superiori. Et revera est theorema generale: « *Potestates sunt ut fines* » (2); atqui finis Ecclesiae, cum

(1) Cfr. pariter varia loca iur. can. quibus haec doctrina confirmatur. Ita ex. gr. c. *Licet*, 10, de foro competenti; c. *Novit*, de iud.; c. *Per venerabilem* etc. Cfr. *Bellarm.*, De Rom. Pontif., lib. V, c. 1 et seqq.; *Suarez*, Def. fidei, lib. III, c. V, n. 7 et seqq.; *Tarquini*, op.cit. n. 53.

(2) Argumentum est *S. Thomae*, 2, 2, q. LX, a. 6: « Potestas temporalis subditur spirituali, ut corpus animae, ut Greg. Naz. dicit orat. 17; et ideo non est usurpatum iudicium si spiritualis Praelatus se intromittat de temporalibus ». Cfr. pariter *Bellarm.*, Controv. tom. I, de rom. Pontifice, lib. V, c. 6; *Liberatore*, Relazione tra la Chiesa e lo Stato, c. I, a. 3; *Icard*, op. cit. p. I, n. 65 et seqq.

sit supernaturalis, praevalet fini societatis civilis qui est temporalis, ergo etc.

Confirmatur *a*) *ex S. Scriptura* : *Act. V*, 28, 29 « Praecipiendo praecipimus vobis ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus et Apostoli dixerunt: Oportet obedire Deo magis quam hominibus ». Item *Matth. IV*, 31, 32, 33; *XVI*, 26; *Luc. XIV*, 26; *b*) *ex Patribus* (1) qui unanimiter docent hanc Ecclesiae superioritatem. Prae aliis audiatur *Hugo a S. Victore* (2): « Terrena potestas caput habet regem; spiritualis potestas summum Pontificem. Ad potestatem regis pertinent quae terrena sunt et ad terrenam vitam facta omnia. Ad potestatem summi Pontificis pertinent quae spiritualia sunt, et vitae spirituali attributa universa. Quanto autem vita spiritualis dignior est quam terrena et spiritus quam corpus, tanto spiritualis potestas, terrenam sive saecularem potestatem honore ac dignitate praecedit ».

Hisce autem addi debent, ait Card. *Tarquini*, ea omnia propemodum infinita quibus ab Ecclesiae PP. perpetuo docemur bona temporalia quae sunt finis societatis civilis, esse ordinata ad vitam aeternam, quae est finis Ecclesiae, adeoque eidem servire debere (3).

71. Corollarium. — Potest Ecclesia ex titulo adventitio potestatem civilem acquirere in determinato territorio, quia ei non repugnat, sed potius expedire potest Praelatos suos esse quoque principes (4).

(1) Ita ex. gr. *S. Ioan. Chrysost.* in 2 Cor. Hom. XV; *Isidorus Pelusiota*, lib. 3, epist. 449; *Ivo Carnutensis* ad Henricum regem Angliae, epist. 51.

(2) Lib. 2 de sacr. p. 2, c. 4,

(3) Cfr. etiam *Suarez*, Def. fidei, lib. 3, cap. V. n. 2; et de legib. lib. II, c. IX; *Bianchi*, Della esterna polizia della Chiesa, lib. I, c. I, § VII; *Zaccaria*, Diss. inscripta « Rendete a Cesare ecc. » n. XIII a dimidio.

(4) Cfr. *Cavagnis*, l. c. n. 391.

72. **Obiicies** ex *S. Optato* (1): « Ecclesia est in republica, non respublica in Ecclesia ». Ergo Ecclèsia a republica, non respublica ab Ecclesia pendere debet.

Resp. Testimonium *Optati* spectari debet ex toto contextu et iuxta eius mentem. Et re quidem vera Optatus talia verba protulit ex ingratitudine et iniuriis *Donati* in imperatorem eleemosinas erga pauperes elargientem. « Iam tunc meditabatur (Donatus) potestatibus et Regibus iniuriam facere... » (2). Iamvero ex his patet Optatum loqui non de qualibet republica aut societate, sed Imperio romano, quia in illo quoad suum exercitium tuta erat religio et Ecclesia ibi a civili auctoritate protegebatur contra hostiles incursus (3).

73. Prop. III. — **In rebus ecclesiasticis** (4) **societas civilis nullam exercere valet potestatem sed exclusive spectant ad Ecclesiam.**

Hoc principium scatet ex ipsa natura duarum societatum, civilis et spiritualis (5).

74. Prop. IV. — **In materiis mixtis** (6) **nequit societas civilis leges ferre si ordinis sint superna-**

(1) Lib. 3, de schism. Donatistarum.

(2) *Optatus* ad Parmenianum.

(3) Cfr. *M. De-Luca*, Ius publ., I, n. 56, 57; *Tarquini*, op. cit. n. 56, 57.

(4) Res ecclesiasticae dicuntur: 1°) quae cum constitutione Ecclesiae immediate cohaerent, aut cum fine Ecclesiae proprie connexae sunt; 2°) quae, per definitiones vel per concordes Praesulum declarationes, manifeste inter res ecclesiasticas computantur; 3°) quae ex usu constanti et perpetuo ecclesiastico foro addictae sunt; 4°) quae illuc pertinent vi pacti. Cfr. *Aichner*, op. cit., pag. 95.

(5) « Si omnes fontes scruteris, ait *Zallinger*, l. c. p. 721, unde principia iuris eccl. petenda sunt, videlicet S. Scripturam, traditionem divinam vel apostolicam, canones Conciliorum, Const. SS. PP., sententias Patrum, definitiones utriusque iuris... omnia habes in ea consentienda nihil potestatis sacrae principibus politicis competere ».

(6) In his scilicet quae directe vel indirecte referuntur ad ambos fines spiritualem et temporalem. Hac in re notat cl. *Hammerstein*, de Eccl. et Stat., non posse plenam enumerationem ha-

turalis vel sint supernaturalizatae (1); nisi agatur simpliciter de effectibus temporalibus supernaturalibus; potest tamen de his disponere salva subordinatione legi ecclesiasticae si ordinis sint naturalis et non sint supernaturalizatae.

Hoc etiam per se evidens est cum descendat ex competentia utriusque societatis, et civilis sit, ut vidimus, ordinis inferioris ideoque ecclesiasticae subordinata (2).

§ II.

Connexio Religionis cum moralitate et publica tranquillitate.

75. Certum est homines nonnisi ex vinculo morali obligari posse ad leges servandas et officia erga ceteros; et sublata vi et efficacia obligationis moralis, omnia alia motiva pro observantia officiorum et pro tranquillitate publica saepius insufficientia manere.

Quid enim timor legis civilis et privata utilitas? Experientia docet atque in ethica demonstratur quod leges civiles ad maiora tantum et externa se extendere possunt; et privata utilitas in conflictu cum publico bono vel evanescit vel in tyrannide mutatur.

Atqui auctor obligationis moralis est Deus utpote creator et dominus omnium rerum, ratio ordinem creaturis imponens, obiectum adaequatum humanae felicitatis. Religio ergo quae nos docet de attributis Divinitatis est fundamen-

rum rerum fieri, praesertim quum multa pendeant ex temporum et locorum conditionibus. Fieri tamen potest ut res aliqua mixta facta sit, quatenus v. gr. Status aliquod ius vel pacto vel praescriptione in res ecclesiasticas acquisiverit, quod iuri divino non adversetur, vel Ecclesia in Statum. Cfr. *Aichner*, op. cit. l. c.; *Schenkl*, Inst. iur. eccl., § 333.

(1) Ut v. gr. est matrimonium quod elevatum fuit ad dignitatem sacramenti.

(2) Cfr. *Cavagnis*, op. cit. II, l. c. § 2; *S. Thom.* 2, 2, l. q. 50; *Cercià*, op. cit. vol. I, lez. XIV.

tum moralitatis ideoque et publicae tranquillitatis iuxta illud Ciceronis « omnia religione moventur (1) ». Et historia nobis testis quod solum ex influxu Ecclesiae permanere potuit in nationibus tranquillitas et pax reipublicae; et innumera testimonia afferre possumus quae demonstrant immensa temporalia commoda ad efformandam felicitatem Nationum constanter ac perpetuo ubique locorum ab Ecclesia praestita (2).

Vide prae aliis encyclicam Leonis XIII « *Immortale Dei* » ubi perbelle haec beneficia tum in familia, tum in ordine politico et civili, tum in ordine sociali describuntur » (3).

76. Ex hoc consequitur societatem civilem et praesertim catholicam hac etiam de ratione in prosecutione sui finis Ecclesiam impedire non posse, sed officium habere defendendi et adiuvandi religionem et Ecclesiam, eiusdem libertatem protegendo, actioni et propagationi favendo (4). « Sanctum igitur, ait Leo XIII in citata encyclica, oportet apud Principes esse Dei nomen, ponendumque in supremis illorum officiis, religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidquam instituere aut decernere quod sit eius incolumitati contrarium ».

Confirmatur ex doctrina Patrum. *S. Leo M.*, epist. ad Leonem augustum 125, al. 75: « Debes incunctanter adver-

(1) Orat. in *Verrem*.

(2) Cfr. *M. De-Luca*, Ius publ I, n. 61; *Liberatore*, La Chiesa e lo stato ecc. vol. I, lib. I, c. II.

(3) Vide in Append. huius libri.

(4) Duplex igitur est relatio Status ad Ecclesiam, *negativa* et *positiva*. Ad rem Card. *Cavagnis*, in op. — Della natura di società giuridica competente alla Chiesa —: « Il rapporto negativo è il più importante e consiste in ciò che lo Stato non deve opporsi alle leggi della Chiesa e perciò non deve comandare ciò che la Chiesa vieta. Il rapporto affermativo consiste in ciò che la legge civile coordini le sue disposizioni al fine spirituale, somministrando quegli aiuti materiali di cui la società ecclesiastica possa abbisognare ».

tere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo et quae bene sunt statuta defendas et veram pacem his quae sunt turbata restituas ». *S. Gregorius M.* ad Mauritium imp. lib. 2, ep. 11: « Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum nostrorum pietati coelitus data est, ut qui bona appetunt, adiuventur, et coelorum via largius pateat: ut terrestre regnum coelesti regno famuletur ». Item *Augustinus*, ep. 185, al. 50 ad Bonifacium comitem n. 19; *S. Celestinus* Papa ad Theodosium imp. tom. 3 apud Labbaeum, col. 619 (1).

Item ex Conciliis; ut ex gr. ex Conc. *Constantinop.* I (apud Labbaeum, tom. VI, col. 1048): « Rex regum idemque sacerdos sacerdotum potestatem suam ad gubernandam Ecclesiam in sacerdotes divisit et reges, ut quod sancti doceant Pontifices et ipsi impleant, et impleri faciant devotissimi reges ». Ex Conc. *Ephesino*, ep. ad augustos, cap. 8: « Ut quemadmodum singuli eorum (imperatorum) sanctorum Patrum synodis imperii sui tempore celebratis paruerunt Patrumque sanctiones legibus suis munierunt, et quam illis deferrent observantiam decretis suis ostenderunt, ita et vos etc. ».

Item in ep. ad eosdem augustos Theodosium et Valentinianum: « Quod si quis vestras sanctiones spreverit, ille vestrae dominationis indignationem formidet. Sic enim apostolica fides per vestram pietatem munita persistet illaesa ».

77. Notantum tamen cum cl. *Tarquini* (2) principes ita religionem tueri debere ut Ecclesiae iudicia non ante-

(1) Unde imperatores et praefecti imperiales pluries prohibuerunt libros haereticorum ut fides apostolica illaesa persisteret. Ita ex. gr. *Constantinus M.* poenam inflixerat retentoribus librorum Arii; *Arcadius* et *Honorius* pro libris Eunomoniarum: *Valentinianus* et *Marcianus* pro libris Eutichiarum et Apollinistarum. Item *Flavius Antonius, Flavius Simplicius* et alii. Cfr. *Cavagnis*, Institutiones etc. I, n. 491 et seqq.

(2) Op. cit. n. 61.

vertant sed sequantur; imo ne modum quidem excedant quem ad animarum salutem Ecclesia ipsa praescripserit. Ratio est quia finis societatis civilis scilicet temporalis felicitas ordinatur ad finem Ecclesiae qui est vita aeterna; ex quo concluditur in iis quae ad vitam aeternam adeoque ad religionem pertinent Ecclesiam praeire, societatem civilem sequi debere (1).

78. Huc pertinent et Patrum effata. Ita *Facundus Hermian.* (2): « Principes non praevios, sed pedissequos sacerdotalium decretorum esse oportere ». *Ioann.*, VIII, in Cap. I de offic. iud. ord.: « Publicum (id est societatis civilis) auxilium ita in Ecclesiae bonum conferendum esse, ut non praeiudicare praesumat, sed potius, quae Deo fuit placita exequatur ». Et *Tridentinum*, sess. XXV, C. 20 de reform.: « Principes saeculares Ecclesiae protectores ita esse censendos, ut tamen quae ecclesiastici iuris sunt, tamquam Dei praecepta eiusque patrocinio tecta, eo sanctius venerentur, quo largius bonis temporalibus atque in alios potestate Dei beneficio sunt ornati ».

79. **Obiicies.** 1. Protectio Status tranquillitatem societatis civilis facile turbat; 2. alienos facit a religione hominum animos, qui persuasione et non coactione duci debent.

Resp. ad 1: Perturbatio fieri potest per accidens ut v. gr. quando Status sit mixtae religionis, vel etiam catholicus sed nomine tantum, alienus scilicet a spiritu catholico; et tunc tolerantia (3) adhibenda est quae in aliis etiam permittendis male-

(1) Ita recte argumentatur a *S. Thoma,* seu ab auctore De regim. Princip. Lib. I, c. 14: « Semper invenitur ille ad quem pertinet ultimus finis, imperare operantibus ea, quae ad finem ultimum ordinantur: sicut gubernator, ad quem pertinet gubernationem disponere, imperat ei, qui navem constituit, qualem navem navigationi aptam facere debeat; civis autem qui utitur armis, imperat fabro, qualia arma fabricet ».

(2) Pro defens. trium cap. L. XII, c. 2, ad fin.

(3) Duplex distinguitur tolerantia, *religiosa* scilicet et *politica.* Religiosa non est nisi indifferentismus seu prava illa opinio dam-

factis non raro adhibetur (1). Tamen nunquam licitum erit principi quod Ecclesiae bono contrarium est, positive approbare, sed negative et permissive se habere debet.

Ad 2: Non loquimur nec de infidelibus, nec de iis qui in haeresi nati et educati sunt, sed de catholicis qui Ecclesiae praecepta observare nolunt. Hos autem posse poenis coërceri sequitur ex potestate coactiva quam Ecclesiae competere iam demonstravimus. Nec difficultas oriatur ex eo quod nonnulli occasionem sumant magis peccandi, nam hoc per accidens fit, et nequit ut aiebat S. Augustinus, ep. 93 alias 48 ad Venantium, medicina aboleri quia paucis non iuvat.

nata a Greg. XVI et Pio IX, « posse qualibet fidei professione aeternam animae salutem comparari, si omnes ad recti honestique normam redigantur ». Politica ea est legum civilium dispositio, qua pluribus vel omnibus cultibus, tum religionis exercitium, tum certa iurium civilium ac politicorum mensura conceditur. Haec aliquando non per se, sed per accidens ad maiora mala vitanda, servatis debitis conditionibus, admitti potest. Cfr. *M. De-Luca*, op. cit. n. 61; *Mazzella*, De Relig. et Ecclesia n. 75 et seqq.; *Taparelli*, Saggio etc., tom. I, dissert. IV, c. 4. a. 2; *Balmes*, op. cit. tom. 2, c. 34 et 35; *Scotti*, Teor. di politica cristiana, teor. 7 et *Tanner*, de quo *Tarquini*, in not. ad 1 sub n. 62 ait: De tolerantia religiosa dignus est qui consulatur *Tannerus*, Theol. Schol. tom. III, disp. I, q. 9. Summatim vero haec de illa tradi possunt: 1° Duplici ex causa, seposita lege positiva, eam esse illicitam, tum quia nefas est cooperari superstitioni heterodoxorum; tum quia nefas est catholicos periculo seductionis exponere: 2° inde sequi ad eam honestandam eas conditiones necessarias esse quae ad honestandam cooperationem alterius peccato, tum ad licite sese exponendum occasioni, sive periculo peccandi, communiter a theologis traduntur: 3° nihil in hac re inconsulto Summo Pontifice esse decernendum, tum quia agitur de casu gravissimo circa statum Ecclesiae, de quo nonnisi summus Pontifex iudicare potest; tum quia tolerantia haec civilis, legibus ecclesiasticis per se prohibita est. — Denique prae oculis habendae sunt propositiones a Pio IX in syllabo reprobatae quae sunt 77ª et 80ª. — Cfr. pariter *Bossuet*, Response a une consultatione de Iacques II roi d'Angleterre. Edit. Vers. t. XLIII, p. 6 et seqq.

(1) Ipse *S. Thomas*, seu Auctor De Reg. Princ. l. I, c. 15 protectioni Status erga Ecclesiam apponit conditionem « secundum quod possibile fuerit ».

80. Corollarium. — Ergo irrationalis et perniciosus indifferentismus et naturalismus, errores vigentes ex quibus sequitur statui civili praescindendum a religione saltem supernaturali, et condendam legislationem ad religionem non respiciendo (1).

Falsus et reiciendus liberalismus (2) qui propugnat separationem Status ab Ecclesia iuxta illam formulam « Lex est athea » vel Cavourianam « Libera Chiesa in libero Stato » (3) quae nihil aliud significare volunt quam Statum esse

(1) S. P. *Pius IX* haec ad rem in suis litteris Encyclicis « *Quanta cura* » an. 1864 scripsit: « Probe noscitis hoc tempore non paucos reperiri qui civili consortio impium absurdissimumque naturalismi, uti vocant, principium applicantes, audent docere optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si non existeret, vel nullo facto discrimine veram inter falsasque religiones ». Cfr. prop. damn. in Syllabo, 2, 3, 4, 5, 6.

Quare concludendum verbis cl. *Aichner*: « Attentis circumstanstantiis huius temporis quo rerum politicarum cursus manifeste ad hanc indifferentiam tendit, aliud non superest nisi ut veri catholici omni contentione eam libertatem Ecclesiae suae vindicent, quae consentanea est ipsis principiis status indifferentis ».

(2) S. P. *Leo XIII*, in Encycl. « *Libertas* » an. 1888, triplex liberalium genus distinguit: 1.° est eorum qui absolutam humanae rationis independentiam ab ulla lege seu superiore tuentur et hi verum Deum negant, seu humanam naturam deificant et cum veri *athei* et *pantheistae* sint, eorum crimen perevidens est; 2.° est eorum qui legem Dei naturalem atque aeternam admittentes, si haec Dei voluntas operatione se manifestet, eidem sese subiicere dicunt, ita tamen ut omnem revelationis possibilitatem et convenientiam respuant; et hi *rationalistae* vocantur, quorum crimen, si christiani sunt, cum superbi impugnatores existant cuiuslibet supernaturalis ordinis, revelationis christianae seu Ecclesiae Dei, est plenitudo haeresis et apostasiae; 3.° est eorum qui ordinem supernatulem et Ecclesiam Christi se quidem fatentur credere atque positivas Dei et Ecclesiae leges, privatae vitae singulorum normam esse concedunt, sed iisdem Statum utpote ab Ecclesiae moderamine et directione independentem, non teneri contendunt ».

(3) Cfr. *Montalembert*, opusculum huius tituli.

prorsus ab Ecclesiae magisterio et auctoritate independentem et Ecclesiam Statui subordinari (1).

81. **Obiicies I.** — Ecclesia sibi contradicit et duplici utitur mensura cum in statibus heterodoxis praedicat separationem a statu et libertatem implorat; in statibus autem catholicis libertatem reicit et cum statu coniunctionem inducit (2).

Resp. In statibus heterodoxis iuste petit quod sectis quibuscumque non denegatur, cum eodem iure polleat coram societate in qua vigent libertatis principia. In catholicis vero cultuum libertatem reicit, quia obiective falsa est, cum unica sit veritas et cum Ecclesia sciat se esse unicam veram religionem cui concedenda est libertas et protectio status.

Nullam autem contradictionem hoc importat, non enim ex titulo communi sibi et heterodoxis libertatem et principis protectionem implorat.

82. **Obiicies II.** — Status civilis competens esse nequit in rebus religiosis, cum diudicare non valeat veritatem ab errore. Ergo nec verae religioni, nec falsae adversari potest (3).

Resp. Status competens esse nequit respectu religionis si agitur de eius regimine, *concedo*; nam potestas regendi Ecclesiam a Christo concredita fuit sacerdotio: si vero de eius cognoscibilitate, *nego;* quia ad discernendam veram a falsa religione sufficit tantum lumen rationis. Et sicut singuli cives tenentur verae religioni assentiri, religionem servare si in vera existunt, et veram inquirere si foris sunt, ita et status qui socialiter cives repraesen-

(1) Huc referuntur prop. in Syllabo damnatae, 19, 20, 22, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 55, 57, 65, 67, 68, 69, 71, 73, 80.

Circa liberalismum cfr. praesertim *Sardà*, Il liberalismo è peccato; *Liberatore*, Chiesa e Stato; *Cavagnis*, Della natura di società giuridica e pubblica competente alla Chiesa; *De-Angelis*, Praelect. iur. can. app. ad lib. I, pag. 113; *Aichner*, op cit. § 40.

(2) *Mamiani*, Religione dell'avvenire, pag. 458, cuius expositionem et brevem confutationem vide in opusc. Card. *Cavagnis*, « Osservazioni sulla Religione dell' avvenire di Terenzio Mamiani ».

(3) *M. Minghetti*, Stato e Chiesa, pag. 71. De hac et aliis difficultatibus, vide claram et longiorem responsionem in op. cit.; *Liberatore*, Del Diritto pubblico eccl., c. IV, § IV.

tat. Nam eadem officia quae individuo incumbunt, servata proportione, obligant et Statum qui ab eis distinguitur utpote persona moralis a persona phisica.

ARTIC. II.

De relatione cum societate acatholica et infideli.

§ I.

Cum acatholica.

83. In primis certum est acatholicos (sive haereticos, sive schismaticos) *per se* obstringi legibus Ecclesiae, quia perdurat in eis fundamentum quod est character baptismatis (1); et Ecclesiam habere in eos omnia iura sua, nam crimen rebellionis non liberat ab oneribus. Et facto ius suum demonstravit puniendo haereticos ut patet *a)* ex sententiis et legibus imperatorum (2) poenas haereticos statuentibus quas Ecclesia approbavit; *b)* ex ipsis legibus Ecclesiae (3), *c)* ex testimoniis Patrum (4); *d)* ex ipsa ratione qua probavimus competere Ecclesiae potestatem coactivam.

Diximus *per se,* nam adesse possunt aliquando circumstantiae, ut bene notat cl. Tarquini h. l., quibus exercitium ecclesiasticae iurisdictionis in haereticos sit in destructionem et non in aedificationem, ita ut gravissima gignat incommoda (5). Et Ecclesiae praxis hoc confirmat; hodiedum

(1) Ad rem *Suarez,* lib. IV, c. 19, n. 12: « Vere subiecti sunt (haeretici) ecclesiasticae iurisdictioni, nam retinent characterem baptisimalem quod est fundamentum subiectionis. Et licet secundum praesentem statum non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra, et contra ius Ecclesiae acquisitum deliquerunt se ab illa separando ».

(2) C. De haereticis, l. *Manichaeos...*; L. *Ariani*; L. *Quicumque.*

(3) C. *Ad abolendum,* et c. *Excomunicavimus,* Extrav. de haereticis.

(4) *Hieron.* Comm. ad Galat. c. 5. — Cfr. *Bellarm.,* De membris Eccl., l. 3, c. 21.

(5) Exemplum aliquod legi potest apud *Ben. XIV,* Const. « *Singulari* » 9 Feb. 1749.

enim poenis suis haereticos non persequitur, neque ullam iurisdictionem in ipsos exercet (1).

84. Status autem acatholicus (haereticus, schismaticus, indifferens, rationalista) legitime negare nequit Ecclesiae ius ad existentiam et apostolatum (2); nam exigere non potest ut alii eum habeant infallibilem; ideoque etiam iuxta eius principia, iuridice possibile est veritas stet in catholica religione. Igitur sacerdoti catholico libertas concedenda in suo ministerio, et subdito catholico in professione fidei. Et pariter Status Ecclesiam ut personam moralem capacem possidendi, agnoscere, et defendere omnia eius iura quae sibi asserenda putat ut religiosa societas, debet; nec eius propagationi adversari, nec punire transeuntes ad catholicam religionem (3).

§ II.

Cum infideli.

85. Licet societas infidelium sit penitus extranea ab Ecclesia, tamen et status infidelis negare non potest possibilitatem revelationis nec repugnantiam cernere inter eam et leges naturae. Ergo impedire nequit quominus religio catholica se in territorium extendat, nec punire eius asseclas; sed imo ex lege quidem naturali illam associationem sicut et alias protegere.

Ex his sequitur Ecclesiam indirecte etiam vi defende-

(1) Cfr. *Aichner*, op. cit. § 208, n. 2; *Schmalzgrueber*, tit. 7, n. 171-174; *Reiffenstuel*, lib. 1, tit, 2, n. 174.

(2) Hoc praeterquam in expressa voluntate Christi « Euntes praedicate etc.... » et in aliis theologicis rationibus, nititur, ut ait *Walter*, Man. iur. eccl. univ. § 40, in libertate vitae religiosae, ut corollarium naturae humanae, in diversitate obiectorum duarum potestatum, in doctrina debitae obedientiae auctoritati constitutae, in necessitate religionis in Statu, in aestimatione quam acquirunt omnes civiles virtutes.

(3) Cfr. *Aichner*, op. cit. § 41, 2; *De-Angelis*, op. cit. app. ad lib I, pag. 117. Vide etiam Alloc. *Pii IX*, 9 Iunii 1862.

re (1) posse suam formationem et evolutionem: ipsi enim uni demandata est cura, inest ius, incumbit officium propagandi apud omnes evangelium Christi iuxta illud « Praedicate evangelium omni creaturae » (2).

Et Ecclesiam hoc sacris expeditionibus (vulgo crociatis) fecisse, historia testis (3).

ARTIC. III.

De relatione cum societate etnarchica seu internationali.

86. Societas etnarchica seu internationalis est aggregatio plurium nationum ab invicem independentium quae inter sese devinciuntur ad defendenda iura singulorum et ad bonum commune promovendum communione negotiorum.

Haec societas institui potest inter status catholicos vel heterodoxos, vel promiscue; et summa eius auctoritas esse potest ex beneplacito partium *poliarchica* vel *monarchica*, residere scilicet vel in consensu omnium foederatorum principum vel in uno principe (4).

87. Specialis societas internationalis subsisterat media aetate inter status christianos occidentis vinculo morali adstrictos in unitate mentis, legum, contractuum ideoque negotiorum temporalium, orta et servata ex influxu spirituali (5).

Huius societatis auctoritas in S. Pontifice residebat, qui erat persona iure et virtute praevalens, illius religionis caput quae fundamentum erat vinculi moralis, depositarius iuris publici civilis, testis et iudex iuratae reciprocae fidelitatis, custos pacis et vindex iurium communium (6). Et

(1) Non tamen infideles ad fidem compellere. *Pius VI*, Brev. « *Quod aliquantum* » 10 mart. 1791.

(2) *Marc. XVI*, 15.

(3) Cfr. *Santi*, op. cit. vol. V, tit. VI, n. 7.

(4) Cfr. *Liberatore*, Instit. di diritto natur., P. III, a. 1, c. II.

(5) *Taparelli*, op. cit. n. 1361-1444.

(6) *Cavagnis*, op. cit. pars spec. c. VI, a. VI, n. 208 et seqq.

principes hanc supremam auctoritatem in Pontifice sponte agnoscebant, eiusque interventum libenter in omnibus circumstantiis invocabant, maxima nationum utilitate (1).

88. Deficiente autem principum et populorum veneratione erga Ecclesiam, et rupta ob defectionem plurium gentium unitate politica christianitatis, etiam inter catholicos vinculum societatis internationalis amplius non fuit religio, nec subiectum auctoritatis etnarchicae S. Pontifex.

Sed quicumque futurus sit finis quo nationes foedere internationali iunguntur, ubicumque auctoritas etnarchica resideat, sive nationes sint catholicae sive heterodoxae, certum est in societate internationali debere Ecclesiam, utpote ex dictis patet et ex confessione etiam adversariorum conceditur, suis iuribus gaudere.

89. Et revera: Ut aliqua individualitas charactere *Status* fulgeat, quo facultas ei tribuatur mutuas relationes iure suo ingrediendi quibus variae nationes iuridice perfectae in societatem internationalem colliguntur, exigitur in iure diplomatico (2) ut ex se ipsa stabiliter servare valeat suam

(1) Cfr. *David Urquhart*, Appel d'un protestant au Pape pour le retablissement du droit public des nations; *Becchetti*, Storia degli ultimi 4 secoli, lib. XII, § 19.

(2) *Diplomatia* derivatur a graeco δίπλωμα et a latino *duplex* scilicet duplex scriptura; et *diplomatarius* iuxta *Du Cange* antiquitus dicebatur transcriptor *ex officio* diplomatum seu duplicatorum.

Progressu temporis nomine diplomatiae significari coepit scientia et ars publica negotia pertractandi (Cfr. *A. Giobbio*, Lezioni di Diplomazia Ecclesiastica). Ut *ars* definitur a cl. *De Luise*, De iure publico seu diplomatico Ecclesiae catholicae: « Habitus rite componendi relationes civilium societatum harumque praesides inducendi ut mutua officia compleant, utque pax publica servetur ». Ut *scientia*: « Scientia librandi relationes civilium societatum, mutua et iusta proportione certam faciendi inter eas bonorum temporalium communicationem ».

Diplomatia exercetur inter civiles societates quae iure proprio gaudent et auctoritate propria et legibus pollent. Datur etiam diplomatia *ecclesiastica* quae a cl. *Giobbio* dicitur, op. cit. pag. 9:

independentiam, sphaeram iuridicam actionis penitus propriae habeat, a nullo principatu territoriali creatam nec ipsi subiectam, sed libere possit, sub directione et imperio auctoritatis, actionem suam extendere apud quascumque nationes, ita ut in ipsam nulla alia peculiaris potestas se explicare debeat, sed imperet tantum ius illud universale quod determinat et ordinat omnes generales activitates (1).

Atqui haec requisita quae ad personalitatem iuridicam pertinent, eminenti modo Ecclesia catholica possidet.

Iuxta enim dogma catholicum, Ecclesia a Christo Domino fundata, ratione habita ad eius *organizationem*, ad finem quem sibi proponit, ad media saltem intrinseca quae disponit, est corpus sociale quod ex se vita vicies saeculari gaudet et contra quod portae inferi non praevalebunt; sphaeram actionis propriae habet quae refertur ad sanctificationem hominum; non pendet e civilibus potestatibus quae immo ratione finis utpote inferiores, ut vidimus, ei subiacere debent: actionem suam explicat pro universo genere hominum sub directione et imperio S. Pontificis, ea stabilitate quae non invenitur apud reliqua regna et civiles respublicas (2).

« l'arte di ordinare, di dirigere, di seguire con conoscenza di causa le relazioni fra la Chiesa e le società politiche ». Cfr. etiam *Audisio*, Idea storica e razionale della Diplomazia Ecclesiastica.

(1) « A norma del Diritto Internazionale — scribit cl. *P. Fiore*, Diritti e doveri internazionali della Chiesa, § 686, sez. IV; estratto dal Trattato di Diritto Internazionale pubblico — ogni individualità, che esiste « *iure suo* », e che ha una propria sfera giuridica indipendente dal diritto territoriale deve essere considerata come persona della società Internazionale ». Et cl. *Charles Calvo*, Le droit internazional etc. tom. I, § 169: « Elle suppose comme base une societè stable, en mesure de soutenir son independance au moyen de ses propres ressources, et une autoritè chargè de la diriger vers le but qu'elle se propose. En l'absence de l'une ou de l'autre de ces conditions, l'Etat n'existe pas dans son integralitè et tel qu'il devrait être pour devenir la source et l'origine de relations internationales ».

(2) « La Chiesa sola, ait *Fiore*, possiede tutti i requisiti che

Falso igitur asseritur ab adversariis (1) Ecclesiam non habere territorium determinatum et proprium. Nam licet territorium etiam Statui civili competat, tamen diverso titulo utrique potestati competere potest, scilicet titulo politico pertinet ad societatem civilem, et titulo religioso ad Ecclesiam, et hic titulus alium non excludit.

90. Ceterum possessio territorialis non est censenda ut conditio essentialis subiecto internationali (2). Sed sufficit quod Ecclesia catholica de iure sit persona societatis internationalis, ut ipsi tribuenda sint iura internationalia independenter a possessionibus territorialibus (3). Et propterea non admittendam ducimus sententiam cl. *De Luise* (4) qui

alla persona appartengono, cioè la individualità e la propria sfera di azione giuridica determinata dal suo scopo e dal suo fine; la sua organizzazione, che risulta dall' essere tutti i cattolici riuniti intorno ad un centro, e dal riconoscere un capo che governa, che detta le norme opportune per scortare tutti i fedeli allo scopo, e che presiede tutta la gerarchia, la quale a lui rimane sempre sottomessa, e che inoltre estende indefinitivamente l' imperio della sua autorità e della disciplina per tutti i fedeli che si lasciano guidare, sparsi in tutte le parti del mondo.... Nell'attuale stato di cose quindi non si può considerare come persona nella società internazionale che la Chiesa Cattolica romana; e non può esser lecito ad alcun potere costituito di violare i diritti internazionali della medesima »; op. cit. § 686. Cfr. etiam *Cavagnis*, Nozioni di Diritto pubblico naturale ed ecclesiastico, n. 309 et seqq.; *Hammerstein*, *Audisio*, etc.

(1) Cfr. *Imbart-Latour*, La Papantè en Droit internazional, p. 10.

(2) Ita cl. *d' Olivart*, Le Pape, les Ètats de l'Eglise et l'Italie, contra *Raul Bompard*, Le Pape et le droit des gens apud *Giobbio*, op. cit. pag. 32: « La possession de territoire n' est pas la condition essentielle de la subiectivitè internazionale. La terre est seulement un accessoire et un instrument placè a la disposition de la volontè des hommes, mais ce sont ces derniers qui forment les nations et les etats ».

(3) *Fiore*, op. cit., § 691.

(4) Op. cit. pag. 2: « Ius diplomaticum non convenit Ecclesiae catholicae, nisi quod, cum a divina providentia temporali ditione Romanus Pontifex donatus fuerit, iure regio in sui capitis persona congaudet ».

affirmat ius diplomaticum ad Ecclesiam spectare solum in quantum S. Pontifex est princeps saecularis; aliis enim nobilioribus et firmioribus titulis enititur, ut vidimus, hoc ius cuius exercitium nobis testatur historia quae praecedit et sequitur dominium temporale pontificum (1).

CAPUT III.

De Concordatis.

ARTIC. I.

Notiones Generales.

91. Concordata, inspecta eorum generalitate, definiri possunt: « Conventiones inter Ecclesiam et Statum ad regendas et ordinandas mutuas eorum relationes ».

Si de eorum origine iuridica inquirere velimus, primam causam invenimus in imminuitione amoris et reverentiae Statuum christianorum erga Ecclesiam (2), vel ut ait Gonzalez, in iniuria temporum et superbia imperantium (3).

Historice autem principia habuerunt an. 1122 quando pactum Wormantiense initum fuit inter Henricum V et

(1) Cfr. *Giobbio,* op. cit. a. I.

(2) Cfr. *Agliardi,* Esame della Controversia sui Concordati, n. 2.

(3) Iuxta cl. *Labis,* Des Concordats, Revue catholique, tom. XXXIII, pag. 8, causae quae originem iuridicam dederunt Concordatis hae duae sunt: 1° la nécessitè pour la bonne entente entre les deux pouvoirs de déterminer d'un commun accord la part d'intervention ou le rôle de chacun dans le matières mixtes et douteuses; 2° la nécessitè pour le plus faible, qui est l'Église, de se relâcher d'une partie de ses droits afin de conserver le reste en paix. Et cl. *Ollivier,* Nouveau Manuel de droit ecclesiastique français, pag. 556, Concordatum appellare non dubitavit: « Le dernier mot de la rèvolution sur les rapports de l'Eglise et de l'Etat ».

Callistum II post ortas controversias de investituris (1). Progressu temporis alia subsecuta sunt Concordata fere cum omnibus nationibus christianis etiam acatholicis (2).

(1) Cfr. *Wernz*, Ius Decret., tom. I, pag. 194.

(2) En omnium prospectus:

1. Pro Germania an. 1122 inter Callistum II, et Henricum V an. 1447 inter Nicolaum V et Fridericum III.
2. Pro Lusitania ann. 1288, 1516, 1778, 1857, 1886.
3. Pro Gallia an. 1516 inter Leonem X et Franciscum I; ann. 1801, 1817.
4. Pro Bohemia an. 1630.
5. Pro Sardinia ann. 1727, 1741, 1742, 1750, 1770, 1817, 1836, 1841.
6. Pro Polonia an. 1736.
7. Pro Hispania ann. 1737, 1753, 1851, 1859.
8. Pro utraque Sicilia ann. 1741, 1818, 1834.
9. Pro Ducatu Mediolanensi an. 1757.
10. Pro eodem et Mantuano an. 1784.
11. Pro Italica Republica an. 1803.
12. Pro Bavaria an. 1817.
13. Pro Borussia an. 1821.
14. Pro provinciis super. Rheni ann. 1721, 1727.
15. Pro Hannover an. 1824.
16. Pro Belgio an. 1727.
17. Pro Helvetia ann. 1828, 1845, 1884.
18. Pro Russia et Polonia ann. 1847, 1882.
19. Pro Etruria an. 1851.
20. Pro Republica Costaricensi an. 1853.
21. Pro Republica Guatimalensi an. 1853.
22. Pro Austria an. 1855.
23. Pro Wirtemberg an. 1857.
24. Pro Badis an. 1859.
25. Pro Republica Haitiana an. 1860.
26. Pro Republica Hondurensi an. 1862.
27. Pro Republica Aequatoris ann. 1862, 1882, 1890.
28. Pro Rebusp. Venezuelae, Nicaraguae et S. Salvatoris an. 1862.
29. Pro Principatu Montisnigri 18 Aug. 1886.
30. Pro Republica Colombiana ann. 1887, 1892.
31. Pro insula Melitensi an. 1890.
32. Pro Lybiphoenicia an. 1893.

Colletionem Concordatorum edidit Romae an. 1865 cl. *Nussi* qui ea recensuit usque ad an. 1862. Alium textum edidit Moguntiae fr. *Kirhheim*, an. 1870.

92. Finis Concordatorum est securitas et libertas ex parte Ecclesiae; solum enim quando iura in sacra sibi auctoritas civilis adrogabat, ad praecavendum maius malum excogitata sunt Concordata. Unde tritum effatum: « Initium Concordatorum, initium dolorum».

Ex quo intelligitur Concordata non esse absolutae necessitatis, sed relativae seu hypotheticae, quia Ecclesia ut societas superior ratione finis et praevalens, ius habet, ut vidimus, ad omnia etiam temporalia quae sint pro suo fine necessaria etiamsi detrimentum societas civilis capiat: et tantum ex supposita infirmitate et rebellione et inobedientia societatis civilis quandoque relative bonum apparere potest si Ecclesia in concordiam seu indulgentiam quamdam descendat cum societate civili (1).

93. Materia seu obiectum Concordatorum esse nequeunt per se et directe quae sunt potestatis ordinis, nec quae sunt potestatis iurisdictionis si essentialiter et iure divino ad Ecclesiam pertinent; sed quae sunt tantum ex iure canonico in Ecclesia constituta (2).

(1) Ad rem Card. *Satolli,* De Concordatis, lect. IX in fin.: « Quamvis absolute loquendo Ecclesia plenissimum ius habeat actionum et rerum seu personarum respectu spiritualis ordinis et salutis aeternae; tamen expedit ut quaedam per se agat et alia civili potestati permittat ». Et inferius: « Necessitas huiusmodi conventionum oriri solet ad mala graviora vitanda, discordias consopiendas; ut Ecclesia possit saltem liberius uti suis iuribus quantum ad ea quae nonnisi suae potestati congruunt et tantummodo iniqua usurpatione a civili potestate impediuntur ». Cfr. etiam *Agliardi,* l. c.

(2) Card. *Cagiano de Azevedo,* Della natura e carattere essenziale de' Concordati, obiecta Concordatorum ad duplicem classem redigit.

Ad primam spectant officia principum erga Ecclesiam ideoque:

1. Exercitium publicum cultus catholici.
2. Libera communicatio cum sede Apostolica.
3. Potestas Episcopalis libera quoad ordinis et iurisdictionis exercitium.
4. Iudicia ecclesiastica nominatim relate ad causas matrimoniales.

ARTIC. II.

De natura vinculi Concordatorum.

De natura seu efficacia vinculi Concordatorum non conveniunt DD. et triplex proponitur theoria, scilicet *theoria privilegiorum*, *theoria contractuum*, et *theoria privilegiorum conventionalium* (1).

94. Qui 1 defendunt definiunt Concordata: « Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, S. Pontificis auctoritate edita ad instantiam Principis eius loci, speciali eiusdem Principis obligatione confirmata se eam perpetuo servaturum » (2).

5. Ius habendi synodum, visitandi dioecesim, erigendi nova eccl. beneficia.

Ad secundam cathegoriam pertinent benignae concessiones Ecclesiae Principibus erogatae scilicet:

1. Nova circumscriptio ecclesiastica vel novarum sedium erectio.
2. Nominatio seu praesentatio ad maiora etiam beneficia.
3. Alternativa in collatione beneficiorum.
4. Reservationes pontificiae vel annatae h. e. pensiones ex reditibus primi anni beneficiorum vacantium debitae camerae Apostolicae, et ius patronatus.
5. Condonatio sacriligae usurpationis bonorum Ecclesiasticorum.
6. Concessio ut in electione personarum ad quasdam Ecclesiae dignitates, ratio habeatur Principis ut ei sint acceptae.
7. Restrictiones circa ius appellationis, iudicia ecclesiastica, et iusiurandum fidelitatis principibus praestandum.

(1) Praeter haec, adest systema quorundam regalistarum seu territorialistarum qui dicunt Concordata non esse pacta sed tantum punctationes ab Ecclesia et Statu mutuis consiliis constitutas, quae vim legis non habent, imo mere concessiones Status ad nutum revocabiles. Status siquidem apud quem est summum et absolutum imperium, solum habet potestatem legem ferendi easque immutandi, cui potestati nunquam potest renuntiare. Ecclesia ius proprium non habet, sed illud tantummodo quod Status ei concedit. Cfr. *Sarwey*, in protest. ephem. iuris eccl., tom. 2, p. 437; tom. 3, p. 267 et 469; *Hübler*, ibid. tom. 4, p. 105 et seqq.

(2) *Tarquini*, op. cit. p. 73; *Card. Satolli*, op. cit. p. 45 et seqq.,

Secundum hos igitur Concordata non sunt contractus sed simpliciter privilegia ex quibus obligatio non bilateralis sed unilateralis exoritur ex parte scilicet societatis civilis. Rationes quas afferunt hae sunt:

a) quia in Concordatis de rebus spiritualibus vel spirituali adnexis agi solet, in quibus contractus proprie dictus absque labe simoniae iniri non potest;

b) quia primatus S. Pontificis nec coarctari nec mutilari debet;

c) quia nequit S. Pontifex suis successoribus imponere aliquam obligationem.

95. Qui 2 tenent, considerant Concordata ut contractus bilaterales seu pacta synallagmatica utrimque obligantia et in utriusque contrahentis utilitate; ideoque de iis dant definitionem: « Lex pontificia et civilis lata pro particulari quadam republica ad ordinandas relationes inter Ecclesiam et Statum circa materiam aliqua ratione utramque potestatem sive societatem concernentem, quae simul adiunctam habet vim pacti publici inter Sedem Apostolicam et illam rempublicam initi et utramque partem vere obligantis » (1). Et probant:

a) ex forma solemnitatum, quas Concordata plane habent communes cum reliquis contractibus;

b) ex stipulatione quae in Concordatis exprimi solet, scilicet ut, si forte supervenerit difficultas, res componi debeat nonnisi collatis utriusque partis consiliis;

166 et seqq.; *Liberatore*, Del Diritto pubbl. eccl., c. IV, ar. VIII; Card. *Cagiano de Azevedo*, op. cit. pag. 55; Card. *Wiseman*, Conferenze sui Concordati, conf. 2; *M. De-Luca*, Ius publ., I, n. 73, VIII.

(1) Tamen etiam huius systematis fautores in duas sententias abeunt. Alii sine ulla restrictione in Concordatis verum contractum agnoscunt, obligantem scilicet per se ex iustitia partes contrahentes, et a quo nisi ex communi consensu recedere possint. Cfr. *Engel*, Coll. iur. can., l. 3, tit. 5, n. 54; *Gonzalez*, ad reg. 8 Cancell.; *Soglia*, Ius eccl., § 60; *Turinaz*, I Concordati e la loro reciproca obligazione; *Aichner*, op. cit. § 11, n. 3. Alii vero dicunt Concordata esse pacta synalagmatica non stricto quidem sensu qualia fiunt inter

c) ex adiectione hac vel simili generatim apposita: « Utraque contrahentium pars spondet, se et successores suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos;

d) ex iteratis Romanorum Pontificum declarationibus (1).

96. Ad rationes autem ab altera parte allatas respondent:

Ad 1 crimen simoniae non committi quia deest in Concordatis comparatio rei spiritualis cum temporali in qua consistit simonia; nam S. Pontifex non intendit concedere spiritualia Principi, ex. gr. praesentandi Episcopos pro compensatione pecuniae vel alterius commoditatis temporalis quae a Principe datur Ecclesiae, sed iura spiritualia ipsi Principi concedit in utilitatem concretam et relativam Ecclesiae; igitur deest animus simoniacus, seu studiosa voluntas comparans spiritualia temporalibus.

Ad 2 ius pontificium non imminui quia Pontifex per Concordatum non sese expoliat potestate sua, sed tantum

pares, sed sensu quodam latiori, iuxta quem praesciuditur an contrahentes sint iure pares vel non, et consideratur tantum obligatio reciproca orta ex mutuo consensu. Unde cl. *De-Angelis*, op. cit. app. lib. I, de Concord., celebrem formulam edidit: « Concordata sunt concessiones ratione materiae, contractus ratione formae ». Cfr. *Cavagnis*, op. cit. 1, n. 641 et seqq.; *Wernz*, op. cit. tom. I, tit. VIII; *Icard*, op. cit. I, n. 69; *Bonal*, Inst. can., tom. I, n. 62.

(1) Ita ex. gr. *Clemens VII* declarat: « Non recedere ab iis quae per Concordata conclusa et acceptata fuerunt »; et *Iulius III*, Bulla « *Decet Romanos* » 1554: « Eadem Concordata vim pacti inter partes habere, et quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse neque debere ». Cfr. pariter *Leon. X* in Bulla « *Primitiva Ecclesia* » an. 1516 quae in Conc Later. publicata est; *Bened. XIV* in Concordato cum rege Hispano an. 1753; Alloc. *Pii IX*, 17 Dec. 1860, 17 Dec. 1870; Card. *Antonelli*, not. diplom. 26 Iunii 1860, 3 Aug. 1861; et *Leon. XIII*, in encycl. ad Gallos « *Nobilissima Gallorum* » 8 Febr. 1884.

Unicum documentum quod in contrario affertur est epistola *Pii IX* ad vice-comitem *De Bonald* die 19 Iunii 1871 (Cfr. *De-Angelis*, op. cit. p. 103); sed haec epistola est gratulatoria, pugnaverat enim auctor contra praetensiones regalistarum, et non confirmatoria doctrinae; et nihil est, comparata cum documentis solemnibus allatis. Cfr. *Cavagnis*, op. cit. I, n. 649 et seqq.

adsumit obligationem circa modum ea utendi, conservandi Principi aliqua privilegia et abstinendi a quibusdam actibus iurisdictionis, nisi aliud requirat animarum salus (1).

Ad 3 quod sicut plenitudo iuris divini primatialis non minuitur in Pontifice contrahente ex obligatione libere suscepta per Concordatum, ita neque in successoribus. Successores enim sicut succedunt iuribus accidentalibus, ex. gr. dominio acquisito ab antecessoribus, ita et oneribus iuste susceptis; est autem in natura societatis perpetuae, ut onera suscipiantur nomine ipsius societatis, sicut et eius nomine iura acquiruntur, non autem tantum nomine personali rectorum actualium (2).

97. Sed iam *de privilegiis conventionalibus*.

Privilegium conventionale a Suarez (3) definitur: « Lex privata aliquid speciale concedens vel contra vel supra ius non tamen omnino gratiose, sed cum aliqua obligatione iustitiae seu recompensatione recipientis ». Tale privilegium, ut notat idem Auctor, cum vi pacti includat mutuam obligationem iustitiae per solam voluntatem concedentis non potest a concedente revocari: ergo de se per-

(1) Inter Superiorem et subditum posse autem aequalem obligationem intercedere, commune est apud Theologos et Canonistas. Ita ex. gr. *De-Lugo,* De iustitia et iure, Disp. XXI, n. 280, scribit: « Principem supremum posse contrahere cum subdito, an vero obligetur solum naturaliter ut plures volunt, an etiam civiliter ut alii dicunt, est fere quaestio de nomine. Certum est principem non ita obligari ut possit a iudice vi coërcitiva cogi ad observandum contractum; potest tamen a iudice declarari principem obligatum esse ex contractu ad id praestandum, quae aliquo modo poterit appellari obligatio plus quam naturalis ». Et *Reiffenstuel,* Ius can. univ., lib. I, tit. 25, n. 35: « Quinimo adeo hoc verum est ut tametsi princeps sit solutus legibus, nihilominus iis obligetur ex pacto etiam cum propriis subditis inito, adeo ut ab eo recedere non possit etiam de plenitudine potestatis, prout cum aliis notat *Fagnanus* in cap. *Antigonus.* Ratio est quia princeps ex pacto obligatur iure naturali et divino cui et Papa et Imperator subiiciuntur ».

(2) *Cavagnis,* op. cit. I, n. 656 et seqq.

(3) De legibus, lib. VIII, c. IV, n. 6.

petuum est. « Et princeps, pergit ipse Suarez, tenetur servare pacta etiam cum subditis facta.... et in casu raro quo posset princeps privare subditum rebus suis, etiam poterit revocare privilegium non obstante contractu, quia eadem est vel maior ratio.... haec tamen est magis declaratio quam revocatio, quia a principio intelligitur illa conditio in privilegio inclusa, etiamsi per modum contractus concessum sit, quia etiam alia bona subditorum intelliguntur esse hoc modo et pro talibus casibus (scilicet pro bono communi) subiecta dispositioni principis ».

98. Haec doctrina de privilegiis conventionalibus applicatur ab aliquibus (1) Concordatis quae proinde definiunt: « Leges aliquid speciale concedentes vel contra vel supra ius pacto interveniente ex parte concedentis conservandi tales concessiones nonnullis sub conditionibus quae talem obligationem faciant licitam ». Hoc modo, aiunt, agnoscitur in Concordatis ratio privilegii et non excluditur vis pacti synallagmatici quod mutuam obligationem iustitiae includit.

« Hinc intelligitur, ait cl. Solieri (2), quomodo Romani Pontifices ex una parte declarent propriam potestatem his pactionibus ligari non posse (3), reges vigore privilegii apostolici ius in Concordatis concessum exercere (4); ex altera, Concordata pactorum aut veri contractus utrimque obligantis vim habere. Itemque intelligitur quomodo antiqua Canonistarum schola una voce proclamet R. Pontificem etiam sine causa *de plenitudine potestatis*, Concordatis derogare, *non autem licite* potestate ordinaria, simulque communiter

(1) *Giobbio*, I Concordati; *Solieri*, op. cit. lib. II, tit. III, n. 334 et seq.

(2) Op. cit. n. 337.

(3) *Callistus III* ad Fridericum III imperatorem. Cfr. *Satolli*, op. cit. p. 195.

(4) Ita in artic. 19, Concordati austriaci. Cfr. *Nussi*, Conventiones de rebus eccl. etc.; *Brück*, Conventiones etc.

Concordatis privilegii ac pacti vim inesse affirmet (1). Ultra tamen concedimus nimis in terminologia veterum non esse insistendum, praesertim cum illis temporibus nulla hac de re fieret controversia ».

99. Nobis hic observandum: cum hae quaestiones quae in scholis catholicis etiam nunc agitantur validis omnes argumentis nitantur et a clarissimis Canonistis etiam recentioribus sustineantur, usque dum Roma locuta non sit, fas est illam sententiam amplecti quae unicuique magis placuerit (2). Si nostram tamen opinionem humiliter submittere licet, praeferendam ducimus quae demonstrat Concordata, quamvis quoad substantiam sint privilegia, induere naturam contractuum bilateralium *sensu lato*, utrimque obligantium et in utriusque contrahentis utilitate.

Dicimus *sensu lato*, nam *sensu stricto* in contractu bilaterali requireretur ut contrahentes sint iure pares et obiectum non sit debitum, dum e contra hic habemus Ecclesiam quae est superior Statui, et Status qui etiam citra pactum tenetur Ecclesiae concedere quidquid necessarium est ad suum finem consequendum.

Ut autem aliquam ex doctrina exposita definitionem completam Concordatorum eruamus, concludere possumus: Concordata sunt leges singulares vi quarum Ecclesia quaedam concedit vel aliquid remittit de exercitio suorum iurium favore Principum, dum Status repromittit adiutorium in reliquis vel saltem libertatem.

(1) Ita *Branden*, *Laymann*, *Wagnereck*, *Engel*, *Pirhing*, *Reiffenstuel*, *Nicolarts*, *Wiestner*, *Laurenius*, *Schmier*, *Pichler*, *Schmalzgrueber*, *Maschat*, *Zallinger* quos citat cl. *Baldi*, S. I, in opere: De natura et peculiari indole Concordatorum, in foliis lith. redacto.

(2) Cfr. *Philippe Elie*, Le canoniste contemporain. An. 12, livraison 142, 1889.

ARTIC. III.

De Concordatis ineundis, interpretandis et rescindendis.

100. Tres conditiones requiruntur ad licite et valide Concordata ineunda, scilicet *potestas ex parte contrahentium* (1), *materia licita obligationis* (2), *liber consensus*. Igitur si dolo vel errore versante circa rei materiam vel metu gravi iniuste incusso, consensus extortus sit, firmum esse nequit (3) Concordatum. Adeoque si pars laesa velit, illud rescindere potest.

101. Quoad interpretationem pauca.

Cum pro sensu alicuius Concordati controversia exoritur, prius procedendum est amicabili quadam ratione; scilicet Ecclesia et Status collatis consiliis studere debent, et difficultatem solvere iuxta clausulam quae ordinario in Concordatis ponitur: « *Si qua vero in posterum supervenerit difficultas..... invicem conferent ad rem amice componendam* ». Si illa componi nequit absque iudicio authentico cui utraque pars stare debeat, hoc nonnisi ab Ecclesia expectandum est. Nam in rebus spiritualibus vel quae spiritualibus nectunctur servat Ecclesia supremam auctoritatem non obstante quacumque delegatione quae intercidit (4).

(1) Ex parte Ecclesiae hoc ius hodie reservatur R. Pontifici, quamvis media aetate etiam Episcopos legimus iniisse Concordata. Ita v. gr. Concordatum inter Guillelmum V ducem Bavariae et Archiepiscum Salzbourgensem (1583); inter Electorem Emanuelem et Episcopum Augsbourgensem.

(2) Ita de privatorum vel societatum pactis affirmatur a Theologis. Cfr. ex. gr. *Less.*, De iustitia et iure, lib. II, c. 17, dub. V et VI. Vide tamen casus exceptos apud *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor., n. 132, 133.

(3) Huc pertinent concessiones a Paschali II Henrico V factae, quae proinde in Lateranensi secunda synodo, merito revocatae sunt. Item Concordatum initum Fontainebleau a *Pio VII* cum Napoleone I, an. 1813. Cfr. *Hergenroether*, vol. VII, c. 1, n. 87, 88, 252, 253; *Rohrbacher*, tom. XV, c. 91, p. 281.

(4) Cfr. *M. De-Luca*, Ius publ., n. 82; *Giobbio*, op. cit. n. 105.

102. Concordata dissolvuntur 1° ex communi consensu vel quando deprehenditur aliquod ex tribus elementis ad Concordatum essentialibus desiisse (1); 2° ad denunciationem partis innocentis, si, absque ratione, alia non stat pactis conventis; 3° si ex mutatione circumstantiarum res incidat in eum casum a quo incipere non poterat, i. e. materia fiat phisice vel moraliter iudicio Ecclesiae impossibilis seu illicita (2).

(1) Concordata non dissolvuntur, tametsi mutatur forma *Gubernii*; nam inita fuere nomine societatis, quae est persona moraliter perpetua. Cfr. *Giobbio*, op. cit. n. 136.

(2) *Cavagnis*, op. cit. I, n, 684.

PARS II.

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE.

---

103. Tota doctrina de legitimo potestatis subiecto pendet a voluntate sive immediata sive mediata Christi; ipse enim cum sit unicus Auctor Ecclesiae ius habet eiusdem ordinationem et constitutionem determinandi.

Nobis ergo inquirendum quid Christus Dominus voluerit positive, seu quae sit vera Ecclesiae constitutio, ut proinde deprehendamus quid non sit, quam scilicet falsa systemata ab adversariis contra ipsam veram constitutionem inventa.

CAPUT I.

De vera Ecclesiae constitutione.

104. Ex S. Theologia constat duas constituisse Christum in Ecclesia potestates quae *Hierarchiae* appellantur, scilicet *ordinis* et *iurisdictionis*.

Hierarchia ordinis essentialiter per consecrationem obtinetur et adnectitur characteri sacramentali, ideoque inamissibilis, quamvis quoad usum subordinata sit potestati iurisdictionis.

Hierarchia iurisdictionis cum deputatione et missione apostolica confertur et amitti potest (1).

(1) Cfr. *Billot*, De Ecclesia, thes. XV, § 1; *Franzelin*, De Ecclesia, thes. 5; *Mazzella*, *Hurter*, *Paglia*, etc.

De potestate ordinis vide in iure privato; hic agimus tantum de potestate iurisdictionis quae definiri solet (1): « Potestas ferendi leges, iudicandi de actibus subditorum eosque coërcendi poenis »: potestas scilicet legifera, iudiciaria et coactiva (2).

105. Iurisdictio alia est *ordinaria*, alia *delegata* seu *mandata* (3). *Ordinaria* est quae cuipiam iure proprio competit, seu ratione officii aut dignitatis, cui vel ex generali canonum disciplina, vel ex privilegio, vel ex legitima consuetudine perpetua adnectitur ac nomine proprio exercetur. *Delegata* seu *mandata* dicitur quae ad certum tempus vel ad certam causam vel donec concedenti visum fuerit competit ex mandato vel delegatione illius qui delegandi ius habet, ut huius nomine exerceatur (4).

Gaudent potestate iurisdictionis *ex divina institutione* successores tantum Apostolorum; attamen sicut aliter col-

(1) Dicitur etiam potestas pascendi, seu gregem Christi regendi, tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium. Cfr. *Tarquini*, op. cit. lib. II, n. 3.

Vel, potestas publica quae profluens ex natura ipsa sacerdotii ex facto Christi competit sacerdotibus evangelicis ad fidelium regimen et gubernationem. Cfr. *Berardi*, Comm. in ius Can., lib. I, diss. I.

(2) Cfr. *Berardi*, op. cit. l. c.; *Pirhing*, De offic. iud. ordin. n. 1; *Molina*, De iust. et iur., tract. V., disp. 2; *Reiffenstuel*, p. I, n. 3.

(3) Alia est *contentiosa*, alia *voluntaria*.

Contentiosa exercetur super his qui in iudicio contendunt. Quae non super his exercetur, appellari solet *voluntaria*, (quia in volentes regulariter exercetur); ut ecce quae exercetur dispensando, absolvendo, praecipiendo.

Alia est *fori externi*, alia *interni*.

Iurisdictio *externi fori* est quae ius aut obligationem inducere vel auferre potest etiam coram Ecclesia. Contra, iurisdictio *interni fori* pertinet ad regendas relationes hominis ad Deum. Cfr. *Piscetta* op. cit. vol. I, tract. IV, disp. alter., T. I, c. I.

(4) Cfr. *Solieri*, op. cit. lib. I, c. I.

lata fuit haec potestas Beato Petro et aliter Apostolis, ita agemus prius de auctoritate S. Pontificis et deinde de auctoritate Episcoporum.

ARTIC. I.

De potestate S. Pontificis.

§ I.

De natura Pontificatus.

106. Ex S. Theologia novimus primatum a Christo B. Petro collatum non esse tantum honoris sed etiam iurisdictionis, ideoque importare potestatem supremam, ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam, legiferam, iudiciariam, coactivam.

Et probatur ex Conc. generalibus ac praesertim ex can. Conc. Vaticani qui adiectus cap. III de Ecclesia: « Si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero *totam plenitudinem* huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse *ordinariam* et *immediatam* sive in omnes et singulos pastores et fideles, A. S. » (1).

(1) Et iam primum Conc. *Lugdun.* II: « Ipsa quoque S. Rom. Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet... cum plenitudine potestatis. » Cfr. *Harduin,* Collec. Conc. tom. 7, p. 695.

Item. Conc. *Florentinum*, in decreto unionis. Et *S. Bernardus* Eugenio III scribebat: « Tu es potestate Petrus; tu es cui claves traditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae

Dicitur *plena* quia in Ecclesia non extat aliqua potestas qua careat summus illius Rector; *suprema* quia eminentior hac non datur in Ecclesia quippe cum ipsa a nulla alia, et potius quaelibet alia ab ipsa dependeat; in *tota plenitudine* quia sacra potestas non est divisa, quasi nempe una pars in Papa, altera in Episcopatu, sed in S. Pontifice seorsim spectato tota residet; *immediata et ordinaria*, scilicet non delata Ecclesiae et per hanc commissa S. Pontifici ut ipsius ministro, sed directe per B. Petrum a Christo in successores transfusa (1). Unde Inn. III, c. XIII, Decret. de Iudiciis II declarat: « Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo ».

107. Eadem veritas descendit ut Corollarium ex dictis de iure internationali Ecclesiae; nam si christiana societas gaudet vera personalitate internationali, necessario consequitur quod eius Caput sit Princeps secundum ius internationale; ideoque ei competat realis suprema potestas (2).

Hanc autem esse veram potestatem in ordine politico ex hoc patet quod etiam in hanc sphaeram, vim suam plenam exercere potest, ut demonstratur ex recentissimis rebus actis in ecclesiastica diplomatia (3).

Et hic animadvertendum quod haec suprema potestas,

caeteris nomen haereditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probo, quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? illius vel illius populi, civitatis aut regionis, aut certi regni? *Oves meas*, inquit. Nihil excipitur ubi distinguitur nihil. Ergo iuxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt ». De Consideratione, l. II, c. 9.

(1) Cfr. *Aichner*, op. cit. § 25; *Wernz*, Ius Decret., II, § 568.

(2) Cfr. *Taparelli*, Dritto natur., vol. II, n. 1457.

(3) Cfr. *Giobbio*, op. cit. n. 69 not. ubi refert quaestionem de insulis Carolinis et de conventu Hagae pro pace universali.

R. Pontifici non competit ex dominio temporali (1), sed ex natura ipsius societatis ecclesiasticae et ex voluntate eiusdem Creatoris iuxta verba S. Scripturae: « *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius* ».

Et revera etiam nunc, post amissionem dominii temporalis, S. Pontifex veram et immediatam potestatem exercet (2). Et nullus Princeps civilis contestari potest Papae characterem Repraesentantis unitatem centralem Ecclesiae catholicae (3).

108. Scimus praeterea ex eadem Theologia hanc potestatem, cum pertineat ad ipsam Ecclesiae constitutionem, esse perpetuam ideoque et ad successores pertransire et B. Petro in auctoritate primatiali succedere romanum Episcopum (4). Igitur S. Pontifex ut Episcopus Romae gaudet auctoritate plenâ, immediata, suprema, includente apostolatum et infallibilitatem (5).

(1) Cl. *D' Olivart*, Op. cit. p. 11, 12, affirmat: « Le chef de l'Eglise catholique a le droit d' etre traité comme un souverain indépendant, en raison de sa mission divine et du ministére apostolique qu' il exerce sur le monde entier, et celà même en dehors de toute consideration de principauté et de pouvoir civil ».

Item et *Geffcken*, La Condizione del S. Pontefice nel Diritto internazionale, p. 44, scribit: « Non si può ammettere che il Papa possieda una mera sovranità onorifica. Imperocchè la inviolabilità della persona e della residenza, il diritto attivo e passivo di ambascieria, non sono diritti di mero onore, ma privilegii positivi e sostanziali, al pari degli analoghi diritti del Re; e sotto questi rispetti il Pontefice è parificato ai veri sovrani ».

(2) Apte cl. *Corsi*, La situazione attuale della S. Sede nel Diritto internazionale: « Il Papa esercita tuttora i diritti internazionali, poichè si trova nel possesso e nel godimento dei diritti di sovranità; che se esso non esercita tali diritti rispetto a quello che era prima il territorio romano, li esercita non pertanto in Vaticano, dove è sovrano alla pari di qualunque altro sovrano e può quindi esercitare i diritti che alla sovranità competono, anche quelli giurisdizionali ed il potere coercitivo ».

(3) Cfr. *Giobbio*, op. cit. I. n. 69.

(4) Conc. Flor. et Vatic. iam cit.

(5) Conc. Lugdun., Flor., Vatic. Cfr. *Paglia*, De Rom. Pontifice.

§ II.

De iuribus S. Pontificis.

109. Post ea quae derivant ex praerogativis *apostolatus* et *infallibilitatis*, S. Pontifex gaudet iure *constituente secundario*, iure *legislativo*, *iudiciali*, *coactivo*, *administrativo*.

Vi *apostolatus* ipse unus mittit missionarios, et christianitates incipientes regit per vicarios apostolicos, praefectos etc.

Vi *infallibilitatis* ius habet definiendi in rebus fidei et morum; ideoque ad eum spectat *a*) beatos et sanctos declarare; *b*) symbola conficere atque generali lege praescribere quo tempore et a quibus solemnis professio fidei sit emittenda; *c*) cathechismos atque libros pro instructione religiosa adprobare in universa Ecclesia; *d*) erigere universitates et studia generalia pro Clericis, iisque sua iura et privilegia ac decora tribuere; *e*) missiones dirigere in toto orbe; *f*) condere leges de approbatione et editione librorum; *g*) prohibere lectionem quorumdam librorum; *h*) damnare propositiones et doctrinas contrarias catholicae religioni (1).

110. *Iure constituente secundario* ad R. Pontif. pertinet *a*) erigere novas ecclesias, vel antiquas coniungere, dividere, dismembrare; *b*) eximere a iurisdictione Ordinariorum, sibi immediate reservando, monasteria, ecclesias, ordines regulares; *c*) Episcopos nominare, confirmare, instituere, removere, deponere, trasferre atque iis Coadiutores Vicariosque apostolicos sufficere (2).

111. Scholion. — **De iure legationis.**

Ad ius constituens secundarium R. P. pertinet etiam ius legationis.

Ius legationis est facultas mittendi et accipiendi pu-

(1) Cfr. *M. De-Luca*, Ius publ., II, n. 35.
(2) *Conc. Trid.* sess. XXII, c. 8; *Inn. III*, l. 3, c. 5.

blicos ministros; ideoque duplex distinguitur legatio, *activa* scilicet et *passiva* (1).

Primi huic S. Pontificis iuri adversarii fuerunt Gallicani qui, potestatem S. Pontificis ad spiritualia tantum cohibentes, supremum dominium Ecclesiae in christianas republicas impugnarunt et viam panderunt novatoribus et regalistis qui negant Papae facultatem legatorum mittendorum *iure ordinario* (2) ad pertractanda negotia ecclesiastica, vel illam ei concedunt sed tantum ex consensu civilis gubernii (3).

Alii eventu extrinseco et accidentali, dominio scilicet temporali nitentes, ex tali civili potestate tantum ius legationis emanare contendunt, et hoc amissum dicunt postquam Papae nova conditio creata fuit occupatione bonorum temporalium (4).

(1) Scribit cl. *Calvo*: « Un des attributs essentiels de la souveraineté et de l'indipendence des nations est le droit de Legation, qui consiste dans la faculté de se faire représenter au dehors par de agents diplomatiques et consulaires, chargér de cultiver avec les autres nations des relations d'amitié et de bonne armonie. Contester à un souverain le droit de se faire représenter à l'étranger, c'est contester sa souveraineté même ». Op. cit., tom. III, n. 1321.

(2) « Ius Apostolicae Sedis, docebat *M. Antonius De-Dominis*, De republica christiana, mittendorum cum iurisdictione Nuntiorum et exercendae suae Primatialis potestatis in Dioecesibus aliorum Episcoporum, tunc tantum vindicare sibi locum potest, ubi casus extraordinariae necessitatis advenerit ». Item *Richerius* et *Eibel*.

(3) « L'istituzione dei Nunzii come pure l'autorizzare un Legato ad esercitare singoli atti di governo ecclesiastico dipendono dal beneplacito dei governi dei relativi stati ». *Friedberg-Ruffini*, Tratt. di Dir. Eccl., § 63, p. 274.

(4) Iuxta *Bluntschli*, « depuis la disparitions des Etats de l'Eglise, les legats ou nonces ont entièrment perdu le caractère d'envoyés, au sens strict, puisqu' ils ne sont plus les représentants d'un Etat ». (Apud *Giobbio*, Lezioni di Diplomazia Eccles. pag. 203). Item et *Esperson*, Diritto diplomatico e giurisdizione internazionale ecc., § 51, 52.

Omnes vero in falsis principiis theologicis et historicis suam theoriam fundant cum negant ius legationis ex intima vi et natura R. Pontificis consequi, vel cum huius iuris exercitium ad solum periodum dominii temporalis coarctare praesumunt (1).

112. E contra ex S. Theologia invicte probatur et in Concilio Vaticano (Const. « *Pastor aeternus* ») definitur « S. Pontificem habere plenam et supremam potestatem iurisdictionis, ordinariam et immediatam in universam Ecclesiam et in omnes et singulas eius partes, in omnes et singulos pastores et fideles; ideoque ius ei esse libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae quin ab ulla humana potestate impediri possit ».

Atqui haec communicatio impossibilis reapse vel difficillima evaderet si Papa, qui personaliter nequit relationem immediatam habere cum omnibus et singulis pastoribus et fidelibus in toto orbe diffusis, facultate non gauderet legatos plena potestate mittendi, qui apud varias nationes vices suas gerant (2).

(1) Hic gravissimus fuit error gubernii hispanici, quod mense oct. 1801 postulavit a *Pio VII* « ut Nuntius Apostolicus Matritensis haberetur ut simplex nuntius (ambasciatore) principis temporalis ». Quibus praetensionibus Card. *Consalvi*, 9 Ian. 1802 recte respondit: « La sovranità temporale di Sua Santità è puramente *secondaria* a confronto del suo sommo *apostolato* ». Cfr. etiam epist. Card. *Iacobini*, 15 Apr. 1885 de aliis erroribus in Hispania sparsis circa naturam officii Nuntii Apostolici in Act. S. Sedis, vol. XVII, p. 561 et seqq. Cfr. *Wernz*, op. cit. II, n, 683.

(2) Opportune *Audisio*, Op. cit. tit. VII, n. 6: « Chi ha l' ufficio divino e costante di pascere, reggere e governare, avrà pure il dovere e il diritto di fare per opera altrui quello a cui non basti la sua presenza personale. E di mostrarsi non quando la greggia sia avvelenata o morta di fame, o guasta la fede, o sconvolto il reggimento e la disciplina; il che renderebbe idea d'una presidenza imbecille e da insensati; ma di far opera costante, e tenere l' occhio aperto, e le braccia tese per ogni parte. Occhio e braccia del Pontefice sono i Legati ».

Porro S. P. Pius VI, ex gravioribus et insignioribus iuribus primatus in S. Petro eiusque successoribus a Christo instituti hoc vindicat « quo praeditus R. Pontifex, dum agnorum et ovium sibi concreditorum curam gerit universam, suo fungitur apostolico munere per ecclesiasticos viros sive *stabiles* sive *ad tempus* velut magis expedire censuerit, delegatos in iis dissitis locis, ubi ipse interesse non potest, praecipiens eisdem ut ibi suas vices obeant eamque iurisdictionem exerceant, quam is per se, si adesset exerceret » (1).

113. Et historia testatur iam temporibus apostolicis hoc ius legationis viguisse. Petrus enim Ierusalem mittit Barnabam Antiochiam ut sacro ministerio, suo nomine, perfungatur, et Roma cum epistolis Sylvanum ad incolas Ponti, Gallatiae, Cappadociae, Asiae et Bitiniae. Item e Concilio Hierosolimitano legati mittuntur Iuda et Sila cum Paulo et Barnaba cum litteris synodalibus (2).

Restituta autem ab imperatore Constantino pace et libertate Ecclesiae, instituuntur *Apocrisarii* seu *Responsales* quibus id erat officii ut, tamquam procuratores, omnes causas ecclesiasticas ad eos a quibus mandatum acceperint attinentes in aula imperatoris agerent. Primus inter hos memoratur Iulianus episcopus Coënsis a S. P. Leone I ad imperatorem Marcianum missus ut defenderet ecclesias orientales ab haeresia Nestorii (3); et serius Gregorius M. qui Con-

(1) In Respons. super Nuntiaturis Apostolicis, cap. VIII.

(2) *Act. Apost.*, c. XV, v. 22 et seqq.

(3) « Studeat ergo dilectio tua, scribebat ei S. Pontifex, piam et necessariam curam sollicitudini Apostolicae impendere quae tibi apud se nutrito catholicam contra Nestorianos et Eutychianos haereticos actionem materno iure commendat: ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanae urbis opportunitate non desinas, ut praedictorum dogmatum impius numquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum principum clementia, ut confidenter eis possis, quae sunt insinuanda suggerere, pietate ipsorum, ad utilitatem Ecclesiae universalis, utaris ». Epist. 60. Cfr. etiam *De-Marca*, De Concord., lib. V, c. XVII, n. 2.

stantinopolim S. Pontificis Pelagii delegatus venit ut causam populi christiani Italiae a Longobardis oppressi ageret (1).

Eodem tempore, forte et antea, creati sunt *Vicarii Apostolici* qui ratione suarum sedium vices R. Pontificis gerebant (2). Ita Innocentius I (412) suum Vicarium in Illiria constituit Ruphum Episcopum Thessalonicensem; S. Zosimus ineunte saeculo V Patroclum Episcopum Arelatensem in Gallia; S. Simplicius et S. Ormisda instituerunt Vicariatus Tarraconensem (a. 517) et Hispalensem (a. 520) (3).

Ineunte saeculo IX coeperunt latius propagari *legati nati* qui nomine tantum differebant a Vicariis Apostolicis (4). Hinc originem habuerunt legationes Germaniae ut constat ex Ioanne XIII qui an. 967 privilegium *Primatis* confirmabat Friderico Archiepiscopo Augnstae Trevirorum (5).

Saeculo autem XV Apostolica Sedes, vix aut ne vix quidem extincto Primatum et Legatorum natorum iure, consilium iniit eligendi viros exteros, principibus gratos, et ecclesiastica dignitate fulgentes, eosdemque stabili facultate et potestate muniendi, eo prorsus modo quo cum Vicariis Apost. et cum Legatis natis actum fuerat (6).

(1) Cfr. *Thomass.*, l c. P. I, l. II, c. 110, n. 5; *Bouix*, De Curia, p. 595; *Giobbio*, op. cit. p. 195.

(2) De his dicitur quod ipsis Romani Pontifices « vices suas committebant in certas quasdam provincias, earumque metropolitas. Huius Vicarii munus erat, tum invigilare, ut ab omnibus reservarentur canones: tum provinciis illis et metropolitis ius dicere, ac de omnibus ferme causis ibidem supremam ferre sententiam, intactis tamen et integris metrapolitanorum ipsorum iuribus. Dixi: de omnibus ferme causis; nam neutiquam poterant de omnibus absolute: maiores et graviores sibi Pontifex reservabat ». *Pii VI* Responsio etc. c. VIII, sect. III.

(3) Cfr. *Giobbio*, op. cit. l. c.

(4) Respons. cit. *Pii VI*, c. VIII, sect. IV, n. 108.

(5) Cfr. *Honthein*, Historia Trevirens.

(6) Cfr. *Pii VI* Resp. cit. c. VIII, sect. IV, n. 130. Ipse S. Pontifex addit: « Impotens enim aemulandi studium quod Metropolitanos invaserat, in causa fuit cur Pontifices, volentes iniuncto

Quare dicendum quod vestigia triplicis vel quadruplicis speciei legatorum (1), quibus sequentibus saeculis S. Pontifices usi sunt, iam antiquis temporibus reperiuntur.

Patet ergo ius R. Pontificis legatos mittendi in dissitas regiones stabiliter et independenter vi primatus iurisdictionis spiritualis insitum esse.

114. Itaque etiam nostris temporibus hoc ius subsistit et agnoscitur a civilibus potestatibus quae semper maximis honoribus et cum praecedentiae praerogativa (2) Nuntios Apostolicos excipiunt (3), et proprios legatos et ministros plenipotentiarios ad S. Sedem mittunt (4). Quoad vero dif-

sibi Apostolatus munere perfungi, nolentesque amplius indigenis uti, quibus suas ut antea vices committerent ac demandarent, id coeperunt consilii, a saeculo XV ad hanc nostram aetatem, ut a proprio latere in Germaniam, in Galliam, in Hispaniam, in Lusitaniam, et in alia etiam regna, advenas Nuntios mitterent, nulli parti addictos, ecclesiastica dignitate ornatos, principibus caros; atque apud catholicas aulas et in urbibus principibus ordinarias Nunciaturas instituerent ». Op. cit. c. VIII, sect. VI, n. 132.

(1) Vide in iure privato.

(2) Cfr. Regul. Viennae an. 1815, quo statutum est Nuntios Apostolicos primum locum inter omnes legatos civilium Potestatum obtinere. Cfr. *Giobbio*, op. cit. p. 447 et seqq.

(3) Legati S. Pontificis apud principes, ut demonstrat cl. *Pradier-Fodéré* « n'out pas cessé d'avoir le caractére d'envoyés diplomatiques et leur situation doit être celle des ministres publiques envoyés par de souverains temporals à des souverains temporals ». Cours de droit diplomatique, Tom. I, p. 195, 197.

(4) « Auche attualmente, refert cl. *Giobbio*, vi ha un Corpo diplomatico accreditato presso il Vaticano, assolutamente distinto da quello che è accreditato presso il Quirinale. Questo corpo diplomatico è composto degli Ambasciatori d'Austria-Ungheria, di Francia, di Portogallo e di Spagna, dei Ministri Plenipotenziarii dell'Argentina, di Baviera, del Belgio, della Bolivia, del Brasile, del Chili, di Colombia, del Principato di Monaco, di Nicaragua, del Perù, della Prussia, di San Domingo e del Ministro Residente di Russia. Non hanno attualmente Ministri accreditati presso il Vaticano le repubbliche di Costarica, dell'Equatore, d'Haiti, d'Honduras ed il governo d'Olanda » op. cit. pag. 342.

In Italia lex vulgo *Delle guarentigie* habet:

ficultates quas aliqui obiicere possunt super Nuntiaturis (1), observamus quod innumerabilia sunt commoda quae ex iis proveniunt Ecclesiae et Statibus. « Pudeat (detractores), ait S. Pontifex Pius VI, iactasse in vulgus, ac praedicasse Nunciaturarum incommoda, ac detrimenta, quibus Nationes premantur ac divexentur; cum e contra commodum illae, utilitatemque populorum pariant non levem, utpote qui nullo negotio, nullaque impensa sibi sumunt a Nuntiis omne subsidiorum genus, quae alias ab Urbe, et a Pontifice Summo sibi essent expetenda » (2).

115. *Iure legislativo* potestatem habet *a*) leges ferendi sive pro universa Ecclesia, sive pro particularibus, tum solus

Artic. 11: « Gli inviati dei governi esteri presso Sua Santità godono nel regno di tutte le prerogative ed immunità che spettano agli agenti diplomatici secondo il Diritto Internazionale. Agli inviati di Sua Santità presso i Governi esteri sono assicurate nel regno le prerogative ed immunità d' uso secondo lo stesso Diritto nel recarsi al luogo di lor missione e nel ritorno ».

(1) E. *Geffchen*, La condizione del S. Pontefice nel diritto internazionale, pag. 72.

(2) Op. cit. c. VIII, sect. V, n. 138 et seqq.

Et cl. *Sauvé*, Qu'est-ce qu' un Nonce? pag. 21, auctoritate celeberrimorum scriptorum asserere non dubitat: « Il y aurait toute une histoire interessante à faire sur les services qu' ont rendus à la civilisation les envoyés du Saint-Siège, a toutes les èpoques de l' Eglise, et sur ceux qu' ont rendus en particulier les Nonces depuis le XV siecle. On ne saurait croire combien d' avantages a procurès á la religion catholique le rôle des Nonces apostoliques, combien il à contribué à l'augmentation de la foi, au mantien de la paix et de la discipline ».

Et cl. *Hartzhein*: « Incredibile est quanto catholicae rei bono fidei salutiferae incremento, disciplinae et pacis commodo invigilaverint Nuntii Apostolici ». Cfr. *Giobbio*, Op. cit. pag. 216.

Et *Moroni*, Dizionario storico ad vocabulum *Nunzio*, addit: « I beneficii che gli stati ed i regni cristiani ritrassero dalle Nunziature sono innumerevoli, tanto dal punto di vista religioso quanto dal sociale. Si deve alle Nunziature ordinarie e permanenti se in molte regioni si è conservata la fede, se venne mantenuta la disciplina ecclesiastica ed assicurata la prosperità dei governi e dei popoli ».

tum in Concilio; *b*) indicendi, transferendi, suspendendi, praesidendi, claudendi, confirmandi solus Concilia generalia et particularia pastorum; *c*) singulis praecepta imponendi (scilicet gubernandi) et concedendi privilegia; *d*) abrogandi, dispensandi in omnibus legibus ecclesiasticis (hinc et in irregularitatibus) (1).

116. *Iure iudiciali a*) sibi reservat absolutionem a peccatis et a censuris; *b*) iudicat in quocumque gradu etiam primae instantiae (2), nec appellatio admittitur ad Concilium generale (3); *c*) exigit relationes dioecesium ab Episcopis. Hinc ius fidelium libere communicandi cum eo, ut eius directione et regimine fruantur; sicut ipsius cum eis quia est Pastor immediatus omnium fidelium, ius et officium a Deo habens eos pascendi (4).

Iure coactivo inferre potest poenas ecclesiasticas (5); iurisdictio enim sine aliqua coërcitione nulla est; unde cl. Voet: « Vana et illusoria erit iurisdictio nisi nervos haberet imperii ».

Iure denique *administrativo* ad R. P. pertinet possidere etiam bona temporalia et omnium bonorum Ecclesiae tum spiritualium tum temporalium administrationem exercere.

117. Corollarium I. — Ex dictis patet quam minime tolerandos abusus qui hodie contra Ecclesiam et S. Pontificem invaluerunt, scilicet R. Placet et appellationem ab abusu.

De singulis nunc pauca.

(1) Cfr. *Cavagnis*, lib. II, c. I. n. 28.

(2) *Innoc. I*, epist. ad Victric. Rothomag., c. 3; *Bonif. I*, epist. 15.

(3) Const. « *Apostolicae Sedis* » *Pii IX*.

(4) *Ioann.* c. 21, v. 15, 17.

(5) Cfr. *Ferrari*, Inst. can., tit. XIII, n. 121 et seqq.; *Wernz*, op. cit. Vol. II, n. 589; *Aichner*, op. cit. pag. 357.

§ I.

De R. Placet seu Exequatur (1).

118. *R. Placet* iuxta iansenianum Van-Espen (2) est « facultas quam civilis auctoritas impertitur Bullis ac Brevibus pontificiis ceterisque omnibus auctoritatis eccl. actis, ut vim in sua ditione habeant ». Ius autem *R. Placet* est ius defensionis adversus Ecclesiae molimina, naturaliter insitum auctoritati politicae cuius virtute declarat nullam habere vim Bullae, Brevia pontificia atque aliud quodcumque actum ecclesiasticae auctoritatis quibus facultas illa non fuerit impertita.

Ex his definitionibus tota mens patet adversariorum.

119. Ad primaevam originem R. Placet quod attinet, iuvat hic referre ipsa Martini V verba in Bulla « *Quod antidota* »: « Cum dudum in exordiis pestiferi et antiquati schismatis.... ad tollendum scandala, quae propter executio-

(1) R. Placet et R. Exequatur nomine tantum differre videntur. Illud datur actibus auctoritatis regno internae, idest episcopalis; e contra R. Exequatur datur actibus auctoritatis externae, id est S. Pontificis. (Haec distinctio in Italia sese refert ad illud tempus quo Pontifici agnoscebatur dominium temporale illudque de facto possidebat). Cfr. *Cavagnis*, II, n. 2. Et iuxta *Liberatore*, Dir. pubbl. c. III, a. 7, § 4: « Per *R Placet* s'intende l'assoggettamento della promulgazione degli atti giurisdizionali della Chiesa al previo assenso dello Stato; per *R. Exequatur* il permesso dello Stato per dar corso ai medesimi, massime se provenienti da Roma ». Item *Spennati*, Ist. di diritto can. univ., metodo della scuola alemanna, vol. I, pag. 159.

De Regio Placet vide specialem dissertationem Card. *Tarquini*; nec non opus Il Regio Exequatur can. *Ion. De-Dominicis*, in quo et pars historica plane evolvitur. Item vide Origine e vicende del Regio Exequatur nei dominii della real casa di Savoia, per un Vescovo italiano, in quo opere et pars doctrinalis valide exponitur. Item *Estanyol-Bollani*, op. cit. lez. nona.

(2) Cfr. Opus de promulg. leg. eccl.; et Ius eccl. univ., p. 2, tit. 24, c. 6.

nem diversarum litterarum quae ab iis, qui R. Pontificibus in diversis oboedientiis se gerebant, in nonnullis partibus oriebantur, Urbanus VI in sua obedientia nuncupatus concesserit quibusdam Praelatis quod in eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri executio aliquarum litterarum apostolicarum nisi prius huiusmodi litterae Praelatis ipsis vel eorum officialibus ad hoc deputatis exiberentur, et per ipsas approbatae forent: verum quia etiam deinde ipsi Praelati seu officiales in consuetudinem traxerunt, et aliqui praetextu statutorum provincialium seu synodalium similiter servant et servari faciunt, quod litteras apostolicas nullus exequi audeat, nisi post quam Praelati seu officiales ipsi per suas litteras, quas *Vidimus* seu *Placet* nuncupant, mandant etc. ». Erat igitur, ut notat Card. Cavagnis l. c. placitum episcopale ex concessione oeconomica Pontificum. Principes autem schismate durante cum per diversa regna uni vel alteri adhaererent Pontitifici, per ea tempora aliquando sanctione civili muniebant Bullas Pontificum quibus adhaerebant, ceteris exclusis (1).

120. Verum quod tunc ex lacrymabili circumstantia et dura necessitate tollerandum erat, pace Ecclesiae redonata, perdurare non poterat quin offenderentur legitima iura Ecclesiae. E contrario, cessante causa non cessarunt effectus immo vero et alii praetextus a potestate civili prolati sunt ad R. Placet retinendum apud nationes et gradatim amplificandum.

Ita ex. gr. dictum est hoc ius intrinsece ad Statum pertinere 1° quia Status est naturalis protector Ecclesiae; 2° quia ad eum spectat videre an leges Ecclesiae populo nocivae sint, ex quo derivat quod dicunt *ius cavendi*.

His tamen respondendum ad 1· quod supponere leges Ecclesiae examini, non est modus defendendi (2); ad 2, quod

(1) Cfr. etiam *Vouters*, tom. 2, p. 376; *Tarquini*, diss. cit.

(2) Ad rem *Zaccaria*, « Comandi chi può ecc. », pag. 212: « Singularis omnino illa protectio dicenda quae in protecti damnum ac contra protecti voluntatem vi exerceatur ».

si istud ius maiestati imperantium intrinsece inhaereret, procul dubio ethnicis quoque imperatoribus attribuendum esset. Iam vero primis Ecclesiae temporibus ius R. Placet certe non extitit; nam Apostoli sine ullo Placito liberrima potestate non modo fidem praedicarunt, sed et disciplinam moderati sunt. Quod si vero principes iure R. Placet non fruebantur, non intelligitur quomodo iidem, ad religionem Christi conversi et iurisdictioni Ecclesiasticae subiecti, quidquam novi iuris adversus hanc iurisdictionem obtinuerint (1).

Adde quod haec suspicio damni, irrationabilis est; non solum cum historia doceat nunquam Ecclesiam proprio iure abusam fuisse, sed etiam quia finis Ecclesiae omnino diversi generis sit ac finis societatis civilis (2). Ceterum Status, ut innuimus, inferior est, et in conflictu Ecclesia praevalere debet.

121. Merito igitur Ecclesia R. Placet semper damnavit (3) quia directe laedit eius libertatem et independentiam, sub-

(1) Cfr. *Aichner*, op. cit. pag. 101 et seqq.

(2) Cfr. *Solieri*, op. cit. lib. II, tit. III, n. 307. Ipse *Puffendorfius*, De iure natur. et gentium, I, 7, c. 1. § 7 et 8 scite animadvertit ipsam naturalem legem vetare sine rationabili et gravi suspicione in aliorum actiones inquirere, ea de causa quod nocere possunt.

(3) Cfr. Bullas Pontificias:

I. Martini V, « *Quod antidota* », 2 kal. Mai. 1418, in quo refertur constitutio Bonif. IX, « *Intenta salutis* », diei 14 Ian. 1403 contra placitum episcopale.

II. Innocentii VIII, « *Olim felicis recordationis* », 3 Feb. 1486.

III. Eiusdem, « *Dilectus filius* », 30 Sept. 1486.

IV. Eiusdem, « *Officii nostri* », 31 Ian. 1491.

V. Leonis X, « *Regimini* », 1515.

VI. Eiusdem, « *In supremo* », oct. kal. Mart. 1518.

VII. Clementis VII, « *Romanus Pontifex* », 1533.

VIII. Innocentii XI, « *Decet Romanos Pontifex* », 28 Iunii 1689.

IX. Clementis XI, « *Alias ad apostolatus* », 17 Oct. 1711.

X. Eiusdem, « *Nova semper* », 29 Nov. 1714.

XI. Eiusdem, « *Accepimus nuper* », 11 Ian. 1715.

XII. Eiusdem, « *Ad apostolatus nostri* », 18 Aug. 1719.

XIII. Benedicti XIV, « *Pastoralis regiminis* », 30 Martii 1742.

vertit quodammodo ipsam constitutionem Ecclesiae subordinando potestatem ecclesiasticam civili, et supremam auctoritatem legislativam principibus saecularibus concedendo.

Conc. *Vaticanum* (1) ita R. Placet proscripsit: « Damnamus ac reprobamus illorum sententias qui liberam Supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere nisi potestatis saecularis *Placito* confirmentur ».

§ II.

De appellatione tamquam ab abusu.

122. Appellatio proprie dicta, ut videbimus in iure privato, est generatim provocatio ab inferiore ad superiorem iudicem ratione gravaminis illati vel inferendi; et duplex esse potest, iudicialis vel extraiudicialis prout ab actibus iudicialibus vel extraiudicialibus appellatur.

Appellatio fieri potest a sententia *iniqua* quae scilicet lata est a competente auctoritate et servato iuris ordine sed male, saltem iuxta aestimationem appellantis; et a sententia *iniusta* quae lata est ab auctoritate incompetente vel spretis solemnitatibus iuris, vel etiam si manifeste sit iniqua, scilicet manifeste contra legis dispositionem.

XIV. Clementis XIII, « *Postquam nobis* », 15 Ian. 1763.
XV. Eiusdem, « *Ea est de tuo* », 15 Ian. 1763.
XVI. Eiusdem, « *Pateretur* » 25 Iun. 1766.
XVII. Eiusdem, « *Quam graviter* », 25 Iun. 1766.
XVIII. Eiusdem, « *Alias ad apostolatus* », 10 Ian. 1768.
XIX. Pius IX, « *Apostolicae Sedis* », 22 Aug. 1851 qua damnatur opus *Ioan. Neponuc. Nuytz,* Iust. iuris eccl. Cfr. *Cavagnis*, op. cit. II, n. 25.

(1) Const. « *Pastor aeternus* », cap. III.

Appellatio a sententia iniqua dicitur *simplex*, ab iniusta, *tamquam ab abusu.*

Primi fautores huius appellationis fuerunt Richer et Febronius qui cum Gallicanis et Regalistis asseruerunt principem ius habere iudicandi de legalitate causarum etiam ecclesiasticarum, videndi scilicet an iudex ecclesiasticus sibi tribuerit cognitionem et definitionem causarum quae non erant de eius competentia, vel utrum solemnitates iuris servatae sint (1).

123. Ex ipsa tamen data appellationis definitione apparet quam intollerabilis error sit hic abusus; iudex enim laicus ad quem provocatur, nullo modo est superior sed inferior ordini et iudici ecclesiastico, et proinde indirecte dependens. Praeterea haec appellatio est contra principia iuris moderni quod innititur in maxima libertate civium; impedit enim liberam actionem auctoritatis ecclesiasticae in rebus quae ad ipsam exclusive spectant vel in iis quae ad eius constitutionem stricte attinent.

Nil mirum igitur quod haec appellatio proiecta et damnata inveniatur iam in can. 12 conc. Antiocheni, et can. 6 conc. Constantinopolitani et formaliter proscripta sit in syllabo (prop. 41) a Pio IX, ac in Const. « *Apost. Sedis* », ubi excommunicatio R. P. s. r. decernitur contra eos qui cogant directe vel indirecte iudices eccl. ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas (nn. 6, 7).

124. Nec rationes quae adducuntur, ex. gr. ex incom-

(1) *De-Marca,* De concordia sacerd. et imper., lib. IV, cc. 19, 20, 21, enumerat alios casus in quibus a Gallicanis *appellatio tamquam ab abusu* admittebatur, scilicet: « Si constanti usu recepti canones, vel inveteratae consuetudines, adiunctae in fundandis beneficiis conditiones, privilegia Ecclesiae, legitima indulta vel cetera, in quibus libertatis gallicanae constitui solent, violentur....... si regiae constitutiones violentur, quae aut canones confirmant aut de beneficiis decernunt, aut litium instituendarum tam in causis civilibus quam in criminalibus ordinem praescribunt ». Cfr. *Cavagnis,* op. cit. n. 44 et seqq.; *M. De-Luca,* II, n. 40.

petentia iudicis, ex omissione solemnitatum hunc abusum legitimare possunt. Nam Ecclesia ut societas sibi sufficiens et independens ex se iudicare valet de competentia et de solemnitatibus observandis; atque ad ipsam pertinet et sententiam irritam declarare si extra formam can. prolata sit.

Nonnullis tantum in casibus, in iure canonico recensitis (1), recurri licet ad laicam potestatem; sed tunc civilis auctoritas sibi ius non arrogat, immo officio suo fungitur quatenus ad nutum Ecclesiae et secundum eius voluntatem procurat ut canones serventur a subditis suis (2).

125. Corollarium II. — S. Pontifex ius habet etiam ad civilem principatum, quem Deus singulari sua providentia ei adiudicavit in tutelam pontificiae spiritualis libertatis atque omnimode independentiae.

Origo — Ex duabus praecipuis causis civilis principatus S. Pontificis ortus est et coaluit, scilicet *a*) ex spontanea deditione populorum, et *b*) ex principum donatione.

Notum ex historia (3) quod in dissolutione romani imperii, populi innumeris calamitatibus pressi, cum ab imperatoribus Orientis nullum auxilium expectarent, (respondebant enim petitionibus, sibi meliori quo possent modo consulerent) oculos in Episcopos et praesertim in S. Pontificem

(1) Cfr. *Cavagnis*, op cit. pars II, c. III. a. 1; *Bianchi*, op. cit. lib. I, § V. Ita ex. gr. legimus Athanasium a synodo Tyria per summum nefas damnatum, Constantium imperatorem implorasse ut adversus iudices non competentes se defenderet, et causa sua legitimis iudicibus discutienda proponeretur. Cfr. *Walter*, op. cit. § 64; et *Phillips*, II, p. 571.

(2) « Si è sconvolto talvolta l'origine e l'idea di questo dovere, ait *Solaro della Margherita*, Avvedimenti politici, c. 19, n. 4, quando si è scambiato in diritto. Compiendo il dovere di proteggere la Chiesa, i Sovrani riconoscono l' autorità di questa e se ne fanno i difensori: quando pretendono di esercitare un diritto si considerano ad essa superiori, la fanno schiava... ». Cfr. pariter *Vittadini*, Saggio di Diritto pubblico eccl., p. II, a. 2, n. 92.

(3) Cfr. *Brunengo*, Origine della sovranità temporale dei Papi.

convertebant ut ipse eorum indigentiis provideret, et contra domesticas et aeternas discordias eosdem protegeret. Tunc Ecclesia, post pacem datam, amplissimis latifundis aucta, occasione conversionis vel clericalis ordinationis vel professionis religiosae quorumdam praedivitum, et etiam fidelium continuis oblationibus (1), suis divitiis facillime eis sucurrere poterat; cum autem praestigio morali praevaleret, auctoritate multum valebat tum ad fideles ad patriae defensionem et ordinis observantiam revocandos, tum ad barbaros seu hostes compescendos (2). Itaque cum ex una parte Romani Pontifices quaerentes semper bonum populi, sint ex se valde idonei iurisdictionis, et cum ex alia societas christiana ius habeat semetipsam salvandi, deficiente organizatione civili, quid mirum si ad Romanos Pontifices christianus populus in Italia confugeret et, illis rerum summa commissa, ab ipsis auxilium expectaret et regimen sequeretur?

Orta autem saec. VIII haeresi iconoclastarum, error Graecorum imperatorum in hac re penitus dissolvit vinculum quo populi christiani his imperatoribus advinciebantur, et Italiae provinciae S. Pontifici et Romanorum arbitrio ceu derelictae demissae sunt. Ita sensim sine sensu factum est ut S. Pontifices primas partes tenerent in supremo regimine et eis populi sese sponte deferrent (3). Et iam illis temporibus videre erat magistratus inferiores iuramentum S. Pont. parendi praestare, et Pontifices cum Longobardorum regibus tractare ut plures civitates et plura patrimonia restituerent (4).

(1) Cfr. *Socrat.*, lib. 7, cc. 7, 13.

(2) Nemo est qui ignorat per *S. Leonem M.* factum fuisse an. 452 ut Attila Hunnorum rex Romae parceret et cum copiis suis recederet. Paulo post, an. 455 idem Pontifex a Genserico Vandalorum rege obtinuit ut Urbs servaretur, unde magis magisque in diem erga R. Pontificem Romulei populi augescebat fiducia. Cfr. *Vonters*, Hist. eccl., ann. 451-455; *Cassiodorum*, app. tom. I, ep. IX, 2.

(3) Cfr. *Aug. Theiner*, Codex diplom.; *Gosselin*, Pouvoir temporel duPape au mojen âge, I partie.

(4) Cfr. *Iungmann*, Diss. Hist. Eccl., tom. 3, diss. XIV, c. 19; *Cantù*, Storia Univ. tom. IV, lib. IX et X.

126. Alterum factum ex quo firmatus et ampliatus fuit principatus civilis R. Pontificum, ex donationibus regum Francorum Pipini et Caroli M. repetendum. Cum hi Alpes transgressi in Italiam descendissent ad defendendum utpote catholici Ecclesiam et R. Pontificem contra usurpationem Longobardorum, hostibus debellatis, Papae restituerunt terras quas iam possederat seu, ut aiebant, *iustitias* S. Petri (1), et alias insuper addiderunt, *Exarchatum* scilicet et *Pentapolim* (2); eas enim urbes iure belli poterant sub supremo ipsorum dominio retinere ut illas protegerent, vel R. Pontifici tradere ut sub eius dominio Itali sui iuris essent.

His si addes validas donationes comitissae Mathildis sub fine saec. XI (3), habebis iam perfectum civilem R. Pontificum principatum absque suppositis donationibus Constantini imperatoris Papae Silvestro, quae desunt fundamento historico (4).

127. **Legitimitas** — Tituli legitimi acquirendi supremam in aliquam civitatem et populum iurisdictionem, quatuor praecipui recensentur, scilicet *donatio* seu *cessio*, *electio*, *bellum iustum*, *reipublicae necessitas*.

Atqui hi omnes, ut vidimus, obtinent pro civili principatu R. Pontificis (5); quomodo ergo Ecclesia accusari poterit usurpationis? (6).

(1) Animadvertendum heic notat *Iungmann*, l. c. pag. 135, in documentis illius temporis dici civitates reddi ac restitui B. Petro, Pontifici, reipublicae romanae, Ecclesiae romanae, quae voces significatione synonima adhibentur.

(2) *Cantù*, op. cit. IV, p. 553.

(3) *Tiraboschi*, Memorie modenesi, I, 140.

(4) *Cantù*, op. cit. III, lib. IX et IX, p. 719; *Doellinger*, Medio Evo.

(5) Cfr. *M. De-Luca*, Ius publ., vol. II, p. 113, 114.

(6) « Perchè un potere possa esser usurpato, ait *Balmes*, op. cit. IV, p. 148, dee prima esistere, ma ov' era un tal potere a que' tempi? Forse ne' Re? zimbello ognora, vittime spesse volte degli orgogliosi baroni? Forse ne' Signori feudali sempre combattenti fra loro ovvero co' popoli, ovvero co' Re? Forse nel popolo? infe-

Nec dicas quod sicut principatus Pontificis ex voluntate populorum legitime coepit, ita contraria populorum voluntate cessare debet; nam populus liber seu carens principe potest vel sibi retinere supremam potestatem etsi deleget exercitium, vel eam transferre conditionate vel absolute. Iamvero quando eligitur forma gubernii monarchica et quidem alligata dignitati perpetuae, ut in casu S. Sedi, profecto populus confert supremam et independentem auctoritatem irrevocabiliter ideoque non amplius potest rationabiliter dissentire (1).

128. **Necessitas** — Ecclesia, ut vidimus, libera esse debet; atqui plene et evidenter in praesenti societatis conditione libera esse nequit, absque civili principatu; ergo dominium temporale ei fit relative necessarium (2).

Et revera: ille est plene et evidenter liber qui non solum iure sed et facto seu effective immunis est ab aliorum dominio; atqui talis est qui est princeps civilis effective (3) status alicuius amplitudinis.

lice branco di schiavi cui solo i continui sforzi della Religione andavano lentamente emancipando?.... Bisogna proclamarlo altamente, perchè l'oda ognuno; bisogna ripeterlo mille volte perchè non s' oblii: non si rispettano confini che non sono: non s'usurpa un potere quando si crea; non si violano le leggi quando si formano; non s'inducono disordini in società quando si districa la confusione che la involve. Questo fece la Chiesa, questo fecero i Papi ». Cfr. pariter *De-Maistre,* Du Pape, liv. II, chap. VI; et protest. *Ancillon,* Prospetto delle rivoluzioni del sistema politico d'Europa sul finire del secolo XV.

(1) Cfr. *Cavagnis,* op. cit. vol. II, n. 427; *S. Thom.,* De regim., opusc. 2, c. 6; *Balmes,* op. cit. vol. III, c. LVI; *Taparelli,* op. cit. vol. I, n. 659. Item iam *Salmaticenses,* tr. XI, cap. III, per. 1, n. 4; et *Suarez,* Adv. Reg. Angl. l. III, cap. I.

(2) *De-Angelis,* op. cit. lib. III, tit. V, n. 5.

(3) Dicitur *effective,* quia si tantummodo concederetur personalis immunitas vel regii honores, libertas esset precaria et momentanea. Cfr. *De-Angelis,* l. c. Vide Dissert. « Se la sovranità del Papa sia effettiva o soltanto onorifica » *Civiltà Catt.* fasc. 7, Ott. 1899.

Praeterea: in praesenti ordinatione Statuum ut actio Ecclesiae vere sit efficax, necessarium est ut evidens appareat eius libertas ab influxu principis territorialis qui influere vellet vel sui gratia, vel foederatorum suorum, contra reliquos, nisi Pontifex esset in aperta inimicitia cum rege territoriali, quod non esset naturale sed violentum et insuper cum magno damno populi subiecti illi regi qui ex sua conditione hostilis esse cogitur in Summum Pontificem (1).

Concludendum igitur civilem S. Sedis principatum R. Pontificibus fuisse singulari divinae providentiae consilio (2) datum ut medium necessarium ad tuendam independentiam et omnimodam libertatem eorundem pro universa Ecclesia regenda (3).

(1) Cfr. *Cavagnis*, Della natura di società giuridica e pubblica competente alla Chiesa, cap. 3. Vide pariter opusculum « Le Pape et le Congrès » quod prodiit an. 1860 quando magis agitabatur quaestio romana, ubi inter alia scribebatur, § II, 6, 7: « Au point de une politique, il est nécessaire que le chef de deux cents millions de catholiques n'appartiénne à personne, qu'il ne soit subordonné à aucune puissance, et que la main auguste qui gouverne les âmes, n'etant liée par aucune dépendence, puisse s'élever audessu de toutes les passions humaines. Si le Pape n'était pas souverain indépendant il serait Français, Autrichien, Espagnol ou Italien, et le titre de sa nationalité, lui enlèverait le caractere de son pontificat universel ».

(2) Cfr. *Palmieri*, De Roman. Pontifice; *Giobbio*, op. cit. I, n. 76 et seqq.

(3) Haec iura asserere et vindicare numquam praetermiserunt R. Pontifices; et innumera documenta ad haec eadem iura sarta tectaque servanda a *Pio VII*, *Pio IX* et *Leone XIII* prodierunt.

Ad *Pium IX* quod attinet habemus prop. damnatas in Syllabo et inter alias n. 76: « Abrogatio civilis imperii quo Apostolica Sedes potitur ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret ». Cfr. pariter Alloc. « *Quibus quantisque* », 20 Apr. 1849; Alloc. « *Si semper antea* », 20 Maii 1850; Litt. apost. « *Cum Catholica Ecclesia* », 26 Mart. 1860; Alloc. « *Novas* », 20 Sept. 1860; Alloc. « *Iamdudum* », 18 Mart. 1861; Alloc. « *Maxima quidem* », 9 Iun. 1862.

Leonis XIII cfr. encycl. « *Inscrutabili* », 28 Apr. 1878; Serm. ad cath. ephem. scriptores, 22 Feb. 1879; idem 24 Apr. 1881 ad rom. cath. societates; alloc. habitam in Concist. 24 Mart. 1884.

ARTIC. II.

De Episcopis.

129. Praeter unum Petrum eiusque successores, S. Scriptura (1) nos docet voluisse Christum alios esse (apostolos) qui potestatem haberent regendi, docendi, sanctificandi; et hanc potestatem perpetuo in alios propagari.

Patet ergo plures constitui debere qui cum Petro et sub Petro hac potestate potiantur. Et hi sunt Episcopi, qui teste Apostolo (2) positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam. Ipsi vero non succedunt apostolis potestate extraordinaria quae consistit in iure ecclesias fundandi, et fundatas visitandi; haec enim vel personalis ad successores non pertransiit; sed potestate ordinaria (3) pascendi scilicet ecclesias quibus praessent sub dependentia B. Petri (4). Episcopi ergo quamvis sint veri principes et proprie dicti pastores, habent tamen potestatem *limitatam* et *dependentem; limitatam* tum *intrinsice* quia non possunt quae requirunt ius dogmaticum, vel referuntur ad statum disciplinarem universalis Ecclesiae, vel ad relationes ecclesiarum particularium erga universalem, vel inter se; tum *extrinsece* per limites suae dioeceseos: *dependentem* quia in regenda dioecesi nequeunt agere contra ius commune, neque contra R. Pontificis reservationes (5).

(1) *Luc.* VI, 13; *Motth.* XVII, 18; *Ioan.* XX, 22; *Matth.* XXVIII, 20,

(2) *Act.*, XX, 28.

(3) Collegialiter autem Episcopi succedunt potestati collegiali Apostolorum, quia haec erat ordinaria; hinc collegialiter Apostoli habent successores. Cfr. *Cavagnis*, vol. II, lib. II, n. 24.

(4) Discrimen, ait Card. *Franzelin*, h. l. in eo obtinet maximum, quod Apostoli singuli non modo in singulis ecclesiis sed in ecclesiis omnibus, in universa Ecclesia potestatem habent « ad obediendum fidei in omnibus gentibus » (Rom. I, 5, 13 et seqq.; Act. Ap. IX, 15; I Cor. VIII, 17); successores autem singuli in singulis dumtaxat ecclesiis constituuntur Episcopi.

(5) Nec repugnat potestatem aliquam divinitus institutam, si-

130. In specie Episcopi potestate gaudent *a*) *ferendi leges* particulares sive in synodo sive extra ad promovendam in dioecesi consecutionem finis legum communium; ita tamen ut non contraeant legibus generalibus e. gr. liturgiae, causarum matrimonialium etc. (1); *b*) *iudicandi* in prima instantia in foro externo, et quoad internum *absolvendi* a casibus reservatis et sibi concessis (2); *c*) *puniendi* iuxta canones et *exequendi* leges Ecclesiae (3); *d*) *docendi*, ad quam potestatem spectant:

α) propagatio et custodia doctrinae catholicae (4);

β) praedicatio verbi Dei et instructio cathechetica;

γ) institutio et educatio religiosa in scholis et in institutis catholicis.

e) *regiminis* quoad clericos in dioecesi incardinatos, quoad beneficia, synoda, confraternitates, congregationes religiosas; nec non quoad administrationem omnium bonorum ecclesiasticorum (5); (*f*) *inquirendi* de implementis omnium piorum operum, i. e. ut piae testatorum voluntates ad unguem exequantur, et haeredum negligentiam per se ipsum *supplendi*, vel ad implementum *cogendi*. Imo etiam extra testamentum, quidquid pauperibus, ecclesiis, vel quomodolibet piis usibus etiam per confidentiam relictum fuit, ordinationi episcopali

mulque auctoritati sublimiori esse submissam, cum hae duae res optime conciliantur: subiectionis humilitas et divinae originis sublimitas. Cfr. *Aichner*, op. cit. § 25.

(1) Cfr. *Vernz*, op. cit. II, tit. XXXV, n. 756; *Bouix*, De Episcopo, p. 305.

(2) *Bouix*, l. c. p. 216 et seqq., 253 et seqq.; *Zitelli*, Apparatus etc. p. 40 et seqq.

(3) Conc. Trid., sess. VI, c. 3, de reform.; sess. XXV, c. 12 de reform.; *Bouix*, l. c. p. 218.

(4) Conc. Trid., sess. XXIII, c. 1, de reform.; *Leonis XIII* Encycl. « *Sapientia* », 10 Ian. 1890.

(5) Conc. Trid., sess. V, c. 2, 4; sess. XII, c. 1. de reform.; sess. XXIV, c. 20, de reform.; *Bened. XIV*, De syn. dioeces, lib. VI, c., 1, 2, 3; *Fagnan.* in Cap. *Conquerente*; *Barbosa*, De officio et potest. Episc; *Schmalzgrueber*, Ius can. univ., de offic. et potest. iud. ordin.; *Manacorda*, Specimen iuris et disc. eccl., P. I, c. III.

subiicitur (1) ;*g*) *prohibendi*, *mandandi*, *corrigendi et statuendi* quaecumque ad sacrosantum Missae sacrificium opportuna visa fuerint, atque ad ea inviolate servanda etiam censuris ecclesiasticis, aliisque poenis quae illorum arbitrio constituentur; fidelem populum *compellendi* non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque (2).

131. Ad evidentiam igitur patet, quod Episcopus est in Ecclesia, sicut genitor in genitis suis, et geniti sunt in Episcopo sicut in genitore, ita ut generans et generati unum efficiant corpus, unico capite in universo corpore imperante, nimirum Christo Iesu per pontificem Maximum, qui universae praeest Ecclesiae (3).

Ast in re tanti momenti quid tutissime sentiendum ab ore SS. D. N. Leonis Pp. XIII audiamus (4): « Sicut Pontifex Romanus totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum acceperunt. Eos in sua quemque ditione ius est praeesse, corrigere, generatimque de iis quae e re christiana esse videantur, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus a Patre acceptam Ecclesiae suae reliquit: eamque ob causam Gregorius IX Decessor Noster Episcopos inquit: *in partem sollicitudinis vocatos vices Dei gerere minime dubitamus* (5). Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur data: spectat enim natura sua *ad aedificationem corporis Christi*, perficitque ut Episcopus quisque, cuiusdam instar vinculi, christianos quibus praeest, et inter se et cum Pontifice Maximo, tamquam cum capite membra fidei, caritatisque communione consociet. In quo

(1) C. *Nullus omnino*, XVI, q. VII; Trid. sess. XXII, c. 8, de reform.

(2) Conc. Trid. Decr. de celebr. Missae in fin.

(3) *Manacorda*, op. cit. n. 13.

(4) Episc. Encycl. « *Cum multa sint* », 8 Dec. 1882.

(5) Epist. CXCVIII, lib. 13.

genere gravis est ea Sancti Cypriani sententia: *Illi sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens* (1); et gravior altera: *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesia in Episcopo et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse* (2). Talis est christianae reipublicae constitutio, eaque immutabilis ac perpetua ».

132. De origine autem huius episcopalis potestatis, scilicet an potestas iurisdictionis Episcoporum in singulas dioeceses sit immediate a Deo vel a S. Pontifice, controvertitur. Quaestio tamen videtur nominis tantum nam in utraque hypotesi salva consistit et Episcoporum propria potestas; quia si datur immediate a Deo, conceditur cum limitatione et dependentia a R. Pontifice (3); si mediate, ordinaria et propria manet, quin a Christo Domino instituta (4).

Praeferenda nihilominus videtur sententia qua asseritur quod licet Episcopatus sit immediate a Deo, seu quod Episcopi regant Ecclesiam, tamen quod hi vel illi regant, iurisdictio sive habitu sive actu considerata, a Vicario Christi immediate derivatur (5). Nam concipi non potest iurisdictio sine subditis, et hi assignantur non in consecratione sed confirmatione. Adde quod si S. Pontifex non partem potiorem sed totam plenitudinem potestatis ecclesiasticae obtinet (6), opus est ut omnis actus cuiusque fidelis qui Ecclesiae subiicitur, dirigatur per hanc plenam Pontificis potestatem.

Et praeterea haec opinio est simplicior, quia unico actu

(1) Epist. LXIX ad Punianum.

(2) Ibid.

(3) *Ben. XIV*, De syn. l. 7, c. 8; *Bouix*, De episc., p. I.

(4) *S. Thom.* 2, 2, 39, a. 3; *Pius IX*, Litt. Apost. « *Universalis Ecclesiae* », 1850.

(5) Cfr. *S. Thom.* in 2 et 4 Sentent. et praesertim in 4 contra gentiles; *Suarez*, De legibus, lib. I, n. 12 et seqq.; lib. IV, c. 4; *Bened. XIV*, op. cit. lib. I, c. 4, n. 2; *Optatum* adv. Donat., l. VII, c. 3 et alios Patres.

(6) Conc. Vatic., Const. « *Pastor aeternus* », c. 3.

pontificio iurisdictio confertur, indeterminate in consecratione, determinate in designatione dioeceseos (1).

133. Corollarium. — Forma regiminis Ecclesiae est *monarchica* (2), licet *coadiuvata ab aristocratia* (3).

Dicitur *monarchica* quia, ut ostendimus, una est persona cui suprema potestas competit in Ecclesia, scilicet Petrus eiusque successores qui obtinent plenitudinem potestatis et praesunt immediate omnibus sive singillatim, sive collective; *coadiuvata ab aristocratia* scilicet ab Episcopis qui tamen non sunt pares quoad iurisdictionem Pontifici, nec simul sumpti ei praestant, nec suam potestatem limitant (4).

(1) Cfr. *Cavagnis*, op. cit. vol. I, lib. II, c. II, quaestio; *M. De-Luca*, Ius publ., II, pag. 190; *Devoti*, Prolegom. in ius univers., c. IV; *Manacorda*, op. cit. pars. I, c. II.

(2) Forma *monarchica* habetur cum a) unus universae reipublicae praesit, b) qui plenitudine potestatis gaudeat, c) magistratus reliquos sibi obnoxios habeat, d) iudicare ipse omnes possit et a nemine iudicari, c) atque ipsi tandem seu principio totius unitatis socialis, omnes socii adherere et subesse teneantur. Cfr. *Petav.*, De Eccles. Hierarchia, III, 15.

(3) Forma *aristocratica* habetur cum suprema potestas regendi est penes optimates qui ex aequo iurisdictionem exercent; etsi inter illos quis honore praecellat, non ita tamen ut prae ceteris iurisdictione polleat, aliosque subditos sibi habeat. Cfr. *M. De-Luca*, op cit. II, pag. 36.

(4) Ad rem *Zallinger*, Iust. iur. publ. § 362 : « Ipsa potestas Episcoporum est perpetuo alligata ad centrum unitatis ac supremam potestatem Vicarii Christi eidemque subordinata, ut proinde haec mixtio aristocratica non absoluta sed limitata sit ».

Cfr. pariter *Aichner*, op. cit. § 25; *Cavagnis*, vol. I, lib. II, c. I, § 9; *Solieri*, op. cit. lib. III, tit. 2, n. 424. Huc pertinent etiam quae habet cl. *Audisio*, Diritto pubbl., lib. II, tit. I, n III : « Monarchia, aristocrazia, democrazia tre elementi e non tre poteri sono dunque consociate e non miste nella costituzione e nello stato della Chiesa: mentre però dal governo e dall' attivo reggimento della medesima viene esclusa la democrazia ».

Quod autem aliqui Doctores ut *Bellarminus*, De Rom. Pontif., lib. I, c 3, dixerunt de elemento democratico in constitutione Ecclesiae, lato et improprio sensu intelligitur, ut nimirum nullus

CAPUT II.

Praecipua systemata contra Ecclesiae constitutionem.

ARTIC. I.

Expositio.

Praecipua falsa systemata quae a vera Ecclesiae constitutione aberrarunt, ad quinque numerantur, scilicet *a*) systema *Marsilii Patavini*, *b*) *Protestantium*, *c*) *Richerianum*, *d*) *Febronianum*, *e*) *Gallicanum*.

134. I. *Marsilius Menandrinus*, Patavinus appellatus, ineunte saec. XIV opportunitatem nactus belli ab imperatore Germaniae illati adversus R. Pontificem Ioann. XXII (1) errorem suum circa constitutionem Ecclesiae promulgavit in libro *Defensorium pacis* (2) quo asseruit:

1) Summam potestatem esse in toto coetu fidelium et quidem iure naturae.

2) Hanc potestatem translatam deinceps fuisse in Principes si essent fideles, et si infideles in Episcopos sed exercendam cum subiectione ipsi populo et principi.

3) Nullam esse Ecclesiae potestatem coactivam.

Marsilius damnatus fuit ab Ioann. XXII in Const. « *Licet* » 23 oct. 1327.

135. II. Secundus error est *Protestantium* qui, Marsilii systema ab initio secuti, innumeras postea in sententias

sit ex multitudine fidelium qui ad officia publica vocari non possit. Cfr. *Icard*, op. cit. vol. I, p. I, sect. I, n. 70.

Aliis vero placuit regiminis Ecclesiae formam appellare plane singularem, vel etiam *Christocratiam*, et hi dicunt non posse aut non debere sub hac ratione comparationem cum statibus politicis institui. Cfr. *Phillips*, I, § 30.

(1) Cfr. *Reynald*, Ann. Eccl. ad 1327, n. 27 et seqq.

(2) De indole et refutatione huius operis vide *Alb. Pighium*, Eccl. Hier., l. 5, c. I et seqq.

abierunt (1). Tria tamen nova systemata a Protestantibus inter adoptata celeberrima habentur: *territoriale*, *collegiale*, *episcopale*.

Antiquius et tempore pacis Westfaliae obtinuit systema superioritatis seu *territoriale* (2), innixum famoso illo principio « cuius est regio, illius est religio ».

Alterum longe recentius, systema *collegiale* dictum, Ecclesiam considerat ut simplex et aequale collegium a republica distinctum et autonomum, quamvis Statui competat ius maiestaticum erga ipsam.

Tertium, systema *episcopale*, ponit auctoritatem episcopalem disciplinarem provvisorio devolutam principibus (3).

136. III. *Richerius* natus an. 1560 Cadusiae in Campania dioeces. Lingon. facultatis sorbonicae doctor et brevi tempore syndicus, accerrimus defensor fuit libertatum gallicanarum.

Richerii systema *a*) principium democraticum ex necessitate consensus fidelium pro valore legum dogmaticarum et disciplinarium propugnat; *b*) potestatem ministerialem et limitatam S. Pontifici tribuit, ministerialem pariter Episcopis; *c*) territorium temporale et vim coactivam Ecclesiae negat (4).

Richerius damnatus est a synodo provinciali parisiensi an. 1612; a synodo provinciali aquensi eodem anno; a S. C. Indicis 10 Maii 1613 sub Paulo V; 3 Dec. 1622 sub Gregorio XV; 4 Mart. 1709 sub Clem. XI; et ab Innoc. XI edito Brevi an. 1681.

(1) Protestantes, refert *Schenkl*, Inst. Iur. eccl. proleg., § 46, in nota, nova identidem cudunt Ecclesiae systemata quorum decem inter se diversa *Plaffius*, nec pauciora enumerat *Moshemius*; sed multo plura excogitata fuisse, in diesque pene nova procudi ex protestantium scriptis luculentum est.

(2) Hoc systema, quod in Anglia obtinuit, defendit *Hugo Grotius*.

(3) Hoc docuit *Frichius* Professor Biliensis. Cfr *Moeler*, Symb., lib. I, c. 5, § 44, 45; *Perrone*, Idea cristiana distrutta dal Protestantesimo.

(4) Cfr. *Cavagnis*, op. cit. lib. II, c. 2, art. II, n. 68 et seqq.; *Tarquini*, op. cit. lib. II, c. II, § I.; *M. De-Luca*, vol. II, n. 7.

Ipse autem Richerius bis se retractavit sed simulate; tertio vero videtur sincere (1).

Richerium secuti sunt inter alios *Du Pin* et *Launoius.*

137. IV. *Febronius* (2) an. 1763 edidit librum cum titulo: « De statu Ecclesiae et legitima potestate R. Pontificis » in quo primatum R. Pontificis impugnare maxime nititur, *sub scopo apparente*, sublato primatu iurisdictionis, facilius reducendi heterodoxos ad catholicam veritatem (3); sed sub *fine proximo*, ut ait P. Zaccaria, romanae Sedi universi Orbis invidiam parendi.

Auctor in systemate duo praecipue demonstrare aggreditur: 1) primatum romanum non ex Ecclesiae a Christo Domino institutae natura atque essentia promanare, sed ab accidentibus et quae desinere possunt adiunctis; 2) hunc primatum historice etiam, saltem antiquioribus Ecclesiae saeculis, alium fuisse ac post recentius continuatum per falsas Decretales et RR. Pontificum usurpationes.

Sollicitus ergo Febronius hic videtur de augenda potestate Episcoporum in praeiudicio Pontificatus romani (4). Febronius damnatus a S. C. Indicis die 27 Febr. 1704; 3 Febr. 1766; 24 Maii 1771; 3 Mart. 1773. Item a Clem. XIII tribus Brevibus die 14 Martii 1764 ad archiepiscopos moguntinum, trevirensem, et herbipolensem.

Ipse autem opus suum reprobavit et retractationem ad Pium VI misit (5). Anno vero 1781 « Commentarium in

(1) De toto huius systemate consuli potest *Veith*, Richerii systema confutatum; *Charlas*, De lib. gallic., lib. XII.

(2) Sub hoc pseudonimo latet *Nicolaus de Hontheim*, episcopus miriofitanus, auxiliaris Trevirensis.

(3) Quapropter et ab ipsis Protestantibus prius egregie laudatus est, sed inde derisus. Consule *scriptores Lipsienses in novis Actis eruditorum* an. 1764, pag. 1; *Bahrdtium* in diss. contra Febron. §§ VI, VII, VIII; *Iablouskium*, Inst hist. christ., tom. III, pag. 146.

(4) Scripserunt contra Febronium, *Zaccaria* in opere: Antifebronius, et in: Antifebronius vindicatus; cl. *Audisio*, Antifebronius abbreviatus; *Gerdil, Ballerini Petrus, Viator de Coccaleo, Mamachi*, et *S. Alph. de Ligorio.*

(5) Cfr. Alloc. *Pii VI*, 25 Dec. 1778.

suam retractationem » edidit, in quo plura perperam dicta adnotavit Card. Gerdil in opusc. « Animadversiones in Commentarium etc. ».

Sed denique in sinu catholicae religionis mortuus est.

138. V. *Gallicanismi* seu systematis *libertatum gallicanarum* origo incerta apparet (1); repetenda tamen videtur non a Concilio Turonico nec a S. Ludovico sed potius a schismate occidentali quo ex tempore sensim sine sensu excrevit donec Ludovicus XIV hostilem animum gerens adversus Innoc. XI (2) adunavit aliquot Episcopos qui *celebrem declarationem cleri gallicani* quatuor propositionibus ediderunt:

1) « Papae iurisdictio complectitur tantummodo res spirituales, non autem res temporales, neque directe neque indirecte » (3).

2) « Concilia oecumenica sunt supra Papam etiam excluso tempore schismatis ».

3) « Papa in exercitio suae auctoritatis subiacet iuri communi (4) ».

4) « Papa in quaestionibus ad fidem spectantibus habet quidem partes primas, sed eius decisiones non sunt irreformabiles, nisi post habitam Ecclesiae universalis consensionem et acceptationem ».

(1) Cfr. *Vouters,* Hist. eccl., v. 2, p. 213 et seqq.; *Rohrbacher,* Hist. Eccl., lib. 73, 82, 83.

(2) Testis est magnus *Bossuet* qui an. 1700 suis enarrans originem atque causam gallicanae declarationis ait: « Al tempo del Card. Du Perron e sotto il ministero di Richelieu e di Mazzarino, Roma era troppo in favore, e la Francia avea quasi abbandonate le sue massime gallicane; ma appena il re Luigi XIV ebbe preso in mano il governo e sopratutto dopo che Colbert fu ammesso al potere, si tenne questa politica di umiliare Roma e di afforzarsi contro di Lei, ed ella fu seguita da tutto il Consiglio. Di qui nacque la decisione della facoltà teologica del 1663 e tutto quello che si è fatto da poi ». — Iournal de Ledien presso il *Gerin* — *Civiltà Cattol.*, 7 serie, vol. 6, pag. 352.

(3) Est desumpta ad verbum ex calviniano *Pithou;* cfr. *Cavagnis*, vol. II, lib. II, c. II, § 3.

(4) Seu coarctatur tum a canonibus universalibus, tum per consuetudines et instituta a regno et Ecclesia gallicana admissa.

Ex his tria veluti Regni instituta Gallicani deducere non dubitarunt:

I. Appellationem ab abusu.

II. Placitum Regium.

III. Regium Ecclesiae patronatum et custodiam canonum.

Igitur Gallicanismi principium apte sic exprimi potest: oppressio iurisdictionis ecclesiasticae a laica, et depressio auctoritatis a clero gallicano (1).

Libertates gallicanae reprobatae sunt a R. Pontificibus Innoc. XI per Breves die 11 Apr. 1682, Alex. VIII, Constitut. « *Inter multiplices* » 1 Aug. 1690, Pio VI, Const. « *Auctorem fidei* » 28 Aug. 1794.

139. Praedictorum systematum sectatores sunt *Iansenistae, Van-Espen et Eybel.*

Iansenistae, a quodam *Iansenio* episcopo Iprensi orti, circa Ecclesiae constitutionem systema proprium nullum habent sed pro varietate temporum modo huic, modo illi adhaerent (2).

Iansenistae defensorem habuerunt *Van-Espen* qui Gallicanismo etiam addictissimus fuit. Natus erat Lovanii an. 1645 et obiit impoenitens an. 1728.

Eybel denique famosus in Austria evadit ob suum opusculum « Quid est Papa » quo totam suam hostilitatem ostendit ad minuendam in populis maiestatem pontificiam.

(1) *Charlas*, De libertatibus Eccl. Gallicanae, vol. IV, p. I, c. 13, p. 36

Merito ergo *Fenelonius* appellavit libertates gallicanas servitutem erga regem et adversus R. Pontificem licentiam.

Harum libertatum vide refutationem apud *Bouix*, De papa, pars II ; *Orsi*, De infallibilitate S. Pontificis; Card. *L. Litta*, Lettere sopra dei 4 articoli detti del Clero di Francia, Versio ex idiomate gallico Card. *A. Orioli*; *C. Gerin*, iudex in Gallia de quo cfr. *Civiltà Cattolica*, l. c. p. 352.

(2) In Italia strennus propugnator fuit *Scipio De-Ricci*, Episcopus Pistoriensis, qui famosam synodum Pistoriensem an. 1796 celebravit.

ARTIC. II.

Refutatio (remissive).

140. Systemata supra exposita ad quatuor praecipuos errores revocari possunt: 1) ad errorem *democratiae* quae universam potestatem ecclesiasticam concedit populo ab eo quomodolibet exercendam; 2) errorem *presbiterismi* comparantis presbyteros Episcopis; 3) errorem *aristocratiae* quae asserit omnes Episcopos iure divino aequales; 4) errorem *monarchiae exclusivae* quae ponit Episcopos simplices vicarios S. Pontificis.

Iamvero amore brevitatis, hic singillatim supradicta systemata confutanda non suscipimus, cum operosius et fusius theologi faciant demonstrantes 1) contra *democratiam*, auctoritatem ecclesiastici regiminis a Christo Domino collatam esse immediate B. Petro et Apostolis eorumque successoribus, nullo autem modo populo (1); 2) contra *presbyterismum*, nullam potestatem propriam iurisdictionis presbyteris competere (2); 3) contra *aristocratiam episcopalem*, primatum R. Pontificis (3); 4) contra *monarchiam exclusivam*, Episcopos esse vere pastores cum potestate ordinaria et propria (4.)

(1) Cfr. ex S. Scriptura: *Ioann.* XX, 21, XXI; *Matth.* XVI, XVIII, XXVIII, 18; *Luc.* XXII. Ex traditione: cap. III de Const. quod est *Inn. III*; Const. « *Licet* » *Ioan. XXII* contra Marsilium Patavinum; Const. « *Auctorem fidei* » *Pii IV* adversus doctrinam pseudo-synodi pistoriensis.

(2) Cfr. ex S. Scriptura: *Act.* XX, 28; Tim. I, V, 17; Tit. I, 5. Ex Patribus: *S. Ignat. mart.* cap. V, epist. ad s. Policarpum; *S. Cyprian.*, epist. 27, n. 1.; *S. Epiphan.* haer. 75, n. 5.; *S. Ambros.*, lib. de sacr., c. I, v. 4. Unde *Trid.* sess. XXIII, c. 7: « Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem.... A. S. ».

(3) Cfr. *Matth.* XVI; *Luc.* XXII, 31, 32; *Ioan.* XXI; *Act.* 1, 15; II; X; XV. Unde Conc. Vatic., sess. IV, c. I, can. 1. Cfr. *Paglia*, tom. II, cap. III, art. I, prop. I.

(4) Cfr. *Act.* XX, 28; *Cyprian.*, epist. 69, n. 8 etc. Unde *Trid.* sess. XXIII, c. 6: « Si quis dixerit in Ecclesia non esse hierar-

Solum nobis manet etiam historice excludere errorem democraticum ostendentes populo nullum ius proprium unquam datum fuisse participandi Ecclesiae regiminis. Et hoc aggredimur subnectentes brevem de electionibus quaestionem.

Quaestio de Electionibus.

I.

De electione Episcoporum.

141. Cum methodus eligendi (1) Episcopos varia in locis fuisset, heic quod per singulas aetates communius actum est in epocas distinguimus (2).

I. Primis tribus saeculis usque ad Conc. Nicaenum electio Episcoporum fiebat ab Episcopis provinciae requisito consensu cleri et expetito voto populi; sed non semper, quia aliquando ut constat ex Conc. Laod., can. XII et XIII, Antioch. I, can. XVI, et Nic. I, can. 4, populus etiam expresse repulsus fuit (3).

chiam *divina ordinatione* institutam quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris, A. S ».

Cfr. *Munerati*, Theologiae sacramentariae elementa, de ordine.

(1) De electionibus in genere vide in iure privato.

(2) De hac electionum disciplina fusius apud *Bianchi*, op. cit. lib. I, c. IV; *Natalem Alex.*, Hist. Eccl., sect. I, disp. 8; *Rohrbacher*, vol. 4, lib. 36, 37; *Mansi*, Coll. Conc., tom. II, col. 563, *Thomass.*, Discipl. eccl., p. II, l. 2; *Hefélé*, Histoire des conciles, tom. I, p. 382; *Wernz*, II, p. 886, n. 740 et seqq.

(3) Cfr. etiam *Iustinian.*, novel. 123, 127.

Difficultatem parere videntur verba *καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο* quae veluti altera conditio adiecta legitur a Patribus Concilii Nicaeni 1 in Synodica (*Theodor.*, Hist. Eccl. l. I, C. 9) post primam conditionem « ut digni esse videantur ». Sed cum cl. *Tarquini*, observamus vocem graecam *αἱρέομαι* duplicem sensum *eligendi* et

II. A Conc. Nicaeno ad Constantinop. IV, eadem disciplina servatur, Episcopi scilicet eliguntur ab Episcopis provincialibus exquisito voto cleri et populi, confirmante Metropolita vel Exarcha aut Patriarcha (1). Sed etiam his temporibus interventus populi ita intelligendus ut testimonium tantum efferret de idoneitate electi, vel postulationem faceret pro alicuius electione. « *Populus est docendus non sequendus* » ait S. Coelestinus I ad Episcopos Apul. et Calabr., § III, coll. II: « *Populus silere oportet*, subiungit Conc. Constantinop. IV, *ac attendere sibi usquequo regulariter a Collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri pontificis* » (2).

III. Circa dimidium saeculi IX vigere coepit quaestio de investituris quibus principes civiles libertatem electionis coarctare contenderunt ita ut sensim ab iisdem ipsae electiones Episcoporum aliquando fierent. Romani vero Pontifices hanc pravam consuetudinem reprobare non destiterunt, et summa vi adversus ipsam obnixi sunt (3).

IV. A Conc. Later. I ad initium saec. XIV exclusus est populus de iure communi et etiam clerus inferior (4),

optandi habere; at hoc loco vertenda non sub eligendi sensu, quasi diceret « *et* (eos) *populus elegerit* » bene vero sub secundo scilicet « *et* (eos) *populus optaverit* » nam sensus eligendi a can. 4 eiusdem Conc. Nicaeni excluditur. Et explicat *Goffridus* Abbas Vindicinensis, ep. 2, qui ait: « Populus concurrebat ad electiones postulatione et bonae vitae testimoniis; Clerus vero iure suffragii. Neque enim populus in re ecclesiastica dare poterat ius electo ». Cfr. etiam *S. Cyprianum,* epist. 68, alias 67.

(1) Cfr. *S. Iulium* Rom. Pontif. apud *S. Alph.* in eius Apol. contra Arianos; Conc. Nic. II, act. VIII, c. III; Concil. Constantinop. IV, post Act. X, Reg. XXII; Cfr. *Hefélé,* l. c. tom. I, p. 385.

(2) Cfr. pariter Canones *Siricio* attributos, ad Gallos Episc., c. V; *Stephanum V* aliis VI in Decr. Gratiani, can. 12, dist. 63 etc. Cfr. *M. De-Luca,* Ius publ., II, n. 18.

(3) Cfr. Acta *S. Gregorii VII* in Conc. Rom. an. 1080, et sequentium Pontificum; Conc. Claromont. an. 1095, can. 16; Conc. Later. I, oecum. an. 1123.

(4) Populus et clerus inferior non semper in occidente exclusus fuit. Cfr. *Cavagnis,* Vol. I, lib. II, c. III, n. 153.

reservata electione Capitulo Ecclesiae Cathedralis cum confirmatione metropolitani.

V. Ab initiis saec. XIV ac deinceps ius Episcopos eligendi reservatur S. Pontifici (1) primum quidem absolute et deinde facta principibus saecularibus (2) potestate praesentandi unum vel plures sacerdotes episcopali munere dignos, Apostolicae Sedi ut ipsa eligat magis idoneum si revera dignum reperiat.

142. Ex dictis ergo clare patet nullum umquam populo tributum fuisse ius propriae dictae electionis, sed tantum facultatem concessam fuisse *postulandi* aut *testimonium ferendi* (3) de fama et honestate eligendorum. Perperam igitur asseritur ad ius divinum pertinere ut electio Episcopi proprie a plebe fiat.

Potestas constituendi Episcopos competit, ut vidimus, uni Romano Pontifici iure proprio et nativo; et si Episcopi provinciales vel Capitula Ecclesiarum cathedralium vel alii clerici aliquando in nominandis Episcopis quamdam partem habuerunt vel habent (4), haec est semper repetenda ex R.

(1) *Thomassin.*, l. c. c. 30, n. 2, 3, c. 32, 40; *Riganti*, Reg. 2, Cancell. Ap., § I.

(2) De hac concessione principibus facta a Concilio Trid., sess. XXIII, declaratum est: « In ordinatione Episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio quin potius eos qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, non Ecclesiae ministros sed fures et latrones per ostium ingressos habendos esse ».

Ergo *nominatio regia* qua princeps praesentat seu nominat Episcopos in suis ditionibus, non est ius proprium imperii sed pendet ex privilegio aut ex pacto convento cum S. Sede quae nominatos, si nihil obstat, instituit. Cfr. *Natal. Alex.*, op. cit., saec. XV et XVI, diss. II, art. 6, n. 7; *Iuenin*, Comm. hist. et dogm. de sacr., diss. 10, tit. III, a. 3; *Riganti*, l. c. § I, n. 12 et seqq., atque n. 56 et seqq.

(3) Tim. IV, 7.

(4) Aliquibus in regionibus, ut v. gr. in statibus foeder. Ame-

Pontificis expressa vel tacita concessione. Sed etiam tunc confirmatio Episcoporum R. Pontifici semper reservabatur et reservatur.

143. **Obiicies I.** — In S. Scriptura Act. I, 15 ad 26, et VI, 1 ad 6, electio S. Mathiae et septem diaconorum exibetur facta ab universo populo.

Resp. a) Populus in his casibus non elegit, sed praesentavit, ut eruitur ex ipsis Act. I, 23, 24, et VI, 3 ubi de Matthia dicitur: « Et statuerunt duos... Et orantes dixerunt: Tu Domine.... ostende quem elegeris »; et de septem diaconis.... « Considerate viros boni testimonii.... quos constituamus (nos apostoli) ».

b) Hoc populus fecit non iure proprio sed vi concessionis Apostolorum, nimirum Petri quoad electionem S. Matthiae, Act. I, 21-22: « Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismate Ioannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis »; et Apostolorum quoad diaconos, Act. VI, 2, 3: « Convocantes autem duodecim etc. ». Non omnia autem quae egerunt Apostoli sunt iuris divini, et onus probandi incumberet adversariis utpote

ricae, S. Pontifex eligit inter candidatos, ab Episcopis provinciae praesentatos. In Anglia candidati proponuntur a Capitulo S. Sedi quae ius electionis habet. Conc. Westminster., 1852. In Borussia ius eligendi conceditur canonicis numerariis et honorariis, sed confirmatio S. Pontificis exigitur. Cfr. Litt. ap. « *De salute animarum* » *Pii VII*, an. 1821.

In Armenia, sede episcopali vacante, Patriarcha una cum Episcopis patriarchatus eligit tres idoneos ecclesiasticos, eos etiam Episcopis absentibus proponit et deinde S. Sedi eosdem praesentat ut ipsa magis idoneum confirmet si revera dignum reperiat. Cfr. Const. « *Reversurus* », 12 Iul. 1867. Cfr. *Bonal.*, op. cit. I, n. 16. Haec disciplina extensa est et ad Patriarchatum Caldeorum. Cfr. Const. « *Cum ecclesiastica* », 31 Aug. 1869. Cfr. *De-Angelis*, op. cit. lib. I, tit. 5, n. 3, 7.

De praxi autem praesenti in praeficiendis Episcopis suis dioecesibus consule Card. *Segna*, De Eccl. Const. et regimine, n. 55; *Icard.*, op. cit. I, p. I, a. III; *Colomiatti*, Codex iuris pontificii, vol. alt., p. I., sess. I, c. I, can. 241, nota B. Vide in iure priv., Sect. I, p. I, c. I, n. 13, de Concistorio, nota.

affirmantibus. Ceterum apparet, notat hic Card. Cavagnis (1), non fuisse in re nostra ius divinum, quia in reliquis casibus semper per se ordinaverunt et elegerunt Episcopos. Hinc duobus factis exceptionalibus opponitur factum constans Apostolorum (2). Si autem fuisset ius, semper eamdem normam sectati essent.

144. **Obiicies II.** — In ep. 68 alias 67 S. Cypriani: « Ipsa maxime plebs habet potestatem vel eligendi dignos, vel indignos recusandi: quod et ipsum vidimus de divina auctoritate descendere ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur ».

Resp. Praemittimus ex uno Patre per se profecto erui non posse ius divinum. Sed heic S. Cyprianus non tribuit populo *ius eligendi*, sed *consentiendi*; ipse enim verbum *eligere* sensu latiori (3) sumit nempe pro *postulare*, *expetere* etc. ut manifestius apparet ex sequentibus « *vel indignos recusandi* » quibus indicatur ius electionis ad alios pertinere.

Et ipse S. Cyprianus absolutam necessitatem consensus populi non admittit. Etenim epist. 2, lib. 2, ait: « In ordinandis clericis, fratres carissimi, *solemus* vos ante consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare ». Et ibidem « ..... Sed expectanda non sunt testimonia humana.... » (4).

II.

De electione S. Pontificis.

145. Usque ad saec. IV S. Pontifex eligebatur ab Episcopis provinciae, clero urbis et plebe, iuxta disciplinam quae, ut vidimus, invaluerat (5).

(1) Op. cit. I, lib. II, c. III, n. 92.

(2) Cfr. Act. XIV; epist. ad Tit. I; *Euseb.*, Hist. eccl., lib. III, c. IV, n. 15; *Hier.*, De viris illustribus, c. XVII, tom. II, p. 843 edit. Vallens.

(3) Quo sensu et a *Tacito* sumitur in Agric., 9 sub fine.

(4) Vide alias obiectiones, si vis, apud *Cavagnis*, op. cit. vol. I, l. II, c. III, quaestio de electionibus, § 1.

(5) Cfr. *S. Leon.*, epist. ad Rusticum Narbonensem. Cap. *Nulla*, I, dist. 62.

Cum vero progressu temporis occasione huius electionis factiones nonnullae ortae essent quae perturbabant Ecclesiam, ad eas praecavendas an. circiter 420 Bonifacius I ab Honorio praesidium imploravit. Hic imperatorum interventus quem ab initio principes ut patrocinium Romanae Ecclesiae susceperunt, paulatim eo devenit ut non alii eligerentur Pontifices quam qui imperatoribus aliisque dominantibus in Italia accepti essent perinde ac si hisce principibus ius quoddam daretur consentiendi in electionem Pontificis, et electio non firma haberetur, nisi obtento illorum assensu (1).

Imperatoribus graecis vero haereticis factis, Ecclesia libera evasit (2).

146. Translato imperio occidentis a Graecis ad Latinos et sacro romano imperio creato, consecratio perficiebatur praesentibus legatis imperialibus qui solum officium habebant tuendi Ecclesiam romanam contra insultus ambientium thronum pontificium.

Assumptis vero ad imperium principibus Germanicis, protectio in dominatum versari visa est, et assensus imperialis denuo requiri coepit (3).

Anno 1059 Nicolaus II in Conc. rom. decretum tulit in quo statuit ut Episcopus romanus « eligatur de ipsius Ecclesiae gremio si reperiatur ideoneus, vel si de ipsa non inveniatur, ex alia sumatur, salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in praesentiarum Rex habetur, et futurus Imperator, Deo concedente, speratur et iam sibi concessimus sicut successoribus illius, *qui ab hac*

(1) Tamen Pelagius II, an. 578, cum Urbs a Longobardis obsessa esset, consecratus est non expectato imperatoris consensu. Cfr. *Rohrbacher*, op. cit. lib. 46. Item Bonifacius V an. 618, ex *Rohrbacher*, lib. 48.

(2) Primus qui ordinatus est absque assensu imperiali fuit S. Zacaria, qui ordinatus est quatuor diebus post mortem antecessoris. Cfr. *Vecchiotti*, op. cit. vol. I, p. 357.

(3) *Audisio*, Storia dei Papi, vol. III, p. 105; *Icard.* op. cit. pars I, art. I.

Apostolica Sede personaliter hoc ius impetraverint.... Quod si pravorum atque inimicorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura sincera atque gratuita fieri in urbe non possit electio, Cardinales Episcopi cum religiosis clericis, catholicisque laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligere apostolicae Sedis Pontificem ubi congruere viderint » (1).

Anno 1073 Gregorius VII S. Pontifex electus ex more suorum praedecessorum ad omnes quaerelas auferendas confirmationem imperatoris Henrici IV expectavit: postea vero hanc disciplinam in futurum mutavit abrogans quamcumque necessitatem assensus imperialis (2).

147. Saeculo subsequente, anno circiter 1130 Innocentius II « populum pontificiorum iure conciliorum, cuius a primis usque temporibus ad eum usque diem particeps fuerat, expoliavit » (3); et paulo post clerus inferior suffragandi iure fuit ipse privatus, et solis Cardinalibus S. Pontificis electio reservata est.

Alexander III in conc. Lateran. III (oecum.) an. 1179 ius exclusive Cardinalibus attributum confirmavit et simul statuit ut is solus canonice electus haberetur in quem duae ex tribus partibus Cardinalium consensissent (4).

A saeculo XIII autem in electione S. Pontificis serva-

(1) Cfr. *Camarda*, Const. Apost. de pertinentibus ad electionem S. P. synopsis.

(2) Cfr. *Voigt*, Storia di Gregorio VII, P. II, c. V.

Ius autem quod saeculis posterioribus nonnullae nationes (Austria, Gallia, Hispania) sibi tribuerunt dictum *exclusivae*, potestatem scilicet excludendi aliquem cardinalem a summo pontificatu, Ecclesia nunquam sua auctoritate sancivit, licet pro bono pacis aliquando toleraverit. *Icard*, op. cit. I, p. 138, not. I. Et hodie penitus cessavit, ut ex eo patet quod accidit in Conclavi quo electus est Pius X.

(3) Cfr. *Platina*, De vitis Pontificum, ad not. in vitam Inn. II. Primus Pontifex creatus sine ullo interventu populi fuit Celestinus II, Innocentii II successor.

(4) Cap. *Licet*, 6, de electo.

tur generatim disciplina Conclavis (1) quam instituit Gregorius X in conc. gen. Lugdunensi an. 1274 (2).

(1) De origine *Conclavis* vide apud *Aug. Ceccaroni*, Il Conclave.

(2) Cfr. etiam Const. Clementis V, « *Ne Romani* », an. 1311; Clementis VI, « *Licet in Constitutione* », 6 Dec. 1351; Iul. II, « *Cum tam divino* », 14 Ian. 1505; Pauli IV. « *Cum secundum Apostolum* », 16 dec. 1558; Pii IV, « *In eligendis* »; 9 oct. 1562; Greg. XV, « *Aeterni Patris* », 15 nov. 1621; Urbani VIII, « *Ad Romani Pontificis* », 28 ian. 1625; Alexandri VIII, « *Regul.* », 29 nov. 1690; Innoc. XII, « *Romanum decet Pontificem* », 22 iun. 1692; Clementis XII, « *Apostolatus officium* », 4 oct. 1732; Pii VI, « *Attentis peculiaribus* », 11 febr. 1797; « *Christi Ecclesiae* », 30 dec. eodem anno; « *Quum nos* », 13 nov. 1798; Pii IX, « *In hac sublimi* », 23 aug. 1871; « *Licet per Apostolicas* », 8 sept. 1874; « *Consulturi* », 10 oct. 1877.

Cfr. *Barbosa*, Ius eccl. univ., l. I, c. 14; *Colomiatti*, op. cit. P. I, sess. II, cc. VI, VII et seqq.; *Berthelet*, La elezione del Papa. Vide in iure privato ubi de munere Cardinalium, sede apostolica vacante, sect. I, c. I, n. 10.

ALLEGATUM

EPISTOLA ENCYCLICA LEONIS XIII

AD EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS DE CIVITATUM CONSTITUTIONE CHRISTIANA

Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in coelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate rerum gestarum gloria excelluerunt. — Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam aiunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo iure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus iustas exigeret. Eius atrocitas calumniae non sine caussa ingenium armavit stilumque acuit Augustini: qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum republica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur. — Simi-

lium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *ius*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti iam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. — Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. — Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rempublicam. — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionen congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore. — Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque ius imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo* (1). — Ius autem imperiis per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem.

Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent

(1) Rom. XIII, 1.

summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (1). — Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus eiusdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes: *Omnis anima potestatibus subdita sit* (2). — Spernere quippe potestatem legitimam, quamvis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (3). Quapropter obedientiam abiicere, et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungunt Deo,

(1) Sap. VI, 7.
(2) Rom, XIII, 1.
(3) Ibid. V, 2.

religione publica satisfacere. — Natura et ratio, quae iubet vel singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eundem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis quam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent cum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. — Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in coelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem communi utilitati natam in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sanctae inviolataeque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.

Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit; argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus

liquet, eam esse unice veram, quam IESUS CHRISTUS et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

Nam unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (1). — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2). Igitur sicut IESUS CHRISTUS in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (3); eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam: ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae* (4). Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit. *Tibi dabo claves regni coelorum* (5); — *pasce agnos.... pasce oves* (6); *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (7). — Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et. quod plurimum interest, societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera IESUS CHRISTUS Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur: iudicandi puniendique potestate. *Data est mihi omnis potestas in coelo et*

(1) Ioan., XX, 21.
(2) Math., XXVIII, 20.
(3) Ioan., X, 10.
(4) Marc., XVI, 15.
(5) Matth., XXVIII, 20.
(6) Ioan., XXI, 16-17.
(7) Luc., XXII, 32.

in terra: euntes ergo docete omnes gentes..... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis (1). Et alibi: *Si non audierit eos, dic Ecclesiae* (2). Atque iterum: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (3). Rursus: *Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificatioaem et non in destructionem* (4). Itaque dux hominibus esse ad coelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes: ut cristiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. — Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere nunquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Egangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebat: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (5). Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt. Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in

(1) Matth., XXVIII, I8-20.
(2) Matth., XVIII, 17.
(3) Il Cor. X, 6.
(4) Ibid. XIII, 10.
(5) Act. V, 29.

eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae utriusque, itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt* (1). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent. — Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad

(1) Rom., XIII, 1.

libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum: tantumque abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi: ex eaque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita: incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa: officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adiutores: pariterque intelligunt, sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos. — Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate coniugii: iura officiaque inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur: debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur. — In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate iudicioque fallaci multitudinis, sed veritate iustitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana maiorem, contineturque ne declinet a iustitia, neu modum in imperando transiliat: obedientia civium habet honestatem degnitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad iustitiam pertinere illa intelliguntur, vereri maiestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis. — Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas,

liberalitas: non distrahitur in contrarias partes, pugnentibus inter se praeceptis, civis idem et christianus: denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur: ita ut illud appareat verissime dictum, « pendet a religione, qua « Deus colitur, rei publicae status: multaque inter hunc et illam « cognatio et familiaritas intercedit (1) ». — Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis: « Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cu- « iusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces « ac doces. Tu feminas viris suis non explendam libidinem, sed « ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta « et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illu- « dendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus prae- « ficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, « parentes filiis pia dominatione praeponis... Tu cives civibus, tu « gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recor- « datione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate « coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se « subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus « reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, qui- « bus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus suppli- « cium, sedulo doces: ostendens quemadmodum et non omnibus o- « mnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria (2) ». — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos: « Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent « exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit, « dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales pa- « rentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, « tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores « et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et au- « deant eam dicere adversam esse reipublicae, immo vero non « dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse « reipublicae (3) ».

(1) Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. Cfr. *Labbeum*, Collect. Conc., T. III.

(2) De moribus Eccl. cath., cap. XXX, n. 63.

(3) Epist. CXXXVIII (al. 5) ad Marcellinum, cap. II, n. 15.

Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per IESUM CHRISTUM instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratunm tutela ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato coniungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia, magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque expectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, « cum regnum et sacerdotium « inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat « Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res « non crescunt, sed etiam magnae res mirabiliter dilabuntur (1) ».

Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerant. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novi iuris*, quod et fuit antea ignotum et a iure non solum

(1) Ep. CCXXXVIII.

christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat. — Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis ius esse in nemine. His informata disciplinis societate prinpatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam ius, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cuius non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo: cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam. si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur: exlex uniuscuisque conscientiae iudicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. — Nam ubi cum eiusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quae iussu mandatoque Iesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem iubetur nihil attingere. — De ipsis rebus, quae sunt mixti iuris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbi-

tratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad iurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate coniugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et iuribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa iuris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis. — Si qua vero in republica suum Ecclesia ius, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniunque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium. — Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et volutas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice agunter, eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos institutorum christianorum, Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et iura cetera comminuere.

Eiusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. — Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse natura dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probababili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam. Revera his doctrinis res incli-

navere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse iure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat.

De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur: sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quae virtus hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabunter. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelave legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via in coelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere. — Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest: iamque plus fortasse, quam oportet, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum

Ecclesia Christi: ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, iubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu. — Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subiectam, magna quidem iniuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: pratereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae, quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

Huiusmodi docrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos* die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna sententiarum gravitate ea perculit, quae iam praedicabantur, in culto divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse quod malint, de religione iudicare: solam cuique suam esse conscientiam iudicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis sic idem Pontifex: « Neque laetiora « et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, « qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sa- « cerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, per- « mesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam il « lam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit et sa- « lutaris ». — Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi iussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines quod sine offensione sequerentur (1).

(1) Earum nonnullas indicare sufficiat.

Prop. XIX — Ecclesiae non est vera perfectaeque societas plane libera. nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiao iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestam non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. — Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et iure perfectam: neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a IESU CHRISTO collata sunt. — In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt.

Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte diiudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod docrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem. — Immo neqne illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitaten, sed etiam ad officium pertinere civium. — Insuper neque caussa iusta nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam. — Revera si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, Ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui ma-

Prop. XXXIX — Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fonl, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Prop. LV Ecclesia a Statu, Slatusque ab Ecclesia seiungendus est.

Prop. LXXIX —..... falsum est, civilem cuiusque cultus lipertatem. itemque plonam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

gni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patientur ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. — Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (1).

Simili ratione non potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis* (2), a Petro Apostolo *velamen malitiae* (3) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui*, enim, *facit peccatum*, *servus est peccati* (4). Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sint: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat: remque publicam ab alieno arbitrio defendit. — Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit. — Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae; quae summam rempublicam vetant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem iuris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuran. — Ergo, quod inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia pro-

(1) Tract. XXVI in Ioan. u. 2.
(2) Ep. CV, ad Donatistas, c. II, n. 9.
(3) I Petr. II, 16.
(4) Ioan. VIII, 34.

miscue repudiare, inanis est et ieiuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntari discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est a Deo proficiscii necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abrogent, multa quae abrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet: eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fobebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens reperit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaeque inimica, magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque coelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

Sed haec, tametsi plena rationis et consilii, minus probantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere, hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur: non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa putemus, sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus: idque incolumi populorum germana libertate; in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est: *veritas liberabit vos* (1).

Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cuiusque sint

(1) Ioan. VIII, 32.

tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem, quaecumque Pontifices romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac nominatim de iis quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum ne quem fallat honesta illarum species: cogitandumque quibus ortae initiis, et quibus passim sustententur atque alantur studiis. Satis iam est experiendo cognitum, quarum illae, rerum effectrices sint in civitate: eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes iure poeniteat. Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas, quae christianum nomen insectetur proterve et tyranice, cum eaque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto eiusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

Potest autem aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. — Privatim quidem primum officium est praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem: eiusque et servare obedienter leges, et honori servire, et iura salva velle: conarique, ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur.

Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut maximis iustissimisque de caussis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in

vitio, quam nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi caussam esse iustam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere. — Haud aliter actum in primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia ethniorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis: christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semperque sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque; prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, imcolumi virtute nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, « insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, « decurias, palatium, senatum, forum » (1): ita ut fides christiana, cum Evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et iam satis firma in magna civitatum parte apparuerit.

Iamvero his temporibus consentaneum est haec maiorum exempla renovari. — Catholicos, quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle: quae res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere: institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis iustitiaeque patrocinium

(1) Tertull. Apol. n. 37.

uti: elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat: dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur. — Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostelicae legem vitae singuli putent, atque Episcopis obtemperant, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (1). — Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus iniuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam ad rem, ne animorum coniunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accendentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum, posthabito Deo. — Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia coniungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae et virtute christiana deficere. Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam, iustitia non patitur: multoque est maior iniuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud praeceptum te-

(2) Act. XX, 2.

neant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeequ ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem rempe publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere: si quid temere, si quid iniuria actum, ad quoscunique demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum. — Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram, ut adiutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram; ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cuius, malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magnopere periclitatur salus.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus quae universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet coeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cuius est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. Divinorum autem beneficiorum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 nov. MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

LIBER II.

DE IURE PRIVATO.

Ius privatum seu canonicum, ut vidimus in Prolegomenis, determinat singulorum Ecclesiae membrorum iura et obligationes, et hoc praestat tribuens unicuique suum.

Cum autem cognitio eius quod cuiusque est vel ex persona sumatur vel ex rebus seu ex iure quod quisque vel conditione et statu personae habet, vel ratione rerum externarum, hinc agemus I *de personis;* II *de rebus;* et III aliquid *de iudiciis* adnectemus quibus ius proprium vindicatur.

PARS I.

DE PERSONIS.

1. Persona generatim (1) in iure definitur: *Subiectum iuris.* Persona alia est *phisica*, alia *moralis.* Persona phisi-

(1) Speciatim persona in iure civili, sensu sumitur quo *Vinnius,* Inst. de iure personarum, tit. 3: « Initium fit a personis, quarum causa cetera constituta sunt (nam omne ius redditur personis de rebus per actiones et iudicia). Is titulus eiusdem plane argumenti inscribitur *de statu hominum.* Unde intelligimus personam hic non qualitatem civis sed hominis designare, aut potius hominem simpliciter: eamque appellationem tam servo competere, quam homini libero: sicut et in iure passim etiam servo tribuitur..... Item ius personae hic esse quod statum et conditionem personae

ca est proprie homo, non qua simpliciter talis, sed quatenus constitutus in statu vi cuius diverso iure utitur et diversis officiis adstringitur. Persona moralis est plurium hominum collectio capax iuris ex lege; et distinguitur in *collectivā* et *fictitiā*. Collectiva dicitur si ex pluribus personis physicis constat, ceu capitula ecclesiarum ex. gr. cathedralium, monasteria, civitates, collegia etc.: fictitia si pacto vel lege positiva ideoque fictione iuris constituitur, scilicet veris personis non constat, sed ut in iure romano exhibetur, *personae vice fungitur* (1), ceu universitates bonorum, causae piae etc.

2. Personae phisicae quae in Ecclesia sunt omnes et singuli fideles, dividuntur ex ipsa divina constitutione in *clericos* et *laicos* (2).

Clerici ut ex etymologia (κλῆρος *sors, haereditas*) dicuntur qui divino cultui ad vacandum assumpti sunt, et propterea *sorte*, ut ait Hieronimus (3), *sunt Domini, vel quia Dominus sors idest pars haereditatis clericorum est;* et possunt esse *saeculares* vel *regulares* prout adscribuntur vel non, ullo Ordini vel Congregationi a S. Sede approbatae.

sequitur: nam status ipse est personae conditio aut qualitas, quae efficit, ut hoc vel illo iure utatur, ut esse liberum, esse servum, esse ingenuum, esse libertinum: esse alieni, esse sui iuris... Itaque status rationem causae, ius effecti habet » Cfr. ibid. *Heinec.* Cfr. *M. De-Luca*, Praelectiones iuris can., lib. de personis, tit. I, n. 2.

(1) Fr. CXVI. D; De legatis, I, (XXX).

(2) De hac generali divisione personarum quae ad Ecclesiam pertinent diserte sermo est in can. *Duo sunt*, 7, caus. 12, q. 1. « Duo sunt genera Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici Deo devoti, videlicet conversi.... Aliud vero genus est christianorum ut sunt laici..... His concessum est uxorem ducere, terram colere, inter virum et virum iudicare, causas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere; et ita] salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint ».

(3) Epist. II ad Nepotian.

Laici (1) dicuntur omnes fideles baptizati qui utraque postestate ordinis et iurisdictionis carent.

De his ex professo non tractabimus. Ad eorum peculiares obligationes quod attinet vide apud theologos (2); praecipua autem iura quibus gaudent sunt: *adsociationis*, *advocatiae*, *patronatus.*

3. *Ius adsociationis* in eo est ut fideles consilia et vires mutuo in se conferant in ordinem ad aliquem finem specialem. Ius adsociationis fundatur in ipsa hominis natura quae essentialiter socialis est (3) et determinari potest ad societates civiles vel religiosas (4). Si civiles spectantur, ipsae pendent ab auctoritate civili, si religiosae ab auctoritate ecclesiastica.

4. *De iure advocatiae seu defensionis* quod spectat ad principem, scilicet de iure et officio principis defendendi Ecclesiam, iam vidimus in iure publico. Aliquid tantum

(1) Vocabulum *laicus* a graeco idiomate λαός, *populus*, derivatur: quod *S. Petrus* in prima epistola, c. III, v. 10, adhibet loquens de universo populo fidelium christianorum. Inde ortum est verbum λαός quo iam utitur *S. Clemens*, 1 Cor., c. 40. Postquam a *S. Iustino* par iter populus christianus appellatus est λαός, inde a tempore *Tertulliani*, De fuga in persec., II, « laici » per modum stabilis terminologiae dicuntur fideles a clero distincti. Cf. *Wernz*, op. cit. tom. II, n. 9, not. 6.

(2) Cfr. *Piscetta*, tom. 1, tract. IV, disp. I.

(3) *Taparelli*, op. cit. vol. I, diss. II *Liberatore*, Compendium iuris naturae, c. III, n. I.

(4) Ab antiquissimis temporibus in Ecclesia huiuscemodi societates extiterunt. Et hinc iure merito *Leo XIII* in litteris « *Augustissimae* », diei 12 sept. 1897: « Multiplex (autem) ratio est, qua catholici homines societates huiusmodi saluberrimas inire solent... Profecto haec omnia etsi nomine, forma aut suo quaeque peculiari ac proximo fine recens inventa esse videantur, re tamen ipsa sunt antiquissima. Constat enim in ipsis christianae religionis exordiis eius generis societatum vestigia reperiri. Serius autem legibus confirmatae, suis distinctae signis, privilegiis donatae, divinum ad cultum in templis adhibitae, aut animis corporibusve sublevandis destinatae variis nominibus, pro varia tempore ratione appellatae sunt ».

heic addimus de munere quod et ad laicos praeter principem pertinere potest, tuendi scilicet et defendendi iura Ecclesiae. Advertimus tamen hoc ius *advocatiae* *a*) esse aliquid Ecclesiae extrinsecum nam Ecclesiam iam in suo esse constitutam supponit; *b*) non importare ecclesiasticam iurisdictionem ne delegatam quidem (1); *c*) ergo ab Ecclesia ipsa determinandum.

Si de eius origine inquiras, antiquissimum hoc ius in Ecclesia invenies; nam primis saeculis, data pace Ecclesiae solebant imperatores ad praeces ecclesiarum eis defensores deputare, ut principali auctoritate illas defenderent et ab iniuriis vindicarent.

Hodie antiquis advocatiis ob mutata temporum adiuncta subrogati fuerunt coetus e selectissimis viris tum ecclesiasticis, tum laicis qui vulgo in Italia audiunt « *Società della gioventù cattolica italiana* » et « *l' Opera dei Congressi Cattolici* » (2).

De iure patronatus agemus ubi de beneficiis.

Nunc de clericis, et I de saecularibus, II de regularibus.

(1) Laici iurisdictionem eccl. delegatam accipere possunt tantum ex concessione expressa R. Pontificis in iis tamen quae meram iurisdictionem requirunt ; *Hallier*, De hierarchia, l. IV, c. 4, a. 2, § 5; vel ab Episcopis, sed non in causis natura sua ecclesiasticis, nec criminalibus clericorum. Gloss. in can. *Bene quidem*, L. 96, § *praeter*, et in can. *Pervenit*, L. 95; in Cap. 2 de Iud. et in eo DD. Cfr. *M*, *De-Luca*. op. cit. l. c. n. 9.

Huc pertinet personale privilegium datum ab Urbano II, an. 1095 vel 1097 Rogerio I magno comite Siciliae quo statuebatur legatum Romanae Ecclesiae. Hoc privilegium regalisti mutarunt in usurpationem, quae sub nomine *monarchiae vel legatiae Siciliae* transiit in historiam. Cfr. *Baronium*, ad 1077 et anonym. in opere inscripto: Istoria della pretesa monarchia in Sicilia, cap. 17 et 35; Cfr. *Sentis*, Sicula monarchia; *Galeotti*, Della legazione apostolica in Sicilia. Cfr. Const. *Suprema*. Pii IX, 25 Ian. 1867; *Cavagnis*, op. cit. vol. II, c. IV.

(2) *Lombardi*, op. cit. vol. I, p. 380 et seqq.; *De-Camillis*, op. cit. vol. I, pag. 294 et seqq.; *Icard*, vol II, n. 317 et seqq.

SECTIO I.

DE CLERICIS SAECULARIBUS.

Iam vidimus et ex S. Theologia clare probatur clericos non esse omnes aequales gradu et potestate; sed alios aliis esse maiores, atque inferiores subordinatos esse superioribus ita ut vera existat hierarchia eaque duplex et pariter iuris divini, scilicet *ordinis* et *iurisdictionis*.

SUBSECTIO I.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

CAPUT I.

De gradibus hierarchiae ordinis et de sacra ordinatione.

5. De gradibus hierarchiae ordinis fuse locuti sumus in Tract. de ordine (1); hic aliquid summatim recolimus ne rerum moles propositae brevitati et claritati officiat.

Gradus hierarchiae in ordinis Ecclesia latina septem numerantur, nempe:

Ostiariatus, *lectoratus*, *exorcistatus*, *acolytatus*, *subdiaconatus*, *diaconatus*, *sacerdotium* quod duplex est, minus id est *presbyteratus*, maius seu *episcopatus* (2).

(1) Cfr. *Munerati*, Theologiae Sacramentariae Elementa, de Ordine.

(2) Tonsura non est ordo quia per ipsam nullam quis recipit spiritualem potestatem, sed simpliciter separatur a plebe et accensetur coetui clericali. Et primis Ecclesiae saeculis simul cum aliquo ordine conferri consueverat. Separata autem fuit ab ordinibus, iuxta *Morinum*, P. III, Exerc. XV, c. 3, post quintum Ecclesiae saeculum; iuxta alios et iam ante V saeculum. Cfr. *Mabillonium*

Constat *a*) ex Rom. Pontificibus *Cornelio*, *Caio* (saec. III) et *Gelasio* (saec. V) qui hos ordines recensuerunt; nec non ex patribus graecis *Dionysio*, et *Ignatio M.* qui testantur etiam in antiqua graecorum Ecclesia septem fuisse; *b*) ex Conc. Carthag. IV (ann. 398, a can. 3 ad 9); Aquisgranensi (an. 816); et Tridentino (sess. XXIII, c. 2) quod postquam dixit de sacerdotibus et diaconis apertam mentionem fieri in sacris litteris, addit: « Ab ipso Ecclesiae initio, sequentium Ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria: Subdiaconi scilicet, Acolyti, Exorcistae, Lectoris et Ostiarii, in usu fuisse cognoscitur ».

Ex his alii minores, alii maiores.

Minores sunt *ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolytatus* (1). Maiores *subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus, episcopatus.*

Ostiariatus, ex Pontif. Rom., est ordo quo committitur potestas claudendi et aperiendi Ecclesiam, populum per campanam eodem convocandi atque repellendi infideles, admittendi fideles.

praef. et P. I, saec. III Benedictinorum n. 19 et *Christianum Lupum* in Scholiis ad can. 13, Conc. Oecum. VII.

(1) Hi ordines minores iam in ipsa primitiva Ecclesia floruerunt. Apud *Eusebium*, Hist. Eccl., l. 6. c. 35, et penes alios scriptores reperimus praegrandem numerum eorum qui hos inferiores ordinis gradus adscendebant, apud quos varia recensentur eiusmodi clericorum nomina e. g. *laborantes* seu *fossarii*, curandis seu sepeliendis fidelium corporibus operam impendentes; *parabulani*; ad debilium aegra corpora curanda deputati; *oeconomi* Ecclesiarum; *apocrisarii* qui tanquam procuratores ecclesiasticas causas in aula Principis agerent; *hermeneutae* seu interpretes S. Scripturae; *defensores* pauperum; *custodes* martyrum; *catechistae*; *notarii* actuum martyrum etc.

In Ecclesia orientali saltem ex vigente disciplina a Sede Apostolica approbata et praescripta *ordinarie* et *formaliter* tantum duo existunt ordines minores, scilicet *lectoratus* et *subdiaconatus* (subdiaconatus etiam in antiqua ecclesia inter ordines minores computatus est), in quo, ut eruitur *ex forma* ordinationis subdiaconi, etiam *ostiariatus* et *acolytatus* virtualiter continentur. Cfr. *Gasparri*, n. 15.

Lectoratus est ordo quo confertur potestas legendi publice in Ecclesia S. Scripturam et sanctorum Patrum scripta, nec non benedicendi panem et omnes fructus novos.

Exorcistatus est ordo quo traditur potestas invocandi nomen Domini et pellendi spiritus immundos ab obsessis.

Alcolytatus est ordo quo potestas traditur ministrandi subdiacono et diacono in Missa solemni et ipsi sacerdoti in Missa privata.

Subdiaconatus est ordo quo tribuitur potestas ministrandi diacono ad altare atque abluendi pallas altaris et corporalia, tum legendi ad Missam epistolam.

Diaconatus est ordo quo confertur potestas ministrandi episcopis vel presbyteris sacra solemniter perficientibus, legendi evangelium Dei atque ex legitima commissione solemniter baptizandi, administrandi Eucharistiam et praedicandi.

Presbyteratus est ordo quo confertur potestas conficiendi Corpus et Sanguinem D. N. I. C., remittendi peccata, ungendi infirmos et solemniter baptizandi.

Episcopatus est ordo quo confertur potestas conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis et regendi ecclesiam commissam (1).

Episcopi supremum gradum tenent in hierarchia ordinis; et *iure divino* (2) ratione ordinis et iurisdictionis sunt superiores simplicibus presbyteris; nam simplicibus sacerdotibus numquam legimus concessas fuisse potestates regendi

(1) Quaestio est utrum Episcopatus sit ordo distinctus a Presbyteratu Realis distinctio a Canonistis inde ab antiquis temporibus communiter admissa, (Cfr. *Schmalzgr.*, l. I, t. 11, n. 4) saltem nostra aetate etiam communiori sententia theologorum probatur. Cfr. *Munerati*, l. c.

(2) Esse de iure divino, quamvis a Tridentino non sit decretum, certum tamen est apud Canonistas et Theologos.

Ad Conc. Trid. autem quod attinet sunt qui putant, sess. XXXIII, c. 6, noluisse Concilium definire aeque iuris divini esse praeeminentiam Episcoporum supra presbyteros quia, sess. cit. c. 4, solum dixit *eosque episcopos presbyteris superiores esse.* Quibus recte re-

Ecclesiam, constituendi presbyteros, et accipiendi accusationem adversus alios presbyteros (1).

ARTIC. II.

De sacra ordinatione.

7. Sacra ordinatio est *collatio ordinum Episcopatu imferiorum.*

Requisita ad s. ordinationem rite perficiendam praecipua vel *ministrum* spectant, vel *subiectum*, vel *materiam* et *for-*

spondet Card. *Segna*, de Eccl. Const. n. 56 : « At secus dicendum mihi videtur. In primis enim Conc. definit divina ordinatione i e. a Christo vel ab Apostolis ex Christi mandato s. Hierarchiam triplici gradu fuisse institutam; quare si *de institutione* sermo sit iam nemo refragatur divino iure episcopos a presbyteris distingui. At insuper ut ex canonis ipsis verbis patet Concilium sermonem habet de institutione Hierarchiae, quae sua aetate erat in Ecclesia: ait enim *in Ecclesia Cattolica non esse........ quae constat.* Atqui Hierarchia aetate Conc. in toto Eccl. cath.. certe a pluribus saltem retro saeculis constituta, ita reperiebatur ut episcopi potestate tum ordinis, tum iurisdictionis praeminerent et superiores essent presbyteris. Ergo si institutio hierarchica, praeeminentia quoque episcoporum supra presbyteros iuxta Concilium instituta ordinatione divina et proinde divini iuris aestimari debet.... Et infra. Insuper sanctio Concilii sub anathematis poena contra eos qui negent episcopos esse presbyteris superiores can. 7, si superioritas intelligatur iure tantum ecclesiastico incassum recideret; neque ex adverso refragandi causam haeretici, quos concilium damnare destinaverat, vix ullam habuissent.... Demum etsi daretur Concilium definire noluisse episcopos esse ex divina institutione superiores presbyteris, non ideo tamen minus propositio ad fidem pertineret: nec enim ad hoc solemni opus est definitione prout nec etiam ut error oppositus haeresis damnetur, sed satis est ut fidei quam Ecclesia profitetur repugnet: et Arius, Nestorius, Eutiches aliique, haeretici iam habebantur et erant priusquam eorum errores solemnibus Conciliorum definitionibus anathematizarentur ».

(1) Cfr. Conc. Trid., sess. XXIII, vera et cath. doct., c. 4, c. 6, 7; *Bened. XIV*, De syn., l. XIII, c. 1, n. 2; *S. Thom*, suppl. q. XL, a. 4; *Munerati*, l. c.

mam. De materia et forma vide in Tract. de ordine; hic quaedam de aliis.

§ I.

De ministro.

8. *Minister ordinarius validae ordinationis* est omnis et solus Episcopus consecratus (1); *extraordinarius* est simplex presbyter cui hoc privilegium a S. Sede concessum sit (2). Hic tamen non potest conferre nisi tonsuram, ordines minores et probabilius subdiaconatum, cum (ut verior sententia habet) huiusmodi ordines sint ecclesiasticae institutionis. Quoad diaconatum magna controversia exarsit inter canonistas et theologos; sed dirempta ab aliquibus censetur Bulla Inn. VIII, an. 1481 (3), qua quibusdam abbatibus s. ord. Cist. privilegium conceditur ordinandi diaconos. Quantum denique ad presbyteratum et episcopatum convenit inter omnes quod solus episcopus possit eos valide conferre (4).

9. *Minister legitimae ordinationis* est episcopus proprius (5).

Episcopus proprius quoad ordines suscipiendos quadru-

(1) Episcopus etiamsi sit apostata, haereticus, schismaticus, excomunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, depositus, degradatus, simoniacus, criminosus, vel loco et dignitati renuntiaverit, modo servet ritum substantialem ordinationis iure divino (vel iure canonico) praescriptum, atque intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, valide ordines confert. Conc. Trid., sess. VII, c. 4; *Gasparri*, De Sacr. Ordinis, n. 1147; *Wernz*, II, n. 27; *Aichner*, p. 196

(2) Cfr. *Ballerini-Palmieri*, n. 37.

(3) Haec tamen Constitutio ab aliquibus ut falsificata habetur. ideoque expers omni vi probandi illud privilegium abbatum Cirstenciensium. Cfr. *Pastor*, Storia dei papi, t. III, p. 253; *Gasparri*, l. c. n. 798.

(4) In consecratione Episcopi pro valore sacramenti necessarii non sunt tres Episcopi, sed sufficit etiam unus. Cfr. *Ballerini-Palm.*, n. 39; *Gasparri*, l. c. n. 1087 seq. 1112.

(5) Conc. Trid., sess. XXIII, c. VIII, de reform.

plici titulo constituitur, nempe: *ratione originis*, *beneficii*, *domicilii* et *familiaritatis* seu *commensalitatis*.

a) *Ratione originis*, si candidatus « naturaliter ortus est in ea dioecesi in qua ad ordines promoveri desiderat. Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae etc.... At si pater in alieno loco ubi eius filius natus est, tamdiu et eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut praefertur, contractum pro ordinatione eiusdem filii attendi debet » (1).

Si vero filius sit illegitimus, neque legitimatus sequitur domicilium matris (2).

Si sit expositus et parentes eius et locus nativitatis ignorentur, censetur locus originis ipse locus in quo fuit expositus (3).

Si sit neophitus, recens scilicet ad fidem conversus sive ex Gentilibus sive ex Iudaeis, est originarius loci in quo est baptizatus (4).

b) *Ratione domicilii*, quando candidatus licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco ut vel per decennium saltem in eo habitando vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibi manendi animum demonstraverit et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet (5).

c) *Ratione beneficii*, si ordinandus in dioecesi beneficium habet « cuius sit reditus ut ad congruam vitae

(1) Cfr. *Inn. XII*, Const. « *Speculatores* », 5 Nov. 1694.

(2) Cfr. *Honorante*, Prax. Secr. Urbis. Vic., c. 1, not. 9.

(3) Cfr. *Giraldi*, Exp. Iur. Pont., p. 2, sect. 96.

(4) *Paulus III*, Const. « *Cupientes* » 21 Mart. 1542; *Gasparri*, n. 807.

(5) *Innoc. XII*, l. c.; *Gasparri*, l. c. n. 828 et seqq.

sustentationem sive iuxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur » (1). Quod si habeat domicilia diversa, poterit ab utriuslibet episcopo ordinari; quia utrique episcopo subditus est ratione domicilii, modo in iis aequaliter, licet non mathematice, habitet. Ita S. Congr. Concilii.

d) *Ratione familiaritatis*, quando candidatus per triennium (2) ut familiaris cum episcopo convixerit; hoc tamen in casu episcopus sufficiens beneficium ad congruam sustentationem, omni remota fraude, statim vel infra ipsi conferre debet (3).

10. Scholion I. — **De litteris dimissorialibus.**

Si ex legitima causa episcopus per seipsum subdito suo ordines conferre nequeat, potest illum dimittere ut ab alio episcopo ordinetur.

Litterae quibus episcopus proprius rogat vel permittit alteri episcopo ut clericum suum ordinet, dicuntur *dimissoriales* (4).

In litteris dimissorialibus exprimenda est causa cur episcopus proprius non ordinet (5).

(1) Non sufficit tamen titulus Missarum, nec pensio licet perpetua et ecclesiastica, nec capellania laicalis; quia non sunt vera ecclesiastica beneficia. *Inn. XII*, l. c.

(2) An requiratur triennium continuum, affirmant *Navarrus*, *Bonacina*, *Barbosa*; negat *Giraldi*; sed haec secunda sententia praeferenda, dummodo diu non sit interruptum. Ita *Lucidi*, *I*, p. 169, n. 69.

(3) Conc. Trid., sess. XXIII, c. 9, de reform.

Si autem Ordinandus patrimonium habeat, obligatio conferendi ei beneficium cessat. Cfr. *Bucceroni*, de ministro ordinis, n. 893.

In Gallia ex praxi generali solus episcopus *originis* ordinare solet: attamen talis consuetudo vim legis habere non censetur. Non peccaret igitur episcopus, aliquem ratione domicilii ordinans. Cfr. *Bouvier*, c. 4, art. 5; *Gousset*, n. 648.

(4) Devoti, Ius. can. univ., l. I, tit. 13, § 4.

(5) Conc. Trid., § 7, c. 11, de reform.

Dimissoriae differunt a *litteris testimonialibus* quae simpliciter de vita et moribus clerici fidem faciunt, vel de ordinibus susceptis vel de absentia cuiuslibet impedimenti.

Possunt concedere dimissorias 1° Episcopus proprius, excepto excommunicato, 2° Praelati et Superiores regulares (1). 3° Vicarius Cap. sede vacante, post annum (2), nisi sermo sit de arctatis ab ordine (3), 4° Capitulum Cathedrale per actum capitularem, ante electionem Vicarii Capitularis; sed pariter post annum (4).

Tamen si ordinandi privilegio apostolico gaudeant suscipiendi ordines a quocumque episcopo, tunc Vicarius Capitularis et Capitulum possunt dare litteras testimoniales, quia his non datur licentia ordinandi, sed solummodo de vita et doctrina promovendorum fit attestatio. Ex eadem ratione possunt infra eundem vacationis annum Episcopo extraneo licentiam dare ut in dioecesi vacante ordines conferat, sive extraneis, sive subditis dioecesanis dimissorias aliunde ex. gr. a defuncto Episcopo habentibus (5).

11. **Quaeres**: An quis possit licite ordinari ab Episcopo alieno tantum sub spe, quod episcopus proprius ratam habebit ordinationem?

R. Controvertitur; probabilius tamen negatur, quia Trid. exigit licentiam expressam Ordinarii proprii. Nihilominus, episcopus proprius, post factum bene poterit ratam habere talem ordinationem sine recursu ad Pontificem.

12. Scholion II. — **De tempore et loco ad ordines recipiendos et de interstitiis.**

(1) De his vide ubi de privilegiis religiosorum.

(2) *Schmalzgr*, h. t., n. 44. Ius concedendi dimissorias ordinandis, Nuntiis Apost. non inest. Cfr. *Ferraris*, l. c. v. ordo, art. 3

(3) Arctatus quis dicitur si ratione beneficii suscepti, vel suscipiendi infra annum teneatur ordinem aliquem accipere.

(4) Conc. Trid., sess. VII, c. 10, de reform.

(5) *Schmalzgr*, P. III, tit. 11, n. 44; *Aichner*, p. 203.

Quoad **tempus** notandum: Prima tonsura quovis die, hora et loco conferri potest (1).

Ordines minores conferri debent diebus dominicis et festivis duplicibus etiam suppressis, sed mane tantum (2).

Ordines maiores in Ecclesia Latina, iuxta praesentem disciplinam, conferri debent in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato *Sitientes* seu ante Dominicam Passionis, et Sabbato Sancto. Saepe vero ordines conferuntur extra tempora ex dispensatione S. Sedis; sed tunc die dominica vel festiva de praecepto (3).

Regulares gaudent privilegio suscipiendi Ordines extra tempora. Huic privilegio nunquam fuit derogatum, ut affirmavit specialis Congregatio (16 maii 1725) et declaravit ipse *Benedictus XIII*, in Conc. Rom. (4).

Quoad **locum** Conc. Trid., sess. XXIII, c. 8, statuit: « Ordinationes SS. Ordinum, statutis a iure temporibus, in Cathedrali Ecclesia, vocatis praesentibus ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur ». Hodie tamen ex consuetudine ordinatio haberi potest etiam in Capella privata.

13. **Interstitia** sunt ea temporis intervalla quae inter unum et alium ordinem decurrere debent. Interstitia ordinum minorum ex Trid.. sess. XXII, c. 11, de refor., arbitrio episcopi relinquuntur.

A minoribus ad subdiaconatum requiruntur interstitia unius anni, (5) nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas ex iudicio episcopi aliud exposcat.

(1) Pontif. Rom.

(2) S. R. C., 12 Nov. 1831, 6 Maii 1833.

(3) Antiqua poena suspensionis ordinato extra tempora ipso iure inflicta hodie abrogata est, Const. enim « *Apost. Sedis* » de ea tacet. Cfr. *Santi*, l. I, tit. 11, n. 62; *Gasparri*, l. c. n. 81; *Wernz*, II, n. 67.

(4) Cfr. *Ballerini-Palm.*, n. 55.

(5) Hic intelligitur annus ecclesiasticus; sufficit ergo annus naturaliter incompletus si v. gr. anno insequenti Pascha celerius advenerit. Cfr. *Wernz* II, n. 63, not. 79.

Alicubi tamen viget consuetudo conferendi tonsuram et minores ordines simul eodem die, et subdiaconatum, subito post unum vel alterum diem; imo aliquibus in locis quatuor minores simul et Subdiaconatum. Quae consuetudo iuxta Schmalzgrueber non est reprobanda.

Inter subdiaconatum et diaconatum et pariter inter diaconatum et presbyteratum interstitia unius anni servari debent, nisi ob Ecclesiae utilitatem aut necessitatem aliud Episcopo videretur (1).

Duo ordines maiores eodem die conferre et accipere prohibitum est; poenae suspensionis tamen latae sententiae ordinanti et ordinato amplius non vigent (2).

Dispensare ab interstitiis potest Episcopus, etiam pro ordinationibus Regularium; et tunc ei non spectat inquirere an causae pro dispensatione a superiore Ordinis allatae sint verae ne an falsae, sed fidem adhibere tenetur, dum sufficientes appareant (3).

Dispensandi facultatem habet et Vicarius Capitularis.

§ II.

De subiecto.

14. Subiectum validae ordinationis est *omnis* et *solus vir baptizatus.*

Dicitur *omnis*; ordinari ergo possunt infantes et perpetuo amentes. Ratio est quia in ordine non confertur actus sed potestas ad actum.

Dicitur *solus*; nam foeminae ex ipso iure divino (saltem pro ordinibus qui sunt institutionis divinae) et ex ecclesiastico (pro ordinibus qui sunt ecclesiasticae institutionis)

(1) Conc. Trid., l. c.

(2) Cfr. Const. « *Apostolicae Sedis* » Pii IX; *Gasparri*, l. c. n. 551.

(3) S. C. C., 12 Sept. 1609, et 31 Iun. 1587.

incapaces sunt (1): constat de primo ex 1 Cor. 14; 1 Tim. 11 et 12; de secundo ex c. *Nova* de Poen. et Remiss. ubi absolute negatur posse foeminas actus sacerdotales exercere.

Confirmatur ex perpetua traditione atque praxi Ecclesiae et reprobatione sectarum haereticarum, quae foeminas ad hierarchiam admittebant (2).

15. Ad licitam autem ordinum susceptionem requiruntur in subiecto sequentes conditiones:

1) *Ut sit vocatus a Deo.* Patet ex verbis *Apostoli*, Heb. c. V, v. 4: « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron » (3).

(1) Diaconissae quarum meminit *S. Paulus*, I, Tim., V, non habebant ordinem diaconalem proprie dictum, sed tantum officium analogum officio diaconorum, nam neque eorum functiones referebantur ad Eucharistiam, neque earum potestas erat gradus ad sacerdotium. Cfr. *Gasparri*, 1, n. 7 et 136.

De fabula autem Papissae Ioannae, vide solidissimas confutationes apud *Baronium*, *Bellarminum*, *Natalem Alexandrum*, *Möhler* et *Döllinger*.

(2) Cfr. *Ballerini-Palm*, n. 67.

(3) De divina vocatione positive constare debet Superiori.

Criteria ad eam agnoscendam in ordinando, haec communiter assignantur:

a) *recta intentio* sive animus clericandi. « Omnes Pontifex, ait *S. Paulus*, Heb. V, 1, ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». Et Trid sess. XXIII, c. 4: « Primo tonsura non initientur.... de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse ».

b) *aptitudo ad munera subeunda*; et ideo *iudicium prudens, conscientia timorata, conveniens scientia.* Quoad hanc ultimam pro sacerdotio, ultra quod debeat intelligere suum ordinem et scire ea quae spectant eius exercitium, requirit insuper Trid., sess. XXIII, c. 14, de reform., ut *ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine idoneus comprobetur.* Quocirca tenetur episcopus, examinare per se vel per alios, nisi aliunde certus sit de ipsorum idoneitate per propriam notitiam vel per communem opinionem.

2) *Ut sit confirmatus.*

3) *Ut habeat aetatem praescriptam. Pro tonsura et minoribus* nulla determinatur aetas; ordinario septenium sufficit.

Pro *subdiaconatu* requiritur annus aetatis XXI completus; pro *diaconatu* XXII completus; pro *presbyteratu* XXIV completus (1).

Potest tamen quis dispensari super defectu aetatis a S. Sede vel ab episcopo cui haec facultas committi solet. Sed pro *subiaconatu* dispensatio etiam a S. Sede nunquam conceditur; et raro pro *diaconatu.* Pro *presbyteratu* facile conceditur si tresdecim menses ad legitimam aetatem deficiunt: imo non raro, iusta aliqua concurrente causa, dispensatio etiam conceditur super defectu quatuordecim et hodie etiam decem et octo mensium (2).

Pro *episcopatu* tandem requiritur XXX annus completus.

4) *Ut legitimo titulo gaudeat. Tituli* nomine hic intelligitur ius perpetuum ad necessaria pro congrua et decenti clerici sustentatione. Non decet enim eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere (3).

Tituli praecipui sunt: titulus *beneficii*, titulus *patrimonii* vel *pensionis*, titulus *paupertatis* vel *professionis religiosae.*

De primo titulo vide inferius ubi de beneficiis.

Quoad titulum *patrimonii* non possent omnes hoc titulo ordinari sed tantum ii, *quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate ecclesiarum suarum* (4).

Et regulares quoque ad hoc examen subiiciendi sunt, exclusis quibuscumque quoad hoc privilegiis, Trid., l. c.

c) probitas vitae, quae virtute probata et animi constantia commendetur. Cfr. *Gasparri* n. 565.

(1) *Santi*, op. cit. I, tit. XIV.

(2) *Gasparri*, n. 493.

(3) Conc. Trid., sess. XXI, c. 2, de reform.

(4) Conc. Trid., sess. II, c. 2.

Titulo *paupertatis* soli regulares professi ordinantur (1), non autem novitii (2).

Praeter hos et alii tituli obtineri possunt per privilegium a S. Sede, ut ex. gr. titulum *mensae communis* pro nonnullis religiosis votorum simplicium aliisve qui nulla nuncupant vota sed solum vitam communem agunt; *servitii Ecclesiae*, et *missionis*.

Nemo tamen vi tituli *missionis* ordinari potest nisi qui animum habeat proficiscendi ad loca missionum quamprimum superiores iusserint.

Tituli amitti possunt; sed tunc alii substitui debent.

5) *Ut exhibeat litteras testimoniales*, de quibus supra.

Litterae testimoniales requiruntur quando ordinandus tantam moram fecerit in alia dioecesi ut ibi potuerit canonicum impedimentum contrahere (3). Existimatur, communiter, impedimentum contrahi potuisse si per semestre extra dioecesim commoratus sit (4).

Juxta autem Decr. S. C. C., 11 iul. 1840, clerici qui ab alio episcopo ordinantur qui non sit loci ubi studiis navaverint, exibere debent testimonium episcopi illius loci; nec tunc sufficiunt litterae moderatoris seminarii (5).

Quando ordinandus extra dioecesim, servitii militaris causa, commoratus sit, litteras testimoniales afferre debet episcopi illius dioeceseos ubi per trimestre permansit (6).

(1) *S. Pius V*, Const. « *Romanus Pontifex* ».

(2) Excipiuntur religiosi Societatis Iesu, qui post vota simplicia ordinari possunt; et si deinde a religione dimittantur, societas eos alere minime tenetur.

(3) *Inn. XII*, Const. « *Speculatores* ».

(4) *Gasparri*, II, n. 731.

(5) S. C. C., 14 Iul. 1894.

(6) S. C. C., 9 Sept. 1893. Ex decreto Congr. S. Off. 9 sept. 1875, requiritur ut clerici sacris Ordinibus initiandi militari activo servitio, cui sunt obnoxii, prius satisfecerint Item ex decr. S. C. EE, et RR. 27 nov. 1862, non possunt Regulares emittere solemnem professionem, neque sacros ordines suscipere, quin prius satisfecerint militari servitio activo cui subiacent.

Litterae testimoniales requirendae sunt etiam pro promotione ad primam tonsuram (1) non tamen sub censura (2).

6) *Ut ordinatio procedat per gradus et non per saltum*; servando scilicet legitimam ordinum seriem in ordinatione. Clericus promotus per saltum est ipso facto suspensus ab ordine suscepto (3).

7) *Ut coelibatum servet* (4).

8) *Ut sit immunis a censura* (5) *et ab irregularitate.*

16. **Irregularitas** definitur: Impedimentum iure canonico constitutum perpetuo prohibens ne quis ad gradum clericalem vel altiorem ascendat et ordinis suscepti officium exerceat, vel ecclesiasticum beneficium acceptet. Irregularitas alia *ex defectu*, alia *ex delicto* provenit. Prima causatur ex absentia alicuius qualitatis quae impedit quominus recte ordines suscipiantur; secunda contrahitur ex certis delictis in iure expressis (6).

Irregularitas *ex defectu* potest esse 1. ex defectu *natalium*; 2. *animi;* 3. *libertatis;* 4. *corporis;* 5. *famae*; 6. *lenitatis*; 7. *sacramenti.*

(1) S. C. C., 11 Iun. 1881.

(2) S. C. Inquis., 18 Apr. 1888.

(3) Suspensio ab ordine per saltum suscepto etiam post Pii IX Const. « *Apostolicae Sedis* » certe non permanet ut censura, sed ut simplex prohibitio ministrandi in ordine per saltum sive bona fide, sive mala fide suscepto, et non cessat antequam gradus praetermissus sit obtentus. Cfr. *Santi*, I, tit. XXIX, n. 2; *Wernz*, II, n. 73, not. 89.

(4) De coelibatu videbimus infra.

(5) De censuris vide cl. *Piscetta*, op. cit. vol. II. tr. IV.

(6) Aliqui auctores sumentes irregularitatem in sensu lato, eam distinguunt etiam in *temporaneam* et *perpetuam* quod patet; et in *partialem* et *totalem* prout prohibet susceptionem omnium ordinum atque omnis ordinis suscepti exercitium, vel tantum ascensum ad ordinem superiorem aut alicuius ordinis ministerium; hinc sacerdos carens oculis vel palma, inhabilis est ad missam, non tamen ad ministerium confessionis; diaconus sinistro oculo orbatus non potest promoveri ad sacerdotium; in suo tamen ordine ministrare non impeditur.

Cfr. *Gasparri*, n. 177; *Wernz*, II, n. 96; *Aichner*, pag. 208.

Irregularitas *ex delicto* oritur: 1. *ex Baptismi iteratione*; 2. *ex ministerio ordinis non recepto*; 3. *ex violatione censurae*; 4. *ex homicidio vel mutilatione*; 5. *ex haeresi* (1).

Irregularitas sive *ex defectu* sive *ex delicto* in se nullam rationem poenae includit; imponitur enim per se et primario solum ad reverentiam divini ministerii et non in punitionem delinquentis. Attamen irregularitas *ex delicto* secundario et ad instar poenae gravissimae infligitur, iure canonico ita statuente (2).

At irregularitas *ex defectu* non spoliat beneficiis iam antea obtentis (3) « nisi forte iustitia cogat ea dimittere »; v. gr. si requirat servitium personale quod beneficiatus praestare prohibetur.

Irregularitas *ex delicto* privat post sententiam iudicis (4), nisi interveniat dispensatio.

Dispensant ab irregularitate: 1. *Summus Pontifex* qui omnes irregularitates valide tollit etiam si causa non fuerit iusta, quamvis tunc illicita dispensatio evaderet; 2. *episcopi et delegati* ad normam Decr. Conc. Trid., sess. XXIV, c. 6, de reform.

17. Scholion. — **De poenis in male ordinantes horumque ordinatos.**

Ex disciplina nunc in Ecclesia vigente, suspensionem per triennium a collatione ordinum, ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

Item suspensionem per annum ab ordinum administratione Summo Pontifici reservatam, ipso iure incurrunt ordidinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii

(1) Vide *Munerati*, Theol. Sacr., de ordine.

(2) *Pichler*, V. 37, n, 25; *Gasparri*, n. 179.

(3) Cap. 3, 5, 6, X, de cler. aegrot., III, 6.

(4) Cap. 6, X, de cler. exc., V. 27; cap. 10, X, de excess. prael., 3; *Wernz*, II, n. 103, 104.

statim conferendi aut statim collati sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, sed etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore, i. e. ordinarie saltem per sex menses completos, moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibidem potuerit absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

Item suspensionem per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii (1), ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

Praeterea suspensionem ab ordine suscepto Summo Pontifici reservatam ipso iure incurrunt, qui ordinem recipere praesumpserunt ab excomunicato vel suspenso, vel interdicto, nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; is vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus exercitium non habet ordinis sic suscepti, donec dispensetur.

Denique singulares quoque poenae statutae sunt contra Capitula ecclesiarum cathedralium, Vicarios capitulares, Praelatos inferiores aut Collegia vel Capitula quaecumque, a quibus etiam propriis subditis praeter canonicas sanctiones litterae dimissoriae conceduntur (2).

(1) Dicitur *excepto casu legitimi privilegii,* quo v. gr. gaudet nostra Pia Societas pro iis qui vota simplicia in perpetuum ediderunt.

(2) Cfr. Conc. Trid., sess. VII, c. 10, de reform.; sess. XXIII, c. 10, de reform. *Pii IX* Const. « *Apostolicae Sedis* »; *Piscetta,* II, tr. VI.

CAPUT II.

De communibus Clericorum iuribus et obligationibus.

ARTIC. I.

De iuribus (remissive) (1).

18. — Iura praecipua clericorum sunt:

1) Ius gestandi vestem sui ordinis propriam, quo iure privari non possunt nisi per sententiam Episcopi in poenam delicti.

2) Ministeria et negotia ecclesiastica atque adeo divina officia peragendi, sacra contingendi, exercendi actus respectivi ordinis, ut est ordinare, confirmare, consecrare, absolvere a peccatis; magistratus et praelaturas ecclesiasticas gerendi, leges et sententias in foro canonico ferendi, censuras edendi, in beneficiis instituendi, aliaque spiritualia ab ecclesiastica iurisdictione dependentia explicandi.

3) Ius assequendi ecclesiastica beneficia (2), nec non pensiones ex beneficiis ecclesiasticis (3).

4) Ius tenendi in Ecclesia partem sublimiorem dum sacris officiis assistunt.

5) Ius consequendi ecclesiasticos honores et laicos cuiuscumque dignitatis praerogativa donatos in processionibus praecedendi.

6) Ius coëundi in collegium clericale suis proinde legibus ac iuribus instructum.

7) Ius ponendi iuramentum in conscientia, tacto pectore et non scripturis (4).

(1) De privilegiis Clericorum iam egimus in Iure publico.

(2) C. 6, de Transact.; *Gonzalez* et ceteri DD.

(3) *Pius V*, Const. « *Sacrosantum* », 11 Sept. 1568.

(4) Cfr. *Icard*, II, n. 357; *Wernz*, II, tit. VIII; *M. De-Luca*, De personis, tit. X, n. 127; *Sebastianelli*, Praelectiones Iur. Can,, de personis, tit. I, cap. I.

ARTIC. II.

De obligationibus.

Obligationes Clericorum aliae sunt *negativae*, aliae *positivae;* ad primas spectant quae Clericis prohibentur; ad secundas, quae praecipiuntur; hic breviter de singulis (1).

§ I.

Quae clericis prohibeantur.

19. Quae clericis prohibentur sunt *negotiatio, quaedam munera, quaedam oblectamenta saeculi, matrimonium.*

I. **De negotiatione** — Negotiationem *lucri causa* (2) exercere clericis prohibitum est (3); dedecet enim clericos, quorum Dominus est pars haereditatis, lucris captandis dare operam. Et primum sub hanc proibitionem cadit *cambium* exercere (4). Item laicorum praedia lucri captandi causa conducere (5).

Contra clericos qui illicitam negotiationem exercent, hae poenae decernuntur:

(1) Vide fusius apud *Piscetta*, Vol. I, tr. IV, n. 32 et seqq., ex quo plura decerpsimus.

(2) Clericis licita est negotiatio oeconomica. Illa enim clericos neque a divinis officiis vel obligationibus proprii status avocat neque implicat negotiis saecularibus. Cfr. *Wernz*, II, n. 219.

(3) C. 3, X, Tit. *Ne clerici vel monachi saecularibns negotiis se immisceant*; Conc. Trid., sess. XXII, c. 1.; *Bened. XIV*, Const. « *Apostolicae servitutis* », 65 Feb. 1741. Cfr. *Craisson*, op. cit. n. 2067.

(4) *Ben. XIV*, De syn., l. X, c. 5, n. 7 seqq.; *Clem. XIII*, Const. « *Cum primum* ». An autem clericis liceat emere titulos (vulgo *actiones*) societatum commercialium vide *Piscetta*, l. c. n. 97, *quaestio.*

(5) Cfr. c. 1. X, Tit. *Ne clerici* etc.; *Gratiani* Decret., p. 1, dist. 89, c. 26, et p. II, q. 3, causa 21, c. 1. Cfr. *Craisson*, op. cit. n. 2071.

1) *Excommunicatio ferendae* non latae sententiae, nemini reservata, nisi post monitionem desistant (1).

2) *Suspensio* ab officio et beneficio, post iudicis sententiam, atque adeo depositio (2).

3) *Amissio immunitatis* a vectigalibus quae ut laici solvere tenentur, absque praevia monitione (3).

4) *Privatio bonorum* ex illicita negotiatione acquisitorum quae ad Cameram Apostolicam pertinent (4).

Hae poenae vigent etiam contra regulares in hac re delinquentes in quantum sunt capaces; imo aliquando et gravius puniuntur (5).

II. **Munera clericis prohibita** — Prohibentur clerici: 1) Ne advocati (6) vel procuratores munere fungantur apud laicos iudices (7).

(1) Cfr. cap. 6, X, h. t., 50; *Schmalzgr.*, h. t., 50.

(2) Cfr. cap. 4, X, h. t., 50; *Schmalzgr.*. l. c.

(3) Cfr. cap. 3, de cens., III, 13 in Clem.

(4) Cfr. *Pii IV* Const. « *Decens* » et *Ben.* XIV, Const. « *Apostolicae* » apud *Wernz*, II, n. 219.

(5) Cfr. *Suarez*, De relig., tr. 8, l. 3, c. 20; *Schmalzgr.* n. 34. Speciales autem poenae sunt statutae ab *Urbano VIII* et *Clem. IX* atque denuo restauratae a *Pio IX* per decr. S. C. Inq., 4 Dec. 1872, contra personas ecclesiasticas sive saeculares, sive regulares quae in locis missionis negotiationibus saecularibus se immisceant. Cfr. *Wernz* II, l. c.

(6) Studium publicum iuris civilis tum Romani, tum patrii ex disciplina nunc vigente non amplius prohibetur. *Wernz* II, n. 222.

(7) Possunt tamen omnes clerici *saeculares* etiam sacerdotes in causis saecularibus et coram iudice saeculari advocati vel procuratores esse si pro seipsis, vel pro ecclesia sua vel propter necessitatem, pro personis coniunctis aut miserabilibus huiusmodi officia suscipiant. Cfr. C. I. 3, X, de postulando, I, 37. *Regulares* autem a suscipiendis officiis advocatorum vel procuratorum in omnibus causis et in omni foro excluduntur, nisi agatur de causis proprii Ordinis et ex mandato et consensu proprii superioris. Cfr. c. 2, X, de postulando; *Bened. XIV*, de syn., l. XIII, c. 10, n. 12.

2) Ne laicorum, etsi principum, negotia procurent (1). Trangressores si sunt clerici saeculares, in rigore iuris deponendi sunt a ministerio ecclesiastico, si regulares etiam gravius puniendi sunt (2).

3) Ne artem chirurgicam cum adustione et incisione exerceant (excepta causa necessitatis) (3). Adustio et incisio hic est e qua oriatur periculum vitae aut mutilationis.

Et etiam exercitium artis medicae iuxta communiorem sententiam prohibitum est (4). Sed omnino de prohibitione non constat. Nam in Decretalibus id dumtaxat prohibetur, ne Religiosi cum detrimento regularis disciplinae, et clerici alicuius Ecclesiae servitio perpetuo addicti cum detrimento officii sui, pergant ad audiendum leges, aut phisicam, seu medicinam (5).

4) Ne fungantur iis publicis muneribus, quibus publico velut servitio mancipentur, vel obnoxii fiant rationibus reddendis; ut ecce esset gerere praefecturam urbis (6). At esse oratores populi *(deputati)*, vel municipii aut provinciae consultores nulla lege prohibentur. Ex disciplina tamen vigente sine praevia licentia Ordinarii suscipere nequeunt (7).

5) Ne officia cauponis, lanionis, aliaque indecora per se exerceant. Et hoc sub poena amissionis privilegiorum clericalium (8).

(1) C. 1, 2, 4, X, Tit. « *Ne clerici* ».

(2) Cit. cap. 4, X, h. t., 50.

(3) Cap. 9, X, h. t.

(4) *Bened. XIV*, De syn., l. XIII, c. 10, n. 5; *Wernz*, II, n. 222 *Aichner*, pag. 256; *De-Luca*, De personis, n 107.

(5) Cap. 3, 10, X. h. t.; et cap. 1, 2, h. t. in 6°. Cfr. *Craisson*, n. 2062.

(6) Cap. 4, 5, X h. t., 50; *Schmalzgr.*, n. 68.

(7) *Wernz*, II, n. 225; *Aichner*, l. c.; *De-Luca*, n. 112. Viri autem e clero saeculari prohibentur quominus absque *praevia Ordinariorum venia* diaria et folia periodica moderanda suscipiant. *Leo XIII*, Const. « *Officiorum* », 25 Ian. 1897.

(8) Cap, 1, de vit., III, I. in Clem.; *Ferraris*, v. Clericus, art. 3, n. 15.

6) Ne arma gerant, nisi ad propriam tuitionem, ex gr. in itinere in quo aggressiones praevideantur (1). Delinquentes in hac re excommunicationem iure anticquo inurrebant; ex disciplina vigente excommunicatio amplius non viget (2).

III. **De vetitis oblectamentis** — Huc pertinent *venationes*, *aleae*, *theatra*, *choreae* etc.

Venatio frequens clericis interdicitur sub poena suspensionis ferendae sententiae, Episcopo quidem per tres menses, presbytero per duos menses, diacono autem ab omni officio (3). Id tamen intelligitur de venatione clamorosa et non de quieta quae fit absque strepitu, cum laqueis vel cum moderato armorum et canum usu, ordinata ad capiendas volucres vel minores feras (4). Deinde vetantur ludi *alearum* et *taxillorum* quo omnes illi lusus comprehenduntur qui potius fortuna quam arte reguntur (5). Ex praesenti vero consuetudine leges eccles. non infringere censetur, qui parce, recreationis causa et secluso scandalo, aleis chartisque ludit (6). Prohibentur insuper clerici choreas ducere et comoediis lubricis interesse (7), ne *aures* et *oculi sacris officiis addicti ludibris et impuris actionibus sermonibusque distracti polluantur* (8).

(1) C. 2, h. t. et Glossa ibi.

(2) Cfr. Const. « *Apostolicae Sedis* »; *Giraldi*, Expos. Iuris Pontif., in comm. ad cit. c. 2, h. t.

(3) C. I, X, l. V, tit. *De clerico venatore*. In cap. autem 2, h. t. et in Cap. 15 Conc. Lateranensis IV interditio venationis ad omnes clericos extensa est. Tamen *Bened. XIV* de syn., l. XI, cap. 10, n. 8, 9 demonstrat poenas veterum canonum abrogatas esse, et relictam arbitrio Episcopi congruam punitionem contra clericum venatorem. Cfr. etiam *Craisson*, n. 2072-2078.

(4) Cfr. *Santi*, lib. V, tit. XXIV.

(5) Cfr. Cap. 15. de vita et honest. cleric.: Cap. 11, de excess. Prael; Trid., sess. XXII, c. 1. de reform.

(6) *Aichner*, pag. 257. Conc. Baltim., plen. II, tit II, c. 6, n. 154.

(7) Trid, sess. XXII, c. 1., de reform.; *Ben. XIV*, de syn., l. XI, c. 10, n. 11, Inst. eccl. 37, 76.

(8) Conc. Mediolan. 1.

Ad haec, clerici *tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti* (1).

Postremo vetantur *cohabitare cum mulieribus* iis exceptis *quae fugiunt suspicionem* (2). De hoc autem iudicare et modum huius legis (3) servandae magis definire, Episcopi ius est (4). Transgressores vero, si beneficia vel pensiones eccles. obtinent, post primam monitionem Episcopi ipso facto privantur tertia parte fructuum beneficiorum et pensionum; post secundam, omnibus fructibus, et insuper a beneficiorum suorum administratione suspenduntur; post tertiam, omnibus officiis, beneficiis et pensionibus privantur et in posterum ad eadem inhabiles redduntur donec per manifestam vitae emendationem, ab eorum Superioribus cum iis ex causa iusta videatur dispensandum (5).

II. **De coelibatu** — Apud Latinos, clerici, suscepto subdiaconatu, vetantur uxorem ducere et antea ductam retinere (6).

Apud Graecos, diaconis et presbyteris, non tamen Episcopis, ductam ante susceptum diaconatum uxorem licet, tolerante Romana Sede, retinere (7).

(1) Cap. 15, *De vita et honest. cleric.*

(2) Cap. 16, dist. 32; Cap. 9, *De coabit. cleric. et mulier.*

(3) Lex per se admittit:

1. Proxime cognatas (in primo et secundo gradu consanguineas et affines primi gradus).

2. Facilius etiam famulas provectioris aetatis: hodie a multis synodis statuitur ne admittentur ancillae infra aetatem 40 annorum. Cfr. *Craisson*, n. 2090-2100.

(4) *Bened. XIV*, Inst. eccl., 82, 83.

(5) Conc. Trid., sess. XXV, cap. 14, de reform. et sess. XXI, c. 6, de reform. Cfr. *Thesaur.*, De poen. eccl., V. Concubinatus, n. 4 et seqq. cum not. *Giraldi*; *Schmalzgr.*, n. 13; *Santi*, III, tit. II, n. 4 et seqq. *Wernz*, II, n. 209.

(6) Cfr. cap. 8, D. 27; cap. 1, 4, X, h. t.; l. IV, tit. 6, X; Conc. Trid., sess. XXIV, can. 9, de reformat. matr. Syllab., prop. 72; *Schmalzgr.*, n. 18; *Piscetta*, I, n. 108.

(7) *Bened. XIV*, Const. « *Etsi pastoralis* » 26 Maii 1742, § VII, n. 26; *Schmalzgr.*, n. 17, 21.

Matrimonium autem post maiores ordines susceptos invalidum est et contrahere attentantes fiunt ipso facto irregulares (1), beneficiis iam acquisitis privandi sunt (2) et excommunicationem *latae sententiae* Ordinariis reservatam incurrunt (3), etiamsi matrimonium *civile* celebrent (4).

Ab obligatione coelibatus dispensat solus Romanus Pontifex (5).

Clerici vero in minoribus ordinibus constituti, licite et valide contrahunt matrimonium, at eo ipso privantur ecclesiasticis beneficiis, si quae habent (6).

§ II.

Quae clericis praecipiantur.

20. Clerici iubentur :

1) *Vestes proprio congruentes ordini semper deferre* (7), nempe vel talares (ut praescripsit Sistus V) (8), vel aliis « iuxta Episcopi ordinationem ac mandatum » (9). Seclusa vero necessitate, laicales vestes quae scilicet tales sint sive quoad formam, sive quoad colorem, deferre clericis

(1) Cap. 1, 2, X, qui clerici IV, 6. Cfr. *Wernz.* II, n. 201; *Aichner,* pag. 263; *De Luca,* n. 122.

(2) C. l. X, h. t. 3; Conc. Trid., sess. XXV, cap. 14 de reform. S. C. C., 28 Iulii 1877.

(3) Const. « *Apostolicae Sedis* ».

(4) S. C. Inq., 22 Dec. 1880.

(5) *Bened. XIV*, Const. « *Inter praeteritos* », l. c.; *Ballerini-Palm.* tom. IV, p. 180. Rarissima autem hac de re habentur exempla, quemadmodum videri potest apud *Zaccaria,* Nuova giustificazione del celibato sacro, in Appendice.

(6) C. l. 3, 5, X, h. t. 3; *Santi,* IV, tit. VI, n. 5; *Wernz,* II, n. 203,

(7) Conc. Trid., sess. XIV, c. 6, de reform.

(8) Const. « *Cum sacrosantum* », 9 Ian. 1589, quae tamen consuetudine contraria mitigata est. Cfr. *Sebastianelli,* op. cit. l. c. n. 31.

(9) Trid., l. c.; *Giraldi,* op. cit. P. II, Sect. 48, not. 1, § *Rursum.*

vetitum est (1). Violatores autem pro vario personarum gradu diverse ab Ordinario puniendi sunt (2).

2) *Coronam et tonsuram congruentem habere* (3). Tonsura est non relaxare comam (4), non nutrire comam, neque barbam (5). Transgressores, ab Ordinario poenis gravibus ex gr. suspensionis adigi possunt (6).

3) *Horas canonicas legere.* Ad horas canonicas legendas obligantur clerici in subdiaconatu vel superiore ordine constituti; clerici beneficiati i. e. veri nominis beneficium ecclesiasticum obtinentes; religiosi solemniter professi et choro addicti. Haec obligatio veteri traditione et immemorabili consuetudine clericis imposita (7), legibus etiam scriptis confirmata est (8).

(1) C. 15, X, Tit. *De vit. et hon. cleric.*; *Gonzales*, elem. II, h. t.; Trid., sess. XIV, c. 6; *Bened. XIII*, Const. « *Apost. Sedis* », 2 Maii 1725.

(2) Trid., l. c.; *Reiffenstuel*, h. t. 115; *M. De Luca*, De personis, n 99.

(3) Cap. 15, X, Tit. *De vit.* etc.

(4) Caesaries ficta, quae vulgo dicitur *parucca* omnibus clericis est interdicta; sed dispensatio extra missae celebrationem ab Episcopis obtineri potest. Cfr. *Ben. XIV*, de syn., l. XI, c. 9, n. 4; Inst. eccl., 38, § 4. n. 14.

In celebratione vero missae ea gestari nequit absque venia S. Sedis. Cfr. *Ben. XIV*, l. c.; *Santi*, h. t. n. 37; *Ferrari*, Inst., I, n. 81.

Item intra missam interdicta est gestatio annuli Abbatibus non benedictis, Protonotariis non partecipantibus, doctoribus quibuscumque. S. R. C. 13 Febr. 1625. Canonicis vero ecclesiarum cathedralium annuli aurei sed sine gemma et absque effigie permissa sunt. S. C. R. 4 Aug. 1663. Cfr. *Giraldi*, P. I, sess. CCCXXIV, ad IV.

(5) Clerici *ritus latini*, nisi in regionibus orientalibus sint constituti, aut tacitum vel expressum privilegium vel dispensationem Sedis Apost. obtinuerint, barbam decenter et integre radere tenentur. Cfr. *Vernz*, II, n. 180.

(6) Cap. 4, X, h. t., *Ben. XIV*, c. IX, n. 4.

(7) *Bened. XIV*, Const. « *Eo quamvis tempore* », 4 Maii 1745, Inst., 13 et 24.

(8) C. 1. X (III, 41); ib. c. 9 (Conc. Later. IV). Cfr. *Santi*. III, tit. XLI, n. 8.

Clerici culpabiliter divinum officium omittentes, si beneficio carent, poenis ad arbitrium Episcopi coërceri possunt (1); si vero beneficium eccl. utiliter possideant partem congruentem fructuum amittunt (2).

Obligatio recitandi horas canonicas cessat ad tempus vel suspenditur ex toto vel in parte, prout excusat: 1) impotentia physica et moralis (3); 2) incommodum grave; 4) urgens occupatio pietatis vel charitatis causa, necessario suscepta; 4) dispensatio Episcopi ex iusta causa (4).

SUBSECTIO II.

DE HIERARCHIA IURISDICTIONIS.

De hierarchia iurisdictionis ex iure divino, seu de Summo Pontificatu et Episcopatu iam locuti sumus in iure publico.

Hic sermonem coarctabimus ad ceteros gradus qui dubie tantum ad divinum ius, vel certissimum ad humanum pertinent; et aliquid infra attingemus de Episcoporum muneribus quorum declaratio ad ius privatum spectat.

Gradus ex iure ecclesiastico, vel R. Pontifici in regimine Ecclesiae universalis praesto esse possunt, vel Episcopis opitulari in moderandis singularibus dioecesibus.

(1) *Schmalzgr.*, n. 96.

(2) Post sex menses ab obtento beneficio si clericus divinum officium negligit, fructus non facit sucs pro rata omissionis et temporis. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanet, legitima monitione praecedente, beneficio ipso privetur. *S. Pius V*, Const. « *Ex proximo* » 2 Ian. 1571. Cfr. *Wernz*, n. 195; *Aichner*, p. 249.

(3) Illis qui ob defectum oculorum vel ob aliam causam diuturniore impossibilitate detinentur, potest Episcopus recitationem rosarii aut aliarum precum in locum pensi canonici substituere. *Aichner*, l. c.

(4) Cfr. *M. De-Luca*, de personis, n. 125; *Wernz*, II, l. c. Qualis autem haec recitatio esse debeat vide ap. Theologos. Cfr. *Piscetta*, l. c. n. 114 et seqq.

CAPUT I.

De gradibus qui R. P. auxiliantur.

ARTIC. I.

De Romana Curia.

21. Nomine Curiae romanae sensu lato venit locus ordinariae residentiae R. Pontificis cum suis administris: sensu autem stricto intelligitur ordinata collectio magistratuum, officialium, congregationum, tribunalium etc. (1).

De hac porro enucleatius dicturi, agemus I de Cardinalibus qui partem nobiliorem constituunt (2); II de SS. Congregationibus; III de reliquis officiis.

§ I.

De Cardinalibus.

22. **Origo** — Cardinales sunt coadiutores immediati et consiliarii R. Pontificis (3), *quasi oculi et aures, ac nobilissimae sacri Capitis partes et praecipua illius membra a Spiritu Sancto constituta* (4).

(1) Cfr. *Wernz*, op. cit. tom. II, tit. XXXI; *Aichner*, op. cit. op. 375; *Bouix*, de Curia romana (an. 1859); *M. De-Luca*, op. cit. lib. cit. tit. XV; *Lombardi*, op. cit. p. II, subsectio I, tit. 1, c. II.

(2) Alii officiales, qui ad Curiam rom. pertinent, sunt: Praefectus Palatiorum Apostolic.; Sacristanus S.S. qui est parochus sacrorum palatiorum apost.; Segretarius S. C. Caerimonialis; Eleemosynarius Sanctitatis Suae.

His aliquo honoris gradu cooptantur Praelati Domestici, Protonotarii Apostolici, Cubicularii intimi, Cubicularii honoris etc. Cfr. *Gerarchia Cattolica* (an. 1896) p. 510 seqq. 601, 602; *Andreucci*, Hierarchia eccl., tom. I, p. 97.

(3) Cfr. *S. Bernard.* l. IV de consid. ad Eugen.

(4) *Sixtus V*, Const. « *Postquam* » 9 Dec. 1586.

Quum Romae principaliores ecclesiae in titulos (1) erigi coeptae sunt, ipsis titulares et stabiles presbyteri adsignati fuerunt. Hi cum diaconis qui septem diaconiis regionariis, quibus divisa fuit Urbs a Papa Fabiano (an. 240), praeerant, et incardinati fuerant alicui ecclesiae vel coniuncti, dicti sunt *Cardinales* quasi cardines Sedis Apostolicae quae est *ostium totius Ecclesiae* (2).

Saeculo autem octavo etiam Episcopi suburbicarii cum censerentur incardinati Ecclesiae Lateranensi sive ecclesiae episcopali R. Pontificis, nomem Cardinalium consecuti sunt (3).

23. **Numerus - Divisio - Ius optionis** — Numerus Cardinalium constans semper non fuit. Concilium Constantiense et Basileense statuerant ne ultra XXIV Cardinales essent: Paulus IV et Pius IV ad XL illos produxerunt, et Gregorius XIII ad LXXVI, donec a Sisto V (4) definitus

(1) Circa originem huius nominis variae sunt eruditorum sententiae. Adsunt qui tenent Ecclesias dictas fuisse *titulos*, ex eo quod clerici earumdem servitio addictis titulum inde ducerent et nomen. Aliorum sententia est hoc nomen datum fuisse templis ad similitudinem illarum aedium, quae cum ad regium fiscum pertinerent, habebant praefixum vexillum Imperatoris imagine ornatum, et dicebantur intitolatae. Non desunt tandem, qui titulorum denominationem deducunt ex usu apud V. T. frequentissime usitato denominandi titulos lapides et aras in honorem et cultum Dei erectas. Sic in cap. XXVIII Geneseos habetur « Erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper ». Cfr. librum Regum c. XVIII; Isaiae cap. XIX. Cfr. *Sebastianelli*, Praelectiones iuris can., n. 82, not. 1.

(2) *Eug. IV* Const. « *Non mediocri* » an. 1438.

Quaestio fuit an Cardinales essent institutionis divinae vel mere ecclesiasticae. Probabilius tenendum est nonnisi ecclesiasticae; nam, ut vidimus, ad hierarchiam iurisdictionis in Ecclesia Christi ex iure divino tantum duo gradus pertinent, S. Pontificatus et Episcopatus. Cfr. *Bouix*, op. cit. p. 47 et seqq. *Wernz*, op. cit. l. c.; *Lombardi*, op. cit. l. c.

(3) Cfr. *Anastas.*, Hist. de vitis Rom. Pontific; Migne, P. L. CXXVIII, 1158 et seqq.; *Thomass.*, Veter. et Nov. Eccl. disciplina, tom. I, p. I, lib. 2, cap. 14 n. 12 et 13.

(4) Const. « *Postquam verus* » 3 Dec. 1586.

est numerus septuagenarius ad instar LXX seniorum quos Deus Moysi adiutores et consiliarios dedit (1).

Ipse S. Pontifex hunc numerum ita quidem taxavit ut sex ad episcopalem ordinem pertinerent, quinquaginta ad presbyteralem et quatuordecim ad diaconalem (2). Cardinales ordinis episcopalis titulum habent in sedibus suburbicariis (*Hostiensi* cui addita est *Veliterna, Portuensi* cui adnexa *S. Rufina* seu *Silva Candida*, *Albanensi*, *Praenestina*, *Sabina*, *Tusculana*); alii in ecclesiis Urbis (3). In ordine presbyterorum esse possunt et Episcopi, ita et in ordine diaconorum et presbyteri, quia multi, cum Cardinales creantur, iam ordine superiori titulo cui incardinantur insigniti sunt.

Ius optionis autem in eo est ut Cardinales residentes in Curia romana facultatem habeant a S. Pontifice in Concistorio concessa ascendendi ad ordinem superiorem. Cardinalis Diaconus ex. gr. post decennium optare potest ad titulum cardinalitium presbyteralem; item Cardinalis presbyter antiquior ad episcopalem vacantem. Excipiuntur tamen sedes Ostiensis at Veliterna, nec non Portus et S. Ruffinae quae reservari solent Cardinalibus Decano et Sub-Decano S. Collegii (4).

24. **Creatio** — Solus R. Pontifex iure gaudet omnino a nemine coarctato (5) creandi Cardinales (6). Cardinalis

(1) *Santi*, Praelect. iur. can. I, tit. XXXI, n. 18.

(2) Const. «*Religiosa sanctorum* », 13 Apr. 1587.

(3) Numero Cardinalium non adamussim correspondent numerus titulorum et diaconiarum in Urbe. Tituli enim Cardinalium Presbyterorum numerantur 51-54, diaconiae vero pro Cardinalibus Diaconis existunt 16. Cfr. *Gerarchia Cattolica* (an. 1796) p. 31 et seqq.

(4) Decretum Pauli IV « *Sanctissimus Dominus* » 12 Iunii 1550.

(5) Nostra aetate est mera coerimonia si Pontifex in Concistorio exquirit consilium vel consensum Cardinalium antequam creatur novus Cardinalis. Cfr. *Wernz,* II, tit. XXXI, n. 625.

(6) Item solus R. Pontifex Cardinales deponere potest tam in

censetur creatus cum in Concistorio a S. Pontifice renuntiatus fuerit; si non publicatur, Cardinalis, ut aiunt, reservatur in pectore, et tunc iuribus sicut et aliis non antea fruitur Cardinalis ni postquam in alio Concistorio expresso nomine propositus fuerit (1).

Cardinalatus incapaces sunt *a*) quicumque defectu aliquo laborant quo promoveri ad ordines non possint; b) illegitimi, licet deinceps legitimati fuerint etiam per sussequens matrimonium; *c*) qui filios aut nepotes etiam ex legitimo matrimonio habent; *d*) qui Cardinali adhuc viventi 1. vel 2. consanguinitatis gradu coniuncti sunt (2).

Ad ritus creationis pertinet *a*) impositio bireti et galeri rubri; *b*) occlusio oris quo scilicet novus Cardinalis inhibetur a Rom. Pontifice in Concistorio loqui donec ei os aperiatur, quod fit altero vel in tertio Concistorio (3).

Concilio, quam per se absque Concilio. Cfr. *Ios. Ferrari*, Summa Inst. can. tit., XIV, n. 128.

(1) Hinc licet innotescat personae promotio, tamen si S. Pontifex demoriatur quin nomen eius in Concistorio publicaverit, persona illa non admittitur in Conclavi, et novus Pontifex non tenetur creationem factam ratam habere, et nomen in Concistorio publicare. Verum speciali mentione dignum est factum Pii IX. s. m. Hic enim in Concistorio diei 13 Martii 1875 inter alios creavit quinque cardinales quorum nomina sibi in pectore reservavit. Porro de hisce Cardinalibus edixit: « Praeter hos seu memoratos Cardinales, ad Omnipotentis Dei gloriam creare intendimus alios quinque Cardinales quos tamen iustis ex causis in pectore reservamus. arbitrio nostro quandocumque evulgandos; ac si S. Sedem, Deo disponente, viduari contigerit, antequam ipsi evulgentur, litteris nostro testamento adiectis ii declarabuntur, eosdemque ius activae ac passivae electionis in successore nostro eligendo vobiscum habere Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine volumus, statuimus, atque decernimus cum confirmatione etc... ». Cfr. *Santi*, op. I, lib. XXXI, n. 23.

(2) Cfr. Const. *Sixti V* « *Postquam* » 3 Dec. 1586; *Cohell*. de Card. c. 9.

(3) Cfr. Card. *Petra*, Comm. in Const. « *Apost. Sedis* » ad Const. *Eugenii IV*, n. 16 et seqq.; *M. De-Luca*, op. cit. vol. cit. tit. XV, n. 219.

25. **Dignitas - Potestas** — Dignitas Cardinalium parva in antiquitate, sensim sine sensu amplissima evadit ob plurimas et nobilissimas praerogativas quibus partim vi iuris communis, partim vi singularium rescriptorum donati sunt (1).

Quoad autem potestatem, praeter eam quae unicuique Cardinali competere potest ratione muneris particularis ex. gr. Legati a latere, Vice-Cancellarii, Camerarii, (2), Poenitentiarii, Vicarii Generalis, Praefecti alicuius Congregationis, Archipresbyteri alicuius e tribus maioribus Urbis Basilicis, Decani S. Collegii etc.; alia consideranda est in sede plena vel in sede vacante.

In *sede plena* *a*) consiliarii sunt et coadiutores R. Pontificis (3); *b*) in Conciliis oecumenicis ius habent suffragii decisivi; *c*) Cardinales Episcopi suburbicarii iisdem gaudent iuribus iurisdictionis et privilegiis atque alii Episcopi residentiales (4); *d*) Cardinales presbyteri et diaconi in suis titulis iurisdictionem quasi Episcopalem habent et iura pontificalia exercent (5).

(1) Causae fuerunt praesertim: *a*) ius exclusivum eligendi R. Pontificem; *b*) frequentes legationes S. Sedis; *c*) mos qui invaluit ut soli Cardinales R. Pontifici propriis consiliis adsisterent.

Et propterea Tridentinum eos monet ut sanctissime vivant eo quia: *nefas videri potest non iis........ virtutibus insignibus ac vivendi disciplina eos fulgere, quae merito omnium in se oculos convertant.*

(2) Card. Camerarius praeest familiae Pontificiae et Palatio Apostolico. Eius auctoritas quae confertur a Papa, perdurat etiam sede vacante. Cfr. *Cercaroni,* op. cit. p. 26 et seqq.

(3) Notandum est tamen non teneri R. Pontificem exquirere Cardinalium consilium aut consensum in negotiis expediendis, neque *ad validitatem,* neque *ad liceitatem*; suprema enim, plena et indipendente potestate regendi Ecclesiam gaudet. Cfr. *Bouix,* l. c. 75 et seqq. ubi recte refutat sententias *Palaeotti.*

(4) Nisi iure speciali probetur extensio vel limitatio. Cfr. *Andreucci,* De Episcopis Card. Suburbicariis.

(5) Non exclusa facultate consecrandi altaria. *Leo XIII* Decr. 30 Ian. 1879. Cfr. *Sebastianelli.* op. cit. n. 90.

In *sede vacante* praecipuum eorum munus est eligendi R. Pontificem (1). Quoad ceterum, Collegium Cardinalium nihil eo tempore potest ni agatur de re cui statim sit occurrendum (2).

(1) Ex Const. SS. Pontificum quoad electionem R. Pontificis haec potiora sequuntur:

Premonitis de obitu Pontificis Cardinalibus absentibus per litteras particulares a Secretaria S. Collegii subscriptas (Cfr. *Ferraris*, Bibl. can. c. Papa, a. l. n. 23) iisdem per decem dies expectatis (Const. *Pii IV « In eligendis »*) Cardinales praesentes conclave ingrediuntur, e quo non exituri usquedum electionem perfecerint. « Nulli ad eosdem aditus pateat, ait Gregorius X, in cap. III h. t. in 6°, vel facultas secrete cum eis loquendi; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant nisi eos qui de voluntate omnium Cardinalium, pro iis tantum quae ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur ». Forma electionis esse potest per scrutinium, vel per compromissum vel per quasi-inspirationem iuxta regulas generales quas Conc. Lateranense pro omnibus electionibus solemnibus praescripsit. Electione rite peracta, Decanus S. Collegii postulat ab electo an acceptet. Si consensum dederit, statim eo ipso est, divina ordinatione, Summus Pontifex et a Christo plenitudinem primatus apostolici obtinet. Tunc induit insignia S. Pontificatus; deinde omnes Cardinales, accedunt, ut ad pedes novi Pontificis reverentiam et obsequium praestent. Cfr. *Moroni,* Storia delle cappelle papali, I vol. Cardinalis autem primus ex ordine Diaconorum celebratam electionem solemniter populo significat his terminis: *Annuntio vobis gaudium magnum*; *habemus Papam, Eminentissimum et Reverendissimum Dominum N.... qui sibi nomen elegit, ut N.... in posterum vocetur*. Cfr. *August. Ceccaroni,* op. cit. pag. 174.

(2) Tempore Sedis vacantis regimen defertur a S. Collegio Cardinalibus qui vocantur *Capita Ordinis.* Hi sunt: Primus Cardinalis ordinis episcopalis, primus Cardinalis ordinis presbyteralis, primus Cardinalis ordinis diaconalis, quibus adduntur Card. Camerarius et Card. Secretarius Collegii qui Ordinario est etiam Segretarius Status. Cfr. *Ceccaroni,* op. cit. p. 23. De iure autem aut obligationibus tempore *Sedis Apostolicae impeditae,* v. g. tempore captivitatis Pii VII, expressae iuris sanctiones non existunt. Cfr. *Wernz,* op. cit. II, tit. XXXI, n. 635.

§ II.

De romanis Congregationibus (1).

26. Congregationes romanae definiri solent: « Collegia Cardinalium per Romanos Pontifices instituta ad certa negotia ecclesiastica discutienda et per vota maiora ordinarie etiam decisiva, non tantum consultativa definienda » (2). Constant e pluribus Cardinalibus quorum unus praefecti officio fungitur (3), ex segretario, uditoribus, consultoribus et officialibus inferioribus.

27. Quoad eorum auctoritatem distinguenda sunt tria genera decretorum, decisionum, declarationum.

Primi generis acta sunt quae a Papa immediate procedunt et eduntur quamvis praecesserit deliberatio seu consultum alicuius Cardinalium Congregationis. Quas proinde deliberationes Cardinalium et Consultorum ita amplectitur Pontifex ut suas faciat et suo nomine promulget.

Secundi generis acta sunt quae expediuntur a Congregationibus per potestatem sibi propriam sive antecedat iussum Pontificis decernentis ut edatur quaedam dispositio; sive subsequatur sola confirmatio et approbatio. Huiusmodi decreta vel decisiones vere sunt Congregationum acta, quamvis passim appellentur *decreta Papae, acta Pontificia, acta vel decreta S. Sedis.*

Tertii generis decreta sunt quae prodeunt a Congregationibus absque ulla Pontificis approbatione seu confirmatione. Et huiusmodi acta quidem censenda sunt pleno frui

(1) De origine et natura Sacr. Rom. Congregationum vide *Lega*, Praelectiones in textus iur. can. De iur. eccl. Lib. I, vol. II, p. II tit. I.

(2) *Phillips*, l. c. §. 319, p. 558 et seqq.; *Santi*, l. c. n. 41.

(3) Excipiuntur S. C. S. Inquisitionis, Concistorialis et Visitationis Apost. quorum praefecturam ipse S. Pontifex sibi reservavit.

valore iuridico, quousque evidenter non pateat S. Congregationes praetergressas esse limites demandatae auctoritatis.

In quodcumque autem genus actorum advertendum haec quatenus eduntur a legitima auctoritate S. Congregationum non secus valere ac si darentur a supremo Principe. Hic enim per se aut per alios suam auctoritatem exercere valet, et plenum est (1).

Responsiones S. Congregationum certis formulis exprimi solent; rationem vero non includunt quibus decisio subuitur (2).

28. Congregationes romanae sunt:

I. *Congregatio Universalis Inquisitionis seu S. Officii* a Paulo III fundata (1542) et a Sisto V renovata (3). Gene-

(1) *Lega*, op. cit. Lib. I, vol. II, tit. XI.

(2) Praecipuae sunt:

Affirmative-Negative.

Affirmative - (Negative) ad mentem vel *iuxta mentem;* quibus verbis explicatur sensus et vis decisionis addendo nonnullas conditiones seu limitationes generali responsioni.

Affirmative et amplius - Negative et amplius; et tunc Cardinales arbitrantur causam iam esse maturam expeditae executioni, nec ulteriori indigere examine.

Lectum aut *lectum ad instantiam*, seu ipsa Congregatio lectam instantiam reicit.

Relatum, nempe Pontifex relatam instantiam non admittendam esse iudicavit.

Reponatur, si controversiae iam introductae videantur ulterius non prosequendae, aut nonnulla documenta allata, aliquam controversiam respicientia videantur non attendenda.

Dilata, cum controversiae vel negotii definitio haud decerni potest, maxime quia potiora desiderantur argumenta.

Dilata ad proximam, vel *post aquas*, vel *post reges*, vel *post agnos*, vel *post ignem*, quando causa differtur ad proximam Congr. gen. vel post autunnales ferias, post Epiphaniam, post Pascha, post Pentecostem.

Non proposita, si Cardinales nolint causam propositam agitare et resolvere. Cfr. *Lega*, op. cit. l. c. n. 102.

(3) Cfr. Const. « *Licet* » Pauli III, 21 Iul. 1542; Const. « *Immensa* » Sixti V, 22 Ian. 1587; Const. « *Sollicita* » Ben. XIV, 9 Iulii 1753, § 3.

ratim competens est in omnibus causis doctrinae catholicae circa fidem et mores, et quae cum his propter periculum fidei connexae sunt (1).

II. *Congregatio Concilii* a Pio IV (2) erecta ad promovendam executionem decretorum disciplinarium Conc. Trid., nec non ad ea interpretanda et iuridice definiendas causas ad ipsum Concilium pertinentes. Eius resolutiones comprehensivae (3) in puncto iuris disciplinaris Tridentini exhibent authenticam et iuridicam interpretationem alicuius decreti conciliaris, quae interpretatio proinde habenda est ac si facta fuisset ab ipso summo Pontifice (4).

Huic Congregationi adnexae sunt: *Congregatio Praelatorum romanae Curiae* pro recipiendis relationibus Ordinariorum super statu dioeceseos occasione visitationis ad limina Apostolorum (5); et Congregatio particularis *pro revisione Conciliorum Provincialium* a Pio IX an. 1849 instituta.

III. *Congregatio Indicis*, quam instituit Pius V et restauravit Bened. XIV; damnat atque proscribit pravos et

(1) *Bouix*, op. cit. p. 156; *M. De Luca*. op. cit. I, tit. XVI, n. 225; *Aichner* op. cit. pag. 376.

(2) Cfr. Const. « *Motu proprio* » 2 Aug. 1564; et Sixti V, Const. cit. Cfr. Conc. Trid. sess. XXV « De recipiendis et observandis decretis Concilii ».

(3) Auctores distinguunt declarationem comprehensivam ab extensiva. *Comprehensiva* dicitur declaratio si sensus sic declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat. *Extensiva* si illam egrediatur et ultra id quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedat, prohibeat, dispenset. Cfr. *Schmalzgrueber* in Proem. et in § IX n. 378.

(4) Cfr. *Fagnanum* ad Cap. « *Quoniam* » de Const. n. 8, c. 72; *Barbosam*, Ius eccl. univ., lib. I, cap. 4, n. 81; Card. *De-Luca*, Dis. 6, De parochis n. 5; *Reiffenstuel* in Proem. n. 136; *Pignatelli*, tom. IX, Consult. 174, n. 10; *Santi*, op. cit. tit. XXXI, n. 48; *Lega*, op. cit. l. c. n. 292 et seqq.; *Aichner*, op. cit. pag. 56.

(5) *Bened. IV*, Const. « *Decet* », 23 Nov. 1740.

perniciosos libros quocumque loco et idiomate editos, et respectivas licentias ad eos legendos concedit (1).

IV. *Congregatio Concistorialis* a Sixto V instituta sicut et duae sequentes. Huius officium est examinare et discutere causas et negotia (2) quae definienda sunt in Concistorio (3).

(1) Hodie hac in re maxime attendenda *Leonis XIII* Const. « *Officiorum ac munerum* » edit. VII kal. Febr 1877 qua decem Indicis regulae abolitae sunt.

(2) De his vide ampliorem tract. apud *Colomiatti*, op. cit. vol. I, dist. I, sect. I et seqq.; *Pezzani*, Codex S. Romanae Ecclesiae, vol. I, tit. XXXIV.

(3) Concistorium vel Consistorium a consistendo est Congregatio seu adunatio quae per Papam cum Collegio Cardinalium in forma senatus in eius Apostolico Palatio fit. Triplex est:

Ordinarium seu *segretum* quod constat solis Cardinalibus et in quo deliberatur de novis Cardinalibus creandis, de novis Episcopis eligendis etc. Quoad electionem Episcoporum praxis in Ecclesia romana hodie obtinens est ut Congregatio Concistorialis aut Summi Pontificis Auditor processum super vitam, mores merita in Episcopum candidati etiam qui vi Concordati cum S. Sede initi, fuerit praesentatus a civili potestate, quam maxima diligentia conficiat. Exinde paucos ante indicti Concistorii dies acta, seu propositiones uti vocant, ad singulos Cardinales transmittuntur qui easdem examini subiiciant. Postmodum S. Pontifex in Concistorio coram Cardinalium eorumdem Collegio cuiuslibet candidati nomen profert, Ecclesiamque cui illum praeficere animo destinaverat, et Cardinalium sententiam et votum pro unoquoque exquirit solemni adhibita formula « Quid vobis videtur? » Cardinales in electionis probationem assurgunt: nec ulla intercedendi aequa ratio ut plurimum esse potest, quippe omnia in antecessum ad trutinam diligenter excussa sint. At si casus obtingeret cuipiam ex Cardinalibus pro sua conscientia electionem minime probari, is pro sui officii debito, modeste quidem, at non minus firmiter eidem obsistere tenetur. Cfr. *Nicolaum III* in cap. « *Fundamenta de elect* », in 6°; *Hier. Albanum*, De Cardinalatu, q. X; *Hieron. Platum*, De Cardinalis dignitate et officio; *Segna*, op. cit. n. 55.

Publicum seu solemne ad quod interesse solent etiam non Cardinales in quo S. P. solemnes, ut aiunt, audientias concedit, neo-Cardinalis galerum rubrum imponit etc.

Semipublicum cui intersunt omnes Episcopi et Archiepiscopi

V. *Congregatio Rituum.* Duplex distinctum munus huic Congregationi tributum est; alterum nempe respicit sacros ritus et alios religiosi cultus actus moderandos, nec non controversias praeminentiarum componendas; alterum vero respicit causas beatificationis et canonizationis legitimo iudiciali processu expediendas (1).

Huius Congregationis velut appendix considerari potest *Congregatio Caerimonialis* quae vigilantiam et curam exercet circa ritus et coerimonias tum sacras tum civiles quae in Curia pontificia observantur.

VI. *Congregatio Episcoporum et Regularium.* Ad hanc Congregationem spectat negotia expedire respicientia executionem (2) legum Tridentini quoad Ordines Regulares et quoad iura et officia Episcoporum in viros regulares et in regimen Monialium; nec non difficultates solvere et quaestiones dirimere quae oriri possunt inter Regulares et Episcopum (3).

Huic Congregationi subsidiariae sunt:

a) *Congregatio super disciplina regulari* ab Innoc. XII

quotquot in Curia reperiuntur. In ipso agitur de causis beatificationis. Cfr. Card. *Palaeotti,* De sacri Concistorii consultationibus; *Bouix,* l. c. p. 154 et seqq.; *M. De-Luca,* I, tit. XVI n. 224; *Lega,* op. cit. l. c. n. 203.

(1) In hanc materiam consuli possunt: *Bouix,* De iure liturgico; *Bened. XIV,* De beatificatione servorum Dei et Beatorum canonizatione; *Trama,* Manuale Theologico-practicum pro postulatoribus causarum beatificationis et canonizationis.

(2) Dicitur *executionem legum Trid.*, nam interpretatio harum quarumcumque legum, competit, uti vidimus, Congregationi Concilii.

(3) « Habet ista Congregatio, ait Card. *De-Luca,* op. cit. dis. 16, n. 24, latas habenas agendi etiam de illis negotiis quae aliarum Congregationum peculiaria sunt.... exceptis causis quae directe fidei quaestiones concernunt, sive formalem interpretationem Conc. Tridentini ». De historia huius Congregationis Cfr. *Bizzarri,* Collectanea in usum Segretariae S. C. EE. et RR. 1863-1886. — De modo autem procedendi Cfr. *Lega,* l. c. n. 127 et seqq.; *Wernz,* op. cit. l. c. n, 662 et seqq; *Vermeersch,* De religiosis institutis et personis, I, n. 390.

instituta (1), ad reformandam disciplinam Regularium Ordinum in Italia institutorum.

b) *Congregatio de statu* (2) *Regularium Ordinum* a Pio IX (3) fundata ad restaurandam et novis decretis (4) fovendam disciplinam in Regularibus ordinibus in universam Ecclesiam.

VII. *Congregatio super examine Episcoporum* a Clemente VIII creata, cuius officium est electum in Episcopum examini subiicere in re tum theologica, tum canonica. Hodie quamvis iure haec S. C. vigeat, facto tamen silere videtur (5).

Verum ut ecclesiis Italiae idonei pastores praeficiantur, a S. Pontifice Leone XIII (6) restituta est sequens:

VIII. *Congregatio de eligendis Episcopis* quam primus

(1) Const. « *Sanctissimus* » 18 Iulii 1695.

(2) Aliquoties *status regularis* et *disciplina regularis* indiscriminatim usurpantur: sed proprietate vocabulorum et rerum considerata, status regularis se refert ad fundamentales regulas quibus Ordines Religiosi constituuntur. Disciplina regularis potius respicit observantiam praeceptorum quae specialia esse solent in singula familia regulari.

(3) Decr. 7 Sept. 1846; Cfr. quoque *Pii IX* Encycl. « *Ubi primum* » 17 Iunii 1847.

(4) Decreta sunt: 1. « De receptione novitiorum ad habitum et professionem » 25 Ian. 1846; 2. « De testimonialibus Ordinariorum litteris requirendis in receptione illorum qui ad habitum religiosum admitti postulant » 25 Ian. 1848.

Anno autem 1851 editae sunt magni ponderis declarationes quoad decreta iam citata; nec non « Instructio pro examine personali eorum qui ad habitum admitti postulant etc. ». Demum anno 1857 emanatum fuit « Decretum quo statuitur ut Novitii ad simplicia vota tantum primum admittantur; ad solemnia autem post tres annos ab emissione simplicium computandos ».

(5) Cfr. *Santi*, op. cit. l. c, n. 139; *M. De-Luca*, l, c. n. 236.

(6) Ipse S. Pontifex praeter quinque Cardinales et Auditorem segretarium addidit ei duo alios officiales cum lege servandi segretum, et normas practicas dedit ad inquisitionem circa personas earumdem qualitatum quam tutissime perficiendam.

instituit Innoc. XI cum munere inquirendi et expendendi qualitates promovendorum, ac proinde ipsam electionem personarum praecedit (1).

IX. *Congregatio R. Fabricae S. Petri* a Clemente VIII instituta. Ex praxi hodierna operam dat circa compositiones et redemptiones piorum legatorum praesertim ex fundatione (2). Ab ipsa dependet famosissima officina quae vulgo *studio del mosaico* appellatur, a Sixto V erecta ad musiva opera pro Vaticana Basilica elaboranda (3).

X. *Congregatio de Propaganda Fide* instituta a Gregorio XV; mittit operarios evangelicos in regiones longiquas assignando singulis Missionibus territorium proprium (4).

Huic Congregationi Pius IX alteram adiunxit *pro negotiis ritus Orientalis* (5).

XI. *Congregatio Immunitatis ecclesiasticae* ab Urbano VIII instituta ad curanda negotia immunitatem ecclesiasticam attingentia. Hodie adnexa fuit Congregationi Concilii.

(1) Cfr. *Card. De-Luça*, Il Cardinale pratico, cap. 34.

(2) Constituta est in Curia Congregatio Lauretana quae Basilicam Lauretanam quod attinet ea gerit quae in Basilicam S. Petri agit apposita Congregatio. Verum ante eversionem rerum publicarum sub an. 1860 ista Congregatio praeter administrationem *oeconomicam et spiritualem* exercebat quoque auctoritatem *politicam-civilem*: hac de causa ei praeest Card. Segretarius Status. At usurpatis a Gubernio italico bonis Basilicae patrimonialibus, munus administrativum non parum diminutum est. Cfr. *Lega*, op. cit. l. c. tit. IX n. 5, not.

(3) Cfr. *Lombardi*, op. cit. vol. I, h. l.

(4) Cfr. Const. « *Inscrutabile* » 22 Iun. 1622.

(5) Const. « *Romani Pontifices* » an. 1862. *Leo* autem *XIII* ad curandum Orientalium et omnium schismaticorum et haereticorum reditum ad Ecclesiae unitatem, die 19 Martii 1895 edidit Breve: *De Commissione Pontificia ad reconciliationem dissidentium cum Ecclesia fovendam*. Idem Pontifex *Leo XIII* an. 1890 duas constituit Commissiones; alteram « *Ad revisendas constitutiones Regularium votorum simplicium, dependentium a S. C. de. P. F.* »; alteram « *Ad revisendas relationes dioecesium, vicariatuum Apostolicorum a S. C. de P. F. dependentium* ».

XII. *Congregatio Visitationis Apostolicae* quae ab Urbano VIII munus habet visitandi romanam dioecesim. Hodie specialem vigilantiam exercet circa onera pia; examinat libros onerum Missarum et Capellaniarum, figit taxam dioecesanam elemosinae Missarum in Urbe etc.

XIII. *Congregatio super Residentia Episcoporum* ab Urbano VIII erecta et a Bened. XIV restituta; cuius proprium est invigilare circa observantiam legis Trid. residentiae (1) et contra delinquentes procedere.

XIV. *Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum* a Clemente IX instituta qui eidem facultatem concessit: « Omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertinent, Romano Pontifice circa graviora consulto, expediendi (2).

XV. *Congregatio super Negotiis eccl. extraordinariis* a Pio VII instituta ad expedienda graviora negotia inter Ecclesiam et civitates (3). Ad hanc Congregationem pertinet examen Concordatorum antequam ineantur.

Tandem haec Congregatio quoad regiones sive imperio Russiaco subiectas, sive meridionali America sitas concedit facultates et indulta in rebus ecclesiasticis (4).

XVI. *Congregatio Studiorum* a Sixto V instituta et a Leone XII (5) magna auctoritate donata; intervenit in negotiis erectionis et constitutionis et administrationis Universitatum catholicarum; normas statuit de professoribus, methodo, gradis accademicis etc.; dubia de iuribus et pri-

(1) Sess. XXIII, c. I, de reform.

(2) Const. « *In ipsis* » 6 Iulii 1669. De eius autem competentia cfr. Const. « *Christianae* » Leonis XIII 31 oct. 1897. Cfr. *Audreucci*, Dissert. de authendicandis SS. Reliquiis.

(3) Cfr. Litt. a Cardinali *Pacca* Segretario status italice datas die 19 Iulii 1814 ad P. *Fontana* primum eiusdem S. C. a secretis.

(4) Cfr. *M. De-Luca*, op. cit. l. c. n. 232. Cfr. Acta Conc. Amer. lat. n. 331.

(5) Const. « *Quod divina sapientia* » 24 Aug. 1824.

vilegiis resolvit et generatim curat omnia quae spectant ad rectam studiorum ordinationem et oeconomicum scholarum statum (1).

§ III.

De tribunalibus romanis.

Tribunalia romana differunt a Congregationibus quia sola potestate iudiciaria gaudent, non vero administrativa. Alia sunt *Iustitiae* alia *Gratiae*.

29. *Iustitiae* sunt:

S. Rota (2): toto medio evo celeberrimum tribunal constans duodecim iudicibus diversarum nationum (3). Hodie propter temporum iniuriam aliasque ob ca usas, eius competentia coarctatur ad adiuvandam S. C. R. in causis beatificationis et canonizationis, et etiam ad causas graviores seu rotales expendendas ex speciali commissione S. Pontificis (4).

II. *Signatura Iustitiae* olim amplissima fuit; nostro vero saeculo restricta est in ditione pontificia ad decidendas controversias de competentia diversorum tribunalium, de avocatione causarum, nullitate de actuum et sententiarum etc. (5).

(1) *Wernz*, op. cit. l. c. n. 667; *Lega*, op. cit. l. c. n. 226. Huic Congregationi adnexa est Commissio Cardinalitia (4 Card.) pro studiis historicis.

Cfr. *Gerarchia catt.* an. 1896, p. 685.

(2) Hoc nomen alii derivant a rota idest ab illo instrumento ligneo in quo codices legales pro more monachorum in choro dicuntur collocati; vel a praxi secundum quam eius uditores in orbe seu rotatim sedentes per turnum sententias suas proferebant. Cfr. *Wernz*, l. c. n. 669; *Aichner*, op. cit. pag. 379; *Lombardi*, l. c. n. 4

(3) Cfr. Const. « *Rom. Pontificis* » Sixti IV, 14 Mai. 1472; Const. « *Iustitiae et pacis* », Ben. XIV, 2 Oct. 1746.

(4) Cfr. Regolamento legislativo-giudiziario, *Gregorii XVI*, § 308 et seqq.; *Bouix*, l, c. p. 284 et seqq.; *Nardi*, Diritto Can., I, 221.

(5) Cfr. cit. Reg. *Greg. XVI*, § 338 seqq., 386; *Wernz*, op. cit l. c. n. 671.

Nunc tamen eius iurisdictio quiescit, licet expresse in foro ecclestiastico extra ditionem pontificiam nondum sit sublata.

15. *Gratiae* sunt:

I. *Signatura Gratiae*, quae gratias extraordinarias concedebat sive pure tales. sive in rebus contentiosis. Nostra aetate huius tribunalis nullum amplius reperitur vestigium; et causae alias a signatura gratiae expediendae nunc in SS. CC. vel segretarias transierunt (1).

II. *Rev.da Camera Apostolica* (2): antiquitus magna auctoritate pollebat quoad regimen ditionis pontificiae et praesertim quoad curam thesauri et iurium temporalium Sedis Apostolicae. Hodie vero ob praesentem rerum conditionem quiescit (3).

III. *Cancellaria:* antiquissima est et nunc ei praeficitur Cardinalis qui nomen obtinet *S. R. E. Vice-Cancellarii* (4). Eius competentia refertur ad expedienda negotia in Concistoriis determinata. Forma procedendi in Cancellaria Apostolica ordinata est per regulas eiusdem Cancellariae (5).

IV. *Dataria* (6): dispensat pro externo super irregularitatibus, super actionibus vel omissionibus ex iure can. prohibitis, super impedimentis dirimentibus etc.

(1) *Wernz*, l. c. n. 672.

(2) Sic forsitan appellata est a loco palatii apostolici ubi ex antiquissimo tempore considere consuevit. Cfr. *Lombardi*, op. cit., l. c. n. 4.

(3) Cfr. Annuar. Pontif. an. 1865, p. 332, 423, 425.

(4) Appellatur *Vice-Cancellarius* quia haec praefectura antea a simplice Praelato habebatur; at postea officium, aucta competentia, dignum habitum est quod a Cardinali regeretur. Atqui commune est in stylo Curiae ut officia primitus praelatitia si Cardinalibus committantur, exprimant, adiecta nomini praepositione, hoc fieri quasi extraordinaria ratione. Haec opinio et undequaque probabilis videtur. Cfr. *Lega*, l. c. tit. X, § 1 not. Confirmatur ex eo quod observatur in Dataria et Nunciaturis; nam si Cardinalis Datariae praesideat appellatur *Pro-Datarius*, et si Nunciaturis, *Pro-Nuncius*. Cfr. *Van-Espen*, Pars I in Ius can. univ., tit. 23, c. I.

(5) Cfr. n. 28 in Proleg.; *Wernz*, tom. I, n. 252 et seqq.

(6) Nomen sortitur a datando (datum) apud S. Petrum.

Ei praeest Cardinalis *Pro-Datarius* appellatus (1).

V. *Poenitentiaria*: absolutiones concedit a casibus reservatis S. Sedi et dispensationes ab impedimentis matrimonii occultis pro foro externo *in forma pauperum*; dispensat etiam ab irregularitate ex homicidio et absolvit a simonia in collatione beneficiorum (2).

Officiales praecipui S. Poenitentiariae sunt: Poenitentiarius maior qui est Cardinalis, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector etc.

VI. *Segretaria Brevium*: pro expediendis Brevibus relativis ad dispensationem quoad aetatem, illegimitatem, etc. comulative cum Dataria (3). Ei praeest Cardinalis a Substituto adiutus.

VII. *Segretaria Memorialium*: recipit supplices libellos eosque Principi offert et responsiones extendit ac expedit.

VIII. *Segretaria Status* cui praeficitur Cardinalis a segretis pro negotiis extraneis et praecipue pro relationibus inter S. Sedem et civilia gubernia. Ab ea impertiuntur instructiones Legatis, Nuntiis, Internuntiis etc. (4).

30. SCHOLION. — **De feriis.**

Congregationes *S. Officii*, *De Prop. Fide*, pro *Negotiis*

(1) De competentia *Camerae, Cancellariae, Datariae* etc. cfr *Colomiatti*, op. cit. pars altera, tit. II et III; *Pezzani*, op, cit.; *Lega*, l. c. § 2; *Aichner*, op. cit. pag. 378 et seqq.

(2) Cfr. *Ben. XIV* Const. « *Pastor bonus* » et « *In Apostolica* » 1744; *Bouix*, l. c. p. 249; *Gasparri*, De matrimonio, n. 322, 323 et seqq.; *Lega*, op. cit. § 3.

(3) Const. *Ben. XIV* « *Gravissimum Ecclesiae* » 1745; cfr. *Colomiatti*, op. cit. can. 440.

(4) Hic adnotamus quod iuxta legem italicam *delle guarentigie*, Pontificia dicasteria omnimoda immunitate fruuntur in rebus spiritualibus (ar. 8). Verum et ipsa ad tenorem a. 11 leg. 7 Iulii 1866 et a 16 leg. 19 Iunii 1873 nequeunt possidere bona immobilia. Unde et bona Congregationis de Prop. Fide an. 1884 fuerunt conversa; vide S. Sedis protestationem in Act. S. Sedis, XIV, 305. Cfr. quoque *Geffken*, La condizione del Pontefice nel Diritto Intern., p. 50; *Nasoni*, Iur. can. compend., vol. I, p. 115, not.

eccl. extraord. vacant nonnisi diebus festivis de praecepto; ceterae Congregationes, praeter ferias intra hebdomadam et intra annum consuetas, fruunt feriis autumnalibus a die vigesima septembris ad diem tertiam Novembris. Gravioribus tamen negotiis intercidentibus praesto est Card. Praefectus vel Segretarius.

Officia S. *Poenitentiariae*, *Datariae* et *Segretariae Status* solummodo diebus festivis de praecepto vacant: officiales vero *Datariae*, etiam die Iovis vacare possunt dummodo intra hebdomadam alius dies festus non interveniat.

Segretaria Brevium et Memorialium praeter ferias autumnales plures alios feriatos dies habent iuxta veterem Curiae consuetudinem (1).

ARTIC. II.

De Legatis et Nuntiis.

31. Nomine Legatorum Apostolicorum (2) viri ecclesiastici intelliguntur, ut vidimus in iure publico, qui a Rom. Pontifice in certam provinciam mittuntur cum potestate quadam ordinaria administrandi plura negotia ecclesiastica.

Legati alii sunt *a latere*, alii *nati*, alii *missi*.

Legati *a latere* (3) ex solis Cardinalibus in Concistorio eliguntur et in gravissimis rebus adiunctis deputantur cum amplissima iurisdictione in provinciam sibi commissam (4).

(1) Cfr. *Lega*, l. c. § 4.

(2) Antiquitus appellabantur apocrisarii seu responsales.

Summo Pontifici ius inesse mittendi legatos eruitur, ut vidimus, ex natura sui primatus et ex praxi Ecclesiae, qui tamen tantummodo ad audiendum et referendum apud aulam imperatorum sunt constituti. Cfr. Brev. dogm. « *Potuissemus* » cum adnexa Responsione super Nunciaturis a *Pio VI* data, 14 Nov. 1789; Cfr. *Icard*, op. cit. n. 121; *Wenrz*, II, n. 682 et seqq.; *Lombardi*, I, p. 212.

(3) *A latere* quia a latere Pontificis cui assistunt mittuntur. Cfr. *Sanguineti*, op. cit. tit. IX, n. IV.

(4) Cfr. *Schmalzgrueber*, lib. I, tit. 30, n. 9; *Turri*, De auctoritate Legatorum a latere.

Legati *nati* sunt Episcopi illarum sedium quibus ex privilegio Apostolico ius permanens adhaesit *Vicariatus Sedis Apostolicae* (1).

Legati *missi* ordinario ex Praelatis assumuntur et distingui possunt in *Nuntios apostolicos* si mittuntur ad supremos quosdam principes ex. gr. in Galliam, Hispaniam, Austriam, Lusitaniam etc. qui finita Nuntiatura creari solent Cardinales; *Internuntios* vel *Delegatos apost.* (2) si ad minores.

32. Officium Nuntiorum, Internuntiorum etc. generatim est tuendi ac fovendi ecclesiasticam unitatem ac pietatem in fidelibus, ac principum cum Sede Apostolica concordiam procurandi (3).

Eorum autem potestas ex hodiernis moribus praecipue existimari debet ex litteris per quas in munere constituuntur (4). In specie tamen *a*) excipiunt appellationes a sententia definitiva Ordinariorum (5); *b*) assistere possunt matrimoniis (6); *c*) privilegio peculiari canonis gaudent (7); *d*) concedunt indulgentias pro quocumque opere pio, quae ad annum non attingant (8).

(1) Hodie, si Episcopum Strigoniensem excipias, est tantum titulus honoris quo gaudent aliquae sedes ex. gr. Remensis, Pragensis, Lugdunensis, Salisburgensis, Coloniensis etc. Cfr. *Santi* op. cit. I, tit. XXX, n. 5; *Vecchiotti*, op. cit. I, c. IV, n. 43. Legatio autem Apostolica Siciliae de qua iam locuti sumus, abrogata fuit a Pio IX in Const. « *Suprema* » 25 Ian. 1864.

(2) Delegatus Apost. hic non sumitur in sensu generali pro iudice delegato qui ex commissione immediate vel mediate facta a S. Pontifice aliquem actum iurisdictionis exercet.

(3) *Sanguineti*, op. cit. l. c. Vide in lib. I, De iure legationis.; *Sebastianelli*, op, cit. n. 93 et seqq.

(4) *Schmalzgrueber*, in tit. *de offic.* Leg. n. 3; *Lombardi*, op. cit. pag. 213.

(5) *Giraldi*, Exposit. iuris pontif. P. I, sect. 308, n. 2 et seqq.

(6) *Giraldi*, op. cit. sect. 174, n. 25.

(7) Hoc privilegio, gravioribus poenis qui eos offendunt mulctantur. Cfr. Bull. « *Apost. Sedis* » *Pii IX*.

(8) *Ferraris*, Bibl. can. V *Legatus*; *M. De-Luca*, op. cit. I, tit. XVII, V.

Legati *a latere*, insuper proprium habent *a*) ut non teneantur exhibere litteras Apostolicas suae legationis (1); *b*) ut etiam extra propriam provinciam uti possint insignibus legationis; *c*) ut eorum adventu ceteri Legati ab insignibus atque ab officio legationis suae abstinere debeant; *d*) ut iurisdictionem exercere possint etiam in exemptos, exceptis tantum casibus R. Pontifici reservatis (2); *f*) ut habeant ius conferendi beneficia salvis limitibus a S. Sede factis (3).

Potestas Legatorum cessat: I. per revocationem; II. completa legatione si data est ad determinatum negotium; III. morte R. Pontificis, si data ad suum beneplacitum; IV. per renunciationem acceptatam; V. egressu a provincia cum animo non redeundi; VI. morte delegati (4).

SCHOLION. — **De Vicariis Apostolicis.**

33. Delegatis Apostolicis adnumerandi sunt etiam *Vicarii Apostolici* qui iuxta vigentem disciplinam duplicis generis esse possunt.

Alii deputantur ut aliquam dioecesim regant sede sive vacante, loco Capituli Cathedralis, sive plena, quia Episcopus est senio confectus vel inhabilis factus ob aliquod iuris vel facti impedimentum; quibus in casibus *administratores apostolici* vocantur, et tunc eorum facultates ex Brevi Pontificio deputationis sunt eruendae (5).

(1) *Schmalz.*, l. c. n. 9.

(2) *Schmalz.*, l. c. n. 4.

(3) *Giraldi*, l. c.; *Platus* seu Tria in Synops. Privil. Cardin. n. 43 et seqq.; *Bouix*, De Curia Rom., p. 640.

(4) *Turri*, op. cit. l. 13 et seqq.; *Schmalz.*, l. c. Nihilominus eorum decreta durant et perpetuo observanda sunt. Cfr. *Ios. Ferrari*, op. cit. I, tit. XIV, n. 138 not.; *Aichner*, op. cit. pag. 352 et 383.

(5) De horum potestate legitur in iure: « Is cui procuratio seu administratio cathedralis ecclesiae plena et libera in spiritualibus et temporalibus a Sede Apostolica (cui soli hoc competit) est commissa, potest (alienatione bonorum immobilium dumtaxat excepta) omnia quae iurisdictionis episcopalis existunt, et quae potest electus exequi, confirmatus libere exercere. Illa quippe, quae ministerium consecrationis exposcunt (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat Episcopos expedire ». 6, XXII, De elec. in IV.

Alii charactere Episcopali decorati in regiones Missionum in quibus hierarchia ordinaria nondum erecta est ab Apostolica Sede mittuntur ad regendos eos fideles. Vicarii Apostolici in Missionibus assignatis generatim eadem potestate iurisdictionis gaudent qua Episcopi ordinario in suis dioecesibus, cum illis facultatibus extraordinariis pro diversitate formularum a S. C. P. F. ipsis concessis (1).

Attamen Vicarii Apostolici, etiamsi Episcopi titulares, nisi ex privilegio, nequeunt indulgentias concedere 40 dierum, neque thronum in ecclesia habere, neque cappam magnam deferre, nec ius habent ut eorum nomina in canone Missae memorentur, aut ante se crucem deferre faciant (2).

Morte Vicarii Apostolici, si Coadiutor (3) cum futura successione abest, eius Pro-Vicarius tenetur ut Delegatus S. Sedis regimen suscipere Vicariatus, donec novus Vicarius Apostolicus possessionem capiat. Pro-Vicarius, iis exceptis quae requirunt ordinem et characterem Episcopalem, iis facultatibus pollet quibus gaudebat defunctus Vic. Apost. (4).

34. Aliquando ad regendas Missiones loco Vicarii Ap. *Praefectus Apost.* constituitur. Hic charactere Episcopali caret, tamen Missionis vere superiores sunt et loci quasi Ordinarii cum potestate Vicariorum Apostolicorum, si excipias ea quae ex ordine episcopali descendunt (5).

(1) Cfr. *Ben. XIV* Const, « *Ex sublimi* » et « *Quam ex sublimi* »; *Zitelli*, Apparatus etc. pag. 127 et seqq.; *Bouix*, l. c. q. 669 et seqq.

(2) Episcopi qui olim in partibus infidelium vocari solebant hodie ex decreto S. Congr. de Prop. Fide, 27 Feb. 1882 titulares appellantur. His assignatur aliqua ex ecclesiis extinctis, quorum tituli hoc modo servati sunt in memoriam gloriae pristinae et in spem futurae.

(3) S. C. de P. Fid. 1883. Cfr. *Wernz*, op. cit. II, tit. XXXII n. 701.

(4) *Ben. XIV*, Const. « *Ex sublimi* » 26 Iun. 1753.

(5) Ex decreto 20 Febr, 1883 declaratum est a S. Officio, inter Ordinarios quibus dispensationes matrimoniales committendae sunt, etiam recensendos Vicarios Apostolicos et Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato. Cfr. *Lombardi*, op. cit. p. 225.

Vicarii Apost. et Praefecti referunt ad S. Congr. de Prop. Fide (1), quae habet potestatem condendi leges observandas in Vicariatibus et Praefecturis, recipiendi querelas et appellationes contra Vicarios Apost. ect. (2).

ARTIC. III.

De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis.

35. Patriarchae quasi principes Patrum sunt Praesules Ecclesiae qui ex officio et vi sedis episcopalis habent superiorem quamdam iurisdictionem eccl. in omnes Episcopos et Metropolitas et Primates alicuius regionis.

Usque ad saec. IV tres tantum fuerunt Patriarchae *Romanus*, *Alexandrinus*, *Antiochenus* (3) quibus accesserunt *Constantinopolitanus* et *Hierosolimitanus* qui restauratus est a Pio IX (4).

Praeter hos, progressu temporis in Oriente alii Patriarchatus creati sunt iuxta singulos ritus, qui nunc de facto existunt et unionem cum Sede Apostolica retinent, ut ex. gr. Patriarcha *Maronitarum*, *Melchitarum*, *Syrorum*, *Coptorum* etc. (5)

Etiam in Occidente alii Patriarchatus praeter Roma-

(1) Cfr. in *Gerarchia Cath.* et Missiones Cath. cura S. C. P. F. descript.; *Aichner*, op. p. 384.

(2) Ad componenda dissidia ac definiendas controversias quae saepe saepius oriri solent inter missionarios regulares et Vicarios ac Prafectos Apostolicos, S. Congr. de Prop. Fid. plura edidit decreta. Prae ceteris attendenda est Const. Leonis XIII « *Romanos Pontifices* » octav. Idus maii 1881. Cfr. *Sebastianelli*, op. cit. n. 112.

(3) Cfr. c. 6 Conc. Nicaen. an. 325; c. 2, 3 Conc. Constantinop. an. 381, iunct. *Hefélé*, l. c. t. II, p. 16 seqq.

(4) Const. « *Nulla celebrior*, 22 Iul. 1847; Cfr. *Andreucci*, Hier. eccl. De Patriarchis in genere et in specie. De Patriarchatu Antioch. diss. I, tom. I.

(5) Const. « *Allatae* » Ben. XIV; Lit. Leonis XIII « *Christi Domini* » 26 Nov. 1895; Card. *Hergenroether* in Arch. f. k. k. t. VII p. 337 et seqq.

num orti sunt qui appellantur *minores* (1), ut ex. gr. *Venetus*, *Ulyssiponensis*, *Goanus* etc. (2).

His tamen honoris tantum titulus est, eorum enim iurisdictio non excedit dioecesanam aut metropolitanam Sed et *maiores* in praesens cum plerique apud infideles versantur nonnisi titulum et quasdam honoris praeminentias habent, absque ulla iurisdictione.

36. Primates (in Oriente Exarchae) dicuntur Praesules ecclesiastici quorum sedi Episcopali vi muneris in perpetuum adnexum est ius quoddam super omnes Metropolitas et Episcopos alicuius regionis, ita tamen ut ipsi Patriarchae subiiaciantur ,vel si forte Romano Pontifici sin subiecti, nomen Patriarchae non obtineant (3).

Olim Primates erant magni Episcopi Ephesi, Eracleae, Caesarae in Ponto, Palestinae. Nunc ceu Primates habentur Episcopus Cantuariensis, Salisburgensis, Toletanus, Bituricensis, Lugdunensis, Arelatensis, Viennensis, Pisanus, Salernitanus etc.; hi tamen solum nomen dignitatis habent, praeterquam quod Episcopus Strigoniensis qui vere praeest provinciis ecclesiasticis Hungariae, et Carthaginiensis (4).

(1) Antiquior huius generis Patriarchatus est Aquileiensis a quo, divisione facta post. saec. IV, originem duxit Patriarchatus Gradensis. Saeculo XV idest an. 1451, titulus huius secundi Patriarchatus translatus fuit in Episcopum Venetiarum. Anno autem 1751 suppressus fuit Patriarchatus Aquileiensis. Cfr. *Santi*, op. cit. tit. XXXI, n 147; *M. De-Luca*, op. cit. I, n. 248; *Aichner*, op. cit. p. 388.

(2) Hoc titulo hodie decorari solet Cappellanus maior regis Hispaniarum.

(3) Cfr. *Bouix*, l. c. p. 434.

(4) De restituta Primatia Carthaginiensi cfr. Leonis XIII Lit. Apost. « *Materna Ecclesia* » 4° id. Nov. 1884.

De antiqua autem Primatum dignitate ac potestate magna inter eruditos disputatio. Sunt enim qui eos Patriarchas, sunt qui Metropolitas fuisse putant; sunt qui ab utriusque distinguunt. Sane multae rationes sunt quae nullum inter Primatem et Metropolitam discrimen faciunt, maxime quae ex eorum potestate colli-

37. Metropolitae (1) sunt Episcopi qui alicui provinciae praeficiuntur, et ceteris Episcopis qui intra limites illius provinciae habent dioeceses praesunt (2), qui propterea et suffraganei appellantur(3).

Metropolitarum potestas hodierno iure haec est:

1) Convocandi suffraganeos suos singulis trienniis ad Concilium provinciale eique praesidendi (4).

2) Visitandi dioeceses eorum postquam res cognita fuerit in Concilio provinciali et propriam dioecesim prius visitaverint (5).

3) Exercendi ius devolutionis in re beneficiaria et in electione Vicarii Capitularis (6).

guntur; at non desunt rationes ad distinguendos Primates a Patriarchis et utrosque a Metropolitis. Ita ex. gr. can. 9 Concilii Chalcedonensis (apud *Labbaeum* tom. 4 quo haec habentur: « Si autem cum ipsius provinciae Metropolitano Episcopus vel Clericus, controversiam habeat, dioecesis Exarcham adeat, vel imperialis Urbis Constantinopolis thronum (id. thronum Patriarchae) ». Cfr. *Devoti*, Inst. can., I, tit. III, sect. III, n. XXXVIII, not. I.

(1) Metropolitae dicti sunt quia in metropoli cathedram habent. Hoc autem vocabolum dignitate recentius est; nam qui deinceps hoc nomine appellati sunt, ab initio primi, principes, primae sedis Episcopi, seniores dicebantur. Cfr. *Devoti*, l. c n. XXXIX. Advertendum tamen quod non omnes Archiepiscopi sunt Metropolitae nam civiliter nunc non omnes sedes Archiepiscopales sunt etiam Metropoles.

(2) Aliquae sedes, Archiepiscopales vocantur quamvis nullum habeant suffraganeum. Ita ex. gr. in Italia, Lucensis, Caietensis, Perusina etc. Sunt etiam Archiepiscopi meri titulares qui scilicet ne episcopali quidem iurisdictione gaudent.

(3) Existunt tamen nonnullae sedes Episcopales qui Metropolitae non subduntur sed directe a S. Sede dependent, ex. gr. Parmensis, Placentina, Burgi S. Domnini etc.

(4) Conc. Trid. sess. XXIV, c. 2 de fer.

(5) Trid. l. c. c. 3; Cfr *Ios. Ferrari*, op. cit. n. 147; *Bonal*, op. cit. I, tr. IV, c. I.

(6) Trid. l. c.; *Bouix*, l. c. pag. 471; *Phillips*, op. cit. tom. VI, p. 833; *Santi*, I, tit. XXXI, n. 152.

4) Adigendi negligentes Episcopos ad seminarii erectionem (1).

5) Recipiendi appellationes a suffraganeorum sententiis (2).

6) Vigilandi suffraganeos quatenus synodos celebrent, resideant etc.; eisdem praecipiendi quae pertinent ad eorum officium, etiam per censuras, et supplendi defectus et corrigendi abusus (3).

38. Insignia Metropolitarum quae habent communia cum Patriarchis et Primatibus praecipua sunt:

Crux et *Pallium.*

Crux illa intelligitur gestatoria, quae scilicet ante Archiepiscopum deferri solet per totam suam provinciam etiam in locis exemptis, dummodo praesens non sit Legatus Pontificius vel Cardinalis (4).

Pallium est fascia lanea candida tres circiter digitos lata in modum circuli contexta quae humeros cingit habetque ab utraque parte lineas sive fasciolas quarum anterior ante pectus, posterior intra humeros descendit, sexque sericis nigrique coloris crucibus distincta (5).

(1) Trid. sess. XXIII, c. 18 de ref.

(2) Trid. sess. XXIV, c. 20 de reform.; Bened. XIV, Const. « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742 § 12; *Barbosa,* De offic. et potest. Episc. l. I, tit. IV, n. 31, 61 et seqq.

(3) In usu censurarum contra suffraganeos debet Archiepiscopus maxima moderatione et circumspectione uti, nec procedere potest nisi ex licentia S. Congr. Concilii. Ita probat Card. *Petra,* Comm. in Const. 7 Leon. IX, n. 88.

(4) Cfr. *Thomass.* Discipl. eccl. P. I, l. 2, c. 58, n. 6, c. 59; *Bened. XIV,* de syn. l. II, c. 6 n. 2 et seqq.

(5) Ante saec. XIII in Ecclesia Latina cruces erant rubri coloris; in Ecclesia autem Graeca prius rubri coloris adhibebantur cruces, nunc autem Pallio Graeco seu Homophorio inseruntur cruces purpureae contextae auro. Cfr. *Santi,* op. cit. tit. VIII, n. 1.

Pallium texitur ex lana duorum agnorum qui in die S. Agnetis (21 Ian.) R. Pontifici offerri solent. Cfr. etiam *Devoti,* op. cit. l. c. n. 42, not. 2.

De origine historica Pallii variae sunt opiniones DD. (1); iuridice autem Pallium consideratur « insigne ornamentum desumptum ex corpore B. Petri et a S. Pontifice Archiepiscopis (et Superioribus Dignitatibus) datum, designans plenitudinem pastoralis potestatis et Archiepiscopalis officii quo Archiepiscopi certis tantum diebus (2) et intra Ecclesiam uti possunt » (3).

Pallia benedicuntur ab ipso S. Pontifice in pervigilio S. Petri Principis Apostolorum, eaque per suos Capellanos deponit in Confessione Basilicae prope corpus S. Petri.

Patriarchae, Primates, Metropolitae nondum accepto Pallio exercere nequeunt actus maiores ordinis Episcopalis, qui scilicet exigant praerogativas eorum dignitatis; et illud petere debent post eorum consecrationem in ipso Concistorio, *instanter, instantius, instantissime.*

(1) Alii *ex concessione quadam imperatorum* repetunt. *De-Marca,* De concord. sacerd. et imp., l. VI, c. 6; *Thomass.* l. c. P. I, l. 2 sed hoc falso, semper enim Patres conclamarunt ne confunderetur potestas Ecclesiae cum potestate imperiali « Tibi Deus, ait *Hosius Cordubensis Episcopus* imperium dedit, nobis autem ecclesiasticam potestatem ». Item Papa *Gelasius* ad imperatorem Anastasium apud *Thiel,* Epist. rom. pont. 349; *Migne,* 59, 41. Item *Greg. M.* apud *Grisar,* I Papi nel M. E. vol. I. cap. II, n. 8. Impero e Chiesa, regno e Sacerdozio.
Cfr. *De-Angelis,* Praelect. iur. can. l. I, t. 8. n. 2, seqq.; *Sebastianelli,* op. cit. n. 139.

Alii *in imitationem rationalis vel superhumeralis Summi Sacerdotis veteris testamenti,* inductum fuisse putant. Ita Card. *Baronius;* ad an. 336, n. 65. p. 291, tom. 4 edit. Lucae; sed etiam haec sententia refutatur, cum nullo argumento positivo commendetur. Cfr. *D -Angelis,* l. c.; *Sebastianelli,* l. c.

Alii a *Pallio vel mantello S. Petri* originem ducunt. Ita *Vespasiani,* De Palii origine, p. 41; *Garrucci,* Arte cristiana, l. 96, seqq. Sed probabilior videtur sententia illorum qui ex *loro* λῶρος i. e. fascia, quaedam pretiosa quam viri nobiles gestabant in magnis festivitatibus. (Cfr. *Forcellini,* ad 4 v.) usibus eccl. adoptato, derivare faciunt. Cfr. *Grisar* cum *Duchesne* aliisque apud *Aernz,* II, n. 726.

(2) Cfr. *Devoti,* l. c. n. 43; Pontificale rom. part. I, tit. de Pallio.

(3) Cfr. *Ios. Ferrari,* l. c. n. 145.

Pallium est signum territoriale, non potest ergo deferri extra provinciam; est etiam personale ideoque nequit alteri commodari, illo amisso vel corroso novum peti debet (1), et quando Episcopus demoritur cum eo debet sepeliri.

ARTIC. IV.

De praelatis inferioribus.

39. Praelati inferiores (*abbates*, patres) illi dicuntur qui non sunt Episcopi, sed in aliqua dignitate inferiori constituti, atque obtinuerunt a Sede Apostolica quaedam iura Episcopalia maiora vel minora (2).

Triplex distinguitur species Praelatorum. Prima est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentes intra septa alicuius ecclesiae, monasterii seu conventus, cum passiva (3) exemptione a iurisdictione Episcopi in cuius dioecesi existunt. Eiusmodi sunt nonnulli superiores regulares et aliqui Praelati saeculares qui una cum Ecclesia, eiusque ecclesiae clericis et administris quibus praeficiuntur subsunt immediate Summo Pontifici.

Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui tamen locus est intra Episcopi dioecesim, qua undique circumscribitur, et huiusmodi Praelati improprie tantum dicuntur esse *nullius* (dioecesis).

Tertia species est Praelatorum qui iurisdictionem activam exercent in clerum et populum alicuius loci seu oppidi aut plurium locorum vel oppidorum quae omnino avulsa et

(1) *Petra*, l. c. n. 38; *Santi*, op. cit. l. I, tit. VIII; *Ferraris*, op. cit. v. *Archiepiscopus*, art. 3, n. 12.

(2) Notas historicas abbatiarum vide apud *Wernz*, II, tit. XXXVIII, § 2.

(3) Dicitur passiva quia nullum habent populum in quem exercere valeant suam iurisdictionem activam. Cfr. *M. De-Luca*, op. c. tit. XXI, n. 302; *Aichner*, op. cit. pag. 409.

separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi; quapropter dicuntur constituere quasi quamdam dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet quae ceteroquin ad episcopalem iurisdictionem pertinent. Huius generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt, dicuntur vere et proprie *nullius* et veris adnumerantur Ordinariis locorum (1).

40. Praelati vere *nullius*, utpote vere Ordinarii, omnes actus exercere possunt qui ad iurisdictionem episcopalem, ut diximus, spectant (2), iis exceptis qui a iure denegantur (3); eos qui ad ordinem pertinent, attingere non possunt, salvo quoad ordines minores et Confirmationem privilegio apostolico. Eorum autem officia eadem sunt ac Episcopi residentialis (4).

Ad reliquos Praelatos inferiores quod attinet adnotamus tantum quod eorum iurisdictio multo magis est limitata quam Praelatorum *nullius*, sed etiam eximuntur a pluribus obligationibus quae iis incumbunt ex. gr. visitatione sacrorum liminum, a visitatione locorum aut beneficiorum quae a Trid. Episcopis imposita sunt (5).

(1) *Bed. XIV*, de syn., l. 2, c. 10; Trid., sess. XXIV, de reg.; de statu monach. et de relig. dom.

(2) Cfr. *Petra*, in Const. IV, *Callisti III*, sect. 2, n. 34 et seqq.

(3) Ita v. g. nequeunt absque speciali privilegio convocare synodum dioecesanum, et consequenter nequeunt deputare examinatores synodales et celebrare concursus ad beneficia parochialia. Cfr. *Ben. XIV*, l. c. l. 2, c. 10 n. 6, 7. Nec ius dicere possunt in causis matrimonialibus. Cfr. *Gasparri*, De matrim., n. 1167; nec absolvere a casibus et irregularitatibus occultis, quod Episcopis tantum ratione dignitatis concessum est ut plures interpretantur, v. gr. *Fagnanus*, in C. *Cum illorum*, etc. n. 32 et seqq.; *Devoti*, Ius can., l. I, tit. 31, § 14; *Giraldi*, Expos. iur. pontif., P. 2, sect. 132, not. III.

Alii tamen contradicunt ut *Sanchez*, in praec. decal. l. 2; c. II n. 5.

(4) Cfr. *Ben. XIV*, Const. « *Quod sancta* » 23 Nov. 1740; *Leon. XIII*, Const. « *In suprema* » 10 Iun. 1882. Cfr. *Sanguineti*, tit. XIV. n. 352; *Bouix*, De Episc. tit. II, 542 et seqq.

(5) Sess. VI, 4; sess. VII, 8; sess. XXI, 8; sess. XXIV, 9. Cfr. *Schmalzgrueber*, l. c. n. 252; *Bouix*, l. c. p. 541; *Wernz*, op. c. II, n. 818.

CAPUT II.

De iuribus et obligationibus Episcopi.

ARTIC. I.

De iuribus.

41. In libro I, Episcopi *iura iurisdictionis* delibavimus loquentes scilicet de sua potestate legislativa, iudiciaria, coërcitiva, magisterii et regiminis. Hic aliquid addimus quoad *iura ordinis*, et speciatim quoad *utilia* et *honorifica*, nec non quoad privilegia quibus Episcopi fruuntur.

Praeter iura ordinis quae Episcopus cum presbyteris communia habet, ei propria sunt et iura episcopalia quae ex sacra liturgia determinantur. Ad ipsum ergo pertinet: *a*) pontificalia celebrare; *b*) administrare sacramenta confirmationis et ordinis; *c*) conficere olea cathecumorum et infirmorum et chrismatis; *d*) consecrare ecclesias, altaria, vasa sacra etc.; *e*) benedicere Abbatibus et Abbatissis etc. (1).

42. Inter *utilia* recensemus: *a*) ius *honestae sustentationis* ex reditibus mensae episcopalis; *b*) ius *procurationes exigendi*, scilicet habendi tempore visitationis necessaria victualia ab iis qui visitantur neque legitime excepti sunt (2); *b*) ius *ad cathedraticum* quod est annuum tributum a beneficiatis solvendum in honorem cathedrae episcopalis in synodo dioecesana, unde et *synodaticum* appellatur (3); *d*) ius *seminaristici* ad exigendam portionem pro seminarii

(1) *Bened. XIV*, De syn. dioec., l. VII, c. 7, 8, 9, 10; *Bouix*, De Episc. t. II, p. 143 et seqq., 212 et seqq.; *Wernz*, II, tit. XXXV.

(2) *Fagnan.*, in b. 23, de cens. n. 1, 6. 12; *Schmalzgrueber*, in tit. *De cens.* n. 109.

(3) *Bened. XIV*, l. c.; *Bouix*, l. c. p. 307; *Devoti*, Inst. can. l. II, tit. 15. § 3 not. 3; *Ios. Ferrari*, op. cit. I, n. 161.

dioecesani sustentatione (1); *e*) ius *sigilli* ad taxas pro conscribendis documentis (2).

Pluribus aliis iuribus olim fruebantur Episcopi ut v. gr. iure *quartae decimationis*, *quartae funeralium*, *legatorum* (3) etc.; hodie vero haec in disuetudinem abierunt (4).

Ad *honorifica* pertinent: *prima sedes* in choro capituli, *thronum episcopale* in latere evangelii, *praecedentia* ante praesides et gubernatores regios etc. (5).

43. Quoad denique *privilegia* Episcoporum prae aliis mentionem facimus de praerogativa non incurrendi occasione cuiuscumque Constitutionis ipso facto sententiam interdicti vel suspensionis, nisi in illa Constitutione et de Episcopis statutum sit (6); nec non de facultate habendi *oratoria* in suis palatiis, publicis aequiparata, *altare portatile* (7), et usum *pileoli violacei* et *bireti* eiusdem coloris (8).

ARTIC. II.

De obligationibus Episcopi.

Praecipuae sunt: 1. Applicatio missae pro populo; 2. Residentia; 3. Visitatio dioecesis; 4. Visitatio sacrorum liminum.

Applicatio Missae — Episcopi omnibus diebus festis etiam sublatis ex apostolico indulto celebrare et applicare tenentur missam pro populo (9).

44. **Residentia** — Episcopi obligantur ad personalem

(1) Trid., sess. XXIII, c. 18 de ref.

(2) S. C. C. 10 Iun. 1896.

(3) *Reiffenstuel*, De offic. Ord., n. 97; *Schmalz.*, De offic. ord. n. 18.

(4) *Giraldi*, op. cit. P. I, sect. 481; *Devoti*, op. cit. l. 2, § 9, tit. 15.

(5) *Ferraris*, l. c. v. *Episcopus*; *Bouix*, l. c. p. 337.

(6) *Wernz*, op. cit. l. c. tit. XXXV, n. 756; *Sebastianelli*, op. cit. n. 186 seqq.

(7) Decr. S. C. R. 8 Iun. 1896.

(8) *Pius IX*, 17 Iun. 1867.

(9) *Leo XIII*, 3 Feb. 1888. Act. S. Sedis, tom. 3, p. 158.

et continuam residentiam in dioecesi, exceptis tribus mensibus qui eis pro feriis conceduntur, dummodo aequa ex causa, absque nullo gregis detrimenti et non tempore Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostis et Corporis Christi (1).

Causae excusantes residentiam praeter tempus concessum haec numerantur: *caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas* (2).

Contra transgressores qui rei peccati mortalis fiunt, statuta est poena privationis fructuum mensae pro *rata absentiae* (3); quae si ultra annum protrahitur contumaces a Metropolita monendi sunt et deinde S. Pontifici denunciandi (4).

45. **Visitatio Dioecesis** — Iuxta Conc. Trid. (5) tenetur Episcopus per se aut si legitime impeditus per suum Vicarium generalem aut Visitatorem quotannis vel si dioecesis amplior est, quolibet biennio (6) totam dioecesim iure ordinario vel delegato visitare (7).

(1) Trid. sess. VI, c. 1., de refor., sess. XXII, c. I; *Ben. XIV*, op. cit. lib. XIII, c. 8, n. 10 et Const. « *Ad universae* »; cfr. *Santi*, h. t. n. 32: *Ferraris*, v. *Residentia*.

(2) Trid. sess. XXIII, c. I, de ref.

(3) Trid. l. c.; cfr. *Lessium*, De iustitia et iure, lib. II, c. 34, sub. 29, n. 157; *Santi*, op. cit. lib. III, tit. IV, n. 28.

(4) Trid.. sess. VII c. 1., de ref.; *Thesaur.* de Poen. P. 2, v. *Residentia*; *Giraldi*, op. cit. P. 2, sect. 76, § not. V.

(5) Sess. XXIV, c. 3, de ref.

(6) Tamen si ob magnam latitudinem dioeceseos difficillimum foret totam dioecesim etiam biennio, modo convenienti visitare, et locorum Episcopi existiment multo magis expedire ob temporum circumstantias, ut per se ipsos potius quam per delegatos id munus expleant, conceditur a S. Sede etiam quinquennium. Cfr. *Icard*, op. cit. I, ar. VIII; n. 177; Card. *Melchers*, De can. visit. dioeces

(7) Iure ordinario Episcopus visitat omnes Ecclesias suae dioecesis quibus cura pastoralis seu beneficium parochiale adnectitur, etiam si regulares, modo tamen ut visitatio non se extendat adobservantiam regularem sed tantum ad ea quae sunt muneris Pastoralis quod late exponit *Bened. XIV* in Bulla « *Firmandis* » an. 1774.

Obiectum visitationis sunt *a*) *personae*, i. e. clerus (1) et moniales, confraternitas laicorum, magistri scholarum, populusque fidelis; *b*) *res*, i. e. sacra suppelex, vasa sacra, reliquiae et immagines sanctorum, legata pia, reditus ecclesiarum, proventus beneficiorum, eleemosynae, obligationes, servitia etc.; *loca*, i. e. ecclesiae aliaque aedificia ecclesiastica, coemeteria, monasteria, hospitalia, montes pietatis, scholae, seminaria etc. (2).

Scopus praecipuus visitationis est, ut docent Tridentini Patres, sanam, ortodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem pacem innocentiamque accendere, cetera prout locus, tempus et occasio feret ex visitantium prudentia ad fidelium constituere (3).

In visitatione, ut vidimus, Episcopus ius habet exigendi procurationes; ad ipsas praestandas non tenentur ecclesiae civitatis ubi resedit Episcopus nec privilegiatae (4), nec hospitalia et alia loca pia, nec denique oratoria privata (5).

46. **Visitatio ad limina** — Omnes Episcopi residentiales et Praelati nullius vi iuramenti emissi in actu consecrationis graviter obligantur per se ipsos vel si legitime impediti per procuratorem idoneum rite constitutum ad visitationem liminum SS. Apostolorum in qua tria agenda sunt: *a*) Vi-

Iure delegato seu tamquam Delegatus S. Sedis, visitare potest beneficia curata monasteriis exceptis perpetuo unita, capitula, imo ecclesias quae sunt *nullius dioecesis*. Trid. sess. XXIV, c IX. Cfr. *Icard*, l. c. n. 177; *Zitelli*, op. cit. p. 89 et seqq.; *Manacorda*, op. cit. I, n. 396.

(1) De clero regulari videsis ubi de Religiosorum privilegiis.

(2) Cfr. *Aichner*, op. cit. pag. 401; *Wernz*, op. cit. II, tit. XXXV, n. 759; *M. De-Luca*, tit. XVIII, n. 278; *Manacorda*, l. c. n. 418.

(3) Trid. sess. XXIV, c. 3, de ref.

(4) Cfr. *Fagnan.*, cap. « *Venerabili* » 24 de cons.; *Santi*, op. cit. l. III, tit. 39, n. 14.

(5) Cfr. *Sebastianelli*, op. cit. n. 195.

sitatio Basilicarum Petri et Pauli; *b*) aditio ipsius Rom. Pontificis; *c*) relatio ore et scripto de statu dioeceseos (1).

Tempus varium est pro varia Episcoporum distantia scilicet: *a*) pro Italia et insulis adiacentibus triennium; *b*) pro regionibus citra mare Germanicum et Balticum ac omnibus insulis maris mediterranei, quadriennium; *c*) pro reliquis Europae regionibus, pro Africa et insulis maris septemtrionalis et occidentalis Europae et Africae quinquennium; *d*) pro Asia et ceteris extra Asiam, decennium (2).

Contra inobedientes a Const. Sixti V comminatur poena suspensionis ab omni Episcopatus administratione ac perceptione fructuum, imo interdictum ab ingressu in Ecclesiam ab ipsa die qua visitationis tempus transcurrit (3).

(1) Cfr. *Fagnan.*, in C. 4 de iure n. 62 et seqq.; *Ben. XIV*, op. cit. l. 13, c. 6 et seqq.; *Lucidi*, De visitatione sacrorum liminum; *Ferraris*, v. *Limina*; *Bouix*, De Episc.t. 2, n. 36.

(2) Const. « *Romanus Pontifex* » *Sixti V*, 20 Dec. 1585; cfr. *Fagn.*, l. c. n. 36.

(3) Quaestio est an haec paena nunc quoque vigeat, vel sublata sit per Const. « *Apostolicae Sedis* » *Pii IX*. Cl. *Santi*, lib. I, tit. XXXI n. 192, docet: « Haec porro sanctio, quoniam non est vera censura suspensionis a divinis, sed potius refert poenae indolem, non fuit abrogata a Const. « *Apost. Sedis* ». Aliter autem censuit Card. *Melchers*, op. cit., Appendix, § V: « Censurae hae in iure novissimo censendae sint abrogatae, quippe quas Pius PP. IX in Const. sua « *Apost. Sedis* » complexus non sit ».

Pro affirmativa sententia gravia prostant argumenta ex censurarum natura desumpta. Censura enim, proprie dicta personas afficit: poenae autem in Sixtina Const. comminatae, non personam, sed speciales actus eiusdem, in quantum ad publicum redundant, vel ad personas quidem sed a censurato extraneas. Superest ergo dubium et in dubio libertas qua unusquisque, ut bene concludit cl. *Manacorda*, licite abundat in sensu suo.

CAPUT III.

De gradibus qui Episcopos adiuvant.

ARTIC. I.

De canonicis et de capitulo cathedrali.

§ I.

De canonicis.

47. *Canonici* (1) sunt clerici in unum corpus sub aliquo Praelato congregati, quibus praecipue demandata est divinorum officiorum celebratio in certa quadam Ecclesia ex qua proprias praebendas habent unde alantur (2).

Dotes canonicorum sunt: *a*) ordo canonicatui adnexus, vel saltem capacitas ad illum intra annum recipiendum; *b*) aetas 14 annorum si agatur de canonicatu ecclesiae collegiatae, et 21 si de canonicatu ecclesiae cathedralis absque tamen cura animarum; 25 si de canonicatu eccles. cath. cum cura animarum; *c*) eximia integritas vitae; *d*) scientia theologica et canonica (3).

(1) Canonici appellati sunt sive ex eo quod *canoni* seu *ordini* vel *catalogo* clericorum alicuius Ecclesiae erant adscripti; cfr. *Héfélé*, l. c. t. II, p. 762. 776; *Devoti*, op. cit. l, I, tit. III, § 56; sive potius quia sub canone seu certa regula fuerunt constituti atque vitam agebant canonicam. Cfr. *Wernz*, op. cit. II, p. 322 nota.

(2) *Schmalzgrueber*, Tit. *De his quae fiunt a maiore, parte capituli*, n. I, III, tit. XI.

(3) Hinc ipsum Trid. hortatur ut dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus aut etiam Licentiatis in Theologia vel Iure can. sess. XXIII, c. 6; et sess. XXIV, c. 12. Cfr. *Ios. Ferrari*, Summa inst., I, n. 176, not.

Iura canonicorum haec recensentur: *a*) *Locus et votum* in capitulo; *b*) *stallum* sive sedes in choro; *c*) *ius percipiendi fructus* praebendae et distributiones quotidianae (1), *d*) *praecedentia* ante reliquum clerum dioecesanum si collegialiter sive capitulariter incedant (2); *e*) *insignia* quaedam honorifica.

48. Obligationes sunt:

a) *Professio fidei* iuxta formulam Pii IV a Pio IX auctam, infra duos menses a die adeptae possessionis praebendae emittenda; alioquin fructus praebendae ipso iure amittunt (3).

b) *Residentia personalis* in eorum ecclesiis per totum annum exceptis tribus mensibus qui ipsis conceduntur pro feriis modo tamen canonici simul non absint ultra tertiam partem, nec temporibus ab Episcopo interdictis. Poenae in absentes eaedem quae contra absentes a choro de quibus infra (4).

c) *Missa conventualis* quae pro benefactoribus applicari solet (5).

d) *Servitium chori* sive officii divini sub poena amissionis distributionum pro *rata absentiae* (6), nisi per legi-

(1) Distributiones generice acceptae sunt redditus ecclesiastici qui ex communi quadam canonicorum vel beneficiatorum massa singulis distribuuntur, sive ratione beneficii, sive ratione servitii choralis, sive ratione realis praesentiae ac veluti salarii personalis pro particulari aliquo oneri inito. Cfr. *M. De-Luca*. I, tit. XXIII, n. 320.

(2) *Bouix*, De capitulis, n. 464.

(3) Trid. sess. XXIV. c. 12 de ref,

(4) Cfr. tamen Conc. Trid. l. c.

(5) *Ben. XIV*, Inst. 107, n. 7 seqq. et Const. « *Cum semper* » 19 Aug. 1744; *Barbosa*, De canonicis, c. 34. n. 1.

(6) Si illas nihilominus perceperunt, ante omnem iudicis sententiam ad restitutionem tenentur, quavis collusione aut remissione exclusa. Cfr. *Wernz*, II, n. 486.

timam causam excusentur (1), aut per competentem superiorem ecclesiasticum dispensentur (2).

Praeterea iidem beneficiati si ultra tempus legitimum choro non interfuerunt, ex decreto Conc. Trid. l. c. primo anno per sententiam iudicialem etiam monitione non praemissa privandi sunt *dimidia* partem fructuum, quos ratione *etiam praebendae* ac residentiae fecerunt suos. Quodsi anno sequenti eadem utantur negligentia, privandi sunt omnibus fructibus eodem anno perceptis. Crescente vero contumacia i e. *tertio anno* neglecti servitii elapso contra eos procedendum est iuxta sacr. canones et constitutiones, i. e. secundum c. 8. 11, X, h. t. 4 etiam ipso beneficio privari possunt (3).

(1) Causae excusantes sunt duplicis generis:

I. Aliae ita excusant, ut capitularis a choro absens lucretur tum fructus praebendae, tum distributiones quotidianas saltem ordinarias. Ita v. gr. infirmitas vera et gravis, vel iusta et rationabilis corporis necessitas, (cfr. cap. unic. *de cler. non resid.* III, 3, in VI; S. C. C. 5 Febr. 1627), vel evidens Ecclesiae utilitas ut ex. gr. canonicus poenit. dum confessiones audit, canonicus theologus pro die qua lectionem habet, canonici absentes ad tractanda negotia Capituli, vel ad visitanda limina Apost. vel ad adsistendum Episc. solemniter celebrantem, Vicarius Capitularis etc.

His causis adiungi potest indultum iubilationis quo post 40 annos continui et laudabilis servitii conceditur canonico vel beneficiato exemptio a choro et a residentia, cum facultate percipiendi fructus et distributiones. Cfr. *Santi*, op. cit. III, tit. IV, n. 78.

II. Aliae excusant absentes capitulares salva perceptione fructuum praebendae, sed illos non legitimant etiam ad percipiendas distributiones quotidianas. Huc spectant Vic. Gener. si est canonicus, examinatores synodales cum officio suo funguntur, professores S. Scripturae et Theologiae, studentes Theologiae vel Iuris can. in aliqua universitate studiorum. Cfr. *Bouix*, l, c. p. 304; *Wernz*, op. c. II, n. 788 nota.

(2) Qua in re S. C. C. ordinarie non admittit consuetudinem ut iustum titulum exemptionis a servitio chori. Cfr. *Wernz*, l. c.

(3) Cfr. *Ben. XIV*, Inst. 107, n. 38, ubi docet praeter formam Tridentinam Episcopis etiam aliam viam procedendi iuris antiqui non esse subductam; *Santi*, l. III, tit. IV, n. 105; *Wernz*, II, tit. XXII, n. 486.

49. Olim inter canonicos variae distinguebantur praeminentiae quae appellabantur *Dignitates*, vel *Personatus* vel *Officium*.

Dignitates vocabantur si cum praerogativa honoris coniungebatur iurisdictio in foro externo, ut v. gr. *Archidiaconatus*, *Archipresbyteratus* etc.

Personatus, si merus titulus honoris erat, ut *Primicerius*.

Officium si adnexam habebat aliquam rerum ecclesiasticarum administrationem, ut *Custos*, *Sagrista* etc (1).

Ex vigente vero disciplina difficile est accurate definire quinam canonici habeant dignitatem vel personatum, quae sit prima dignitas, et quo numero et ordine dignitates in Capitulis sint constitutae; nam ex iure communi sive scripto, sive non scripto, deduci nequit (2). Ergo in specie de iuribus et obligationibus particularium dignitatum et persona tuum capitularium disputare non vacat, cum antiqua ipsorum iura et praerogativa sint reducta (3).

(1) *Devoti*, Ius, can., l. I, tit. 23, 24 et seqq.; *Thomass*., l. c. P. I, l. 2, c, 17; P. II, l. 3, c. 74; P. III, l. 2, c. 32, 33 etc.; *Phillips*, l. c, tom. II, p. 15: *Bouix*, l. c, p. 116 et seqq. *Wernz*, n. 771, l. c.

(2) Iam ipse *S. Raimundus* in Summa l. III, tit. 27, § 25 scribit: « De officio Archidiaconi, Praepositi, Decani et aliorum non prosequor quia circa eorum officia et potestates fere quot sunt ecclesiae, tot sunt consuetudinum varietates » Et *Barbosa*, De canonicis, cap. IV, n. 8, 9: « Consuetudo plurimum operatur ad dignoscendum quae sit prima dignitas in aliqua ecclesia, et ideo attenditur potius solitum ipsius ecclesiae, quam ius commune ».

(3) *Dignitates* sensu stricto in Capitulis non amplius existunt, sed quoad rem ad *personatus* reductae sunt, licet interdum personatus etiam nunc in capitulis quibusdam a *dignitatibus* forte una vel altera praerogativa honorifica distinguantur. Cfr. *Santi*, op. cit. l. I, tit. XXIII, n. 22; tit. XXIV, n. 3; tit. XXV, n. 3. Dignitates ex disciplina vigente magis receptae, sunt: Praepositus, Decanus Archidiaconus, Archipresbyter; quoad alias magna est varietas Nec minor est diversitas quoad numerum. Sunt enim Capitula, quae unam habent Dignitatem, alia duas etc. atque adeo septem. Conformis quoque disciplina non reperitur in gradatione dignitatum. Nam Decanus qui in Hispania est prima Dignitas, in Bavaria est

50. Aliquid tantum ad notamus de officiis *Canonici Theologi* et *Poenitentiarii* quae instituit Conc. Tridentinum (1).

Canonicus Theologus munus habet interpretandi S. Scripturam in ecclesia cathedrali vel collegiata, singulis diebus festis, nec minus quadragies per annum, loco et hora ab Episcopo definitis (2).

Benedictus XIII, 1725 iussit theologalem praebendam per concursum dignioribus et aptioribus conferri: eisque solum, qui magisterium et lauream in S. Theologia vel consecuti essent, vel intra annum consequi possent.

Canonicus Poenitentiarius facultate gaudet excipiendi confessiones dioecesanorum quasi Episcopi loco (3). « In omnibus ecclesiis cathedralibus, ait Conc. Trid. (4), ubi id commodo fieri poterit, Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor aut Licentiatus in Theologia vel Iure can. et annorum 40, seu alias qui aptior pro qualitate loci reperiatur; qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim in choro praesens censeatur ».

51. Quoad electionem canonicorum in ecclesiis Cathedralibus, nisi agatur de reservatis ad S. Sedem, ius spectat ex iure communi ad Episcopum et Capitulum vel simultanee (in solidum) vel alternative iuxta consuetudinem (5).

secunda. Archidiaconus, qui in Gallia est prima dignitas in Austria quandoque est tertia. *Wernz*, l. c. n. 776, not.

Generatim autem, ubi Dignitates nomine existunt, eis competit praecedentia ante reliquos canonicos et Episcopo, impedito, ad ipsas, et primo loco ad primam dignitatem exercitium functionum, pontificalium defertur. Cfr. *Bouix*, l. c. p. 73.

(1) Sess. V, c. I.

(2) *Aichner*, op. cit. p. 415.

(3) *De-Angelis*, l. I, tit. 24, p. 23.

(4) Sess. XXIV, c. 8.

(5) « In electionibus et beneficiorum collationibus, ait *Fagnanus*, spectanda est consuetudo... sive det soli Praelato hanc collationem... sive illam det capitulo tantum... dummodo sit legitime praescripta ». In cap. « *Cum Ecclesia Vulterana* » n. 25, 27; cfr. etiam *Schmalz*, tit. *de praebendis*, n. 48; *Bouix*, l. c. p. 208,

In Collegiatis electio spectat ad ipsum Capitulum et confirmatio ad Episcopum, ratione habita ad reservationem pontificiam et ad alia iura specialia patronorum (1).

52. Scholion. — **De Canonicis coadiutoribus et honorarii.**

Canonici coadiutores perpetui sive causa infirmitatis sive quacumque àlia causa a S. Sede destinantur (2).

Horum obligationes sunt: *a*) adesse choro et sacras obire functiones, quotiescumque id coadiuto obtingeret (3), quin per se ad aliquid ius habeant, supplent enim personam coadiuti; *b*) sedere in ultimo loco inter illos qui sunt in eodem gradu cum persona coadiuti, praecedat vero reliquos qui sunt gradus inferioris.

Quoad autem ius vocis activae et passivae standum est ad tenorem litterarum Apost. nec non ad constitutiones capitulares vel ad consuetudinem legitime praescriptam (4).

Honorarii ius tantum habent ad sedem in choro et ad insignia canonicorum (5).

Canonici honorarii iuxta praxim a Sede Apostolica approbatam numerum canonicorum titularium excedere non debent (6). Quoad canonicos honorarios extradioecesanos vide nova decreta S. C. C. 16 Sept. 1884, et Leonis XIII Const. 31 Ian. 1894.

(1) *Leuren.*, Forum benef., P. II, q. 672; *Riganti*, Reg. 4 Canc. § 2.

(2) Cfr. *Schmalz.* et *Reiffenstuel*, ad tit. 6, lib. III, Decr. *De Clerico aegrot. vel debilit.*; *Bouix*, l. c. p. I, sect. 2, c. 4.

(3) Canonicus coadiutus per coadiutorem non eximitur a lege residentiae, immo ipse coadiutus respondere debet coram Capitulo de servitio chori, et punctaturas solvere ob negligentiam coadiutoris. Ratio est quia titulus beneficii quoad praesens tempus totus et integer in suis iuribus et oneribus perseverat in coadiuto, cuius persona in sacris officiis repraesentatur a coadiutore. Cfr. *Bened. XIV*, de syn. lib. XII, c. 9, n. 13; *Santi*, lib. III, tit. VI, n. 12.

(4) Cfr. *Santi*, l. c. n. 13.

(5) Cfr. *Sanguineti*, op. cit. n. 374.

(6) *Wernz*, op. cit. l. c. n. 777. Praesente aetate, animadvertit cl. *Avanzini*, modernos canonicos honorarios multum differre a cano-

§ II.

De Capitulis et de Vicario Capitulari.

53. Per Capitulum intelligitur Collegium canonicorum qui sacro ordine insigniti, praebenda et iure suffragii in ecclesia cathedrali vel collegiata gaudent (1). Capitulum et sua iura habet et onera.

1°) *Ius celebrandi coetus capitulares* sive ordinarios sive extraordinarios. Capitulum convocatur a prima eiusdem Dignitate independenter ab Episcopo (2) nisi agatur de rebus quae et ad Episcopum pertinent. Ad Capitulum vocandi sunt omnes canonici qui hoc ius habent; et in omnibus actibus capitularibus attendenda est decisio maioris partis Capituli (3).

2°) *Ius efformandi sibi constitutiones* a S. Sede vel Episcopo probandas; et *fruendi* legitimis consuetudinibus (4).

3°) *Ius administrandi et possidendi* bona temporalia (5)

Onera Capituli post dicta de canonicis ad duo principalia revocari possunt, scilicet ad *reverentiam* et *obedientiam* quam praestare debent Episcopo.

Reverentia in signis quibusdam honoris et *quoad locum*

nicis honorariis supranumerariis antiqui iuris. Nam moderni solum fruuntur *iure honoris*, sine veris obligationibus et sine spe alicuius praebendae canonicalis. Cfr. Conc. Trid. sess. XXIV, c. 19.

(1) Capitulum dictum est iuxta aliquos quia in dioecesi constituit parvum caput, dum Episcopus est caput magnum. Alii autem tenent Capitulum appellatum fuisse quia capitatim canonici decernunt de rebus suis, eadem prorsus ratione qua leges Caroli Magni dictae fuerunt Capitularia, leges nempe emanatae, dante consensum suum quolibet consiliario. Cfr. *Sebastianelli*, op. cit. n. 204.

(2) Trid. sess. XXV, c. 6; S. C. C. 20 Ian. 1858. Cfr. *Bouix*, l. c. p. 408.

(3) Cfr. *Santi*, lib. III, tit. XI.

(4) *Wernz*, n. 790; *M. De-Luca*, n. 322.

(5) Trid. sess. XXIV, c. 6, de ref.; *Bouix*, l. c. p. 390 et seqq.

scilicet in choro, in capitulo, in processionibus etc (1); et *quoad assistentiam* in ecclesia cathedrali vel in aliis ecclesiis, vel in dioecesi (2). Obedientia iustis mandatis et iudiciis Episcopi (3).

54. Ad eius potestatem autem in administratione dioecesis, quod spectat, distinguamus oportet Capitulum in *sede plena* vel *impedita* vel *vacante*. In *sede plena* Capitulum caret vera et propria iurisdictione. Episcopus tamen non deberet aliquid novi gravis momenti absque Capituli ope agere (4). Canonistae casus adsignant quibus tenetur Episcopus consensum vel tantum consilium petere a Capitulo. Generatim consensus requiritur in omnibus negotiis gravissimis quae important notabilem et perpetuam obligationem ecclesiae vel successoribus. Ita ex. gr. in uniendis, dividendis, supprimendis beneficiis; in institutione novorum canonicatuum: quando contrahenda est obligatio ab ecclesia ex. gr. in deposito, fideiussone aut mutuo etc. (5). Consilium exquiritur in negotiis ordinis et dubiis, v. gr. in iis statuendis quae ad divinum officium in ecclesia celebrandum et ad ministrorum regimen referuntur: in procedendo contra canonicos, in subrogando iudici synodali, vel nominando iudice prosynodali etc. (6).

Hac tamen in re plurimum deferendum est legitimae consuetudini (7).

(1) *Trid.* sess. XXV, c. 6, de ref.

(2) *Bened. XIV*, Inst. n. 107.

(3) Cfr. *Bouix*, l. c. p. 244, 260, 267; *Wernz*, l. c. n. 791.

(4) Cfr. Decret. Tit. *De his quae fiunt* etc.; *Ben. XIV*, de synodo, lib. XIII, c. l. n. 5, 6; *Giraldi*, op. cit. P. I, sect. 432; *Santi*, op. c., c. III, lib. V.

(5) *Bouix*, l. c. p. 65 seqq., 193 seqq.; *Vecchiotti*, op. cit. I, c. VII, § 60; *Santi*, l. c.

(6) Conc. Trid. sess. XXV, c. 10 de ref.; *Ios. Ferrari*, op. cit. I, n. 193.

(7) Hactenus vero, scribit *Andreucci*, de tuenda pace etc. p. IV, n. 215, dicta de expectando vel exquirendo consilio Capituli, habent

Sede impedita ex eo quod Episcopus in carcerem ab inimicis detrusus, administratio spiritualis et temporalis ad Capitulum spectat, donec Episcopus libertati restituatur vel per S. Sedem quam primum a Capitulo consulendam, aliud ordinetur (1). Iurisdictio vero Episcopi non censetur suspensa, si ipse per litteras cum suis dioecesanis communicare potest, aut in dioecesi Vicarium generalem vel delegatum reliquerit (2).

Sede vacante regimem dioecesis transit pariter ad Capitulum cathedrale quod tamen intra octo dies (3) deputare tenetur Vicarium capitularem cui devolvitur omnis auctoritas (4).

55. Vicarius Capitularis saltem aetatem 25 annorum habere debet, Doctor esse vel Licentiatus in Iure canonico vel in S. Theologia et honestate vitae et bona fama prae-

dumtaxat locum ubi et quando contraria consuetudo non fuerit legitime praescripta ».

Et *Lambertini*, apud ipsum *Andreucci*: Asseri potest hodie titulum « *De his quae fiunt a Praelato* etc. » recessisse ab aula.

Cfr. etiam *Ferraris*, v. *Capitulum*, a. II, n. 28, 29; *De-Angelis*, h. t. l. III; *Sebastianelli*, op. cit. tom. I, 214; *Wernz*, n. 793, scholion.

(1) Cap. 3, de suppl. I. 8, in 6°; S. C. C. 7 Aug. 1687, *Ben. XIV*, de syn. lib. XIII, c. 16, ult.; cfr. *Aichner*, § 123.

(2) Decis. *Pii VII* data an. 1811 in casu Episcopi Trecensis a Napoleone I capti; *Greg. XVI*, Brevia in causa Colon. 9 Maii 1838. Cfr. *Wernz*, l. c. n. 794. *Aichner*, l. c.

(3) Secus ad metropolitam electio spectat, vel ad antiquiorem de suffraganeis, vel ad viciniorem Episcopum. Cfr. *Lombardi*, op. cit. I, p. 240.

Si Episcopatus vacans, omnino non habeat Capitulum, simulque vacat Archiepiscopatus, tunc Vicarium constituere spectat ad Capitulum metropolitanum. Cfr. *Pecorelli*, Inst. can., tom. II, p. 361; *Aichner*, op. cit. p. 422.

(4) Conc. Trid. sess. XXIV. c. 16, de reform.

Vicarius Capitularis unus eligendus est, nisi ex consuetudine immemoriali duo vel plures constitui solitum sit, ut mos est in Galliis. Cfr. *Vecchiotti*, op. cit. c. VIII, n. 82; S. C. C. 4 Sept. 1871; *De Angelis*, op. cit, tom. I, p. II, p. 94.

ditus. Non potest insuper eligi qui electus est vel praesentatus ut futurus Episcopus dioeceseos, vel officium cum cura animarum possidet (1).

Iurisdictio Vicarii Capitularis eadem est ac ordinaria Episcopi (2), iis tantum exceptis quae a iure excipiuntur (3). Non acquirit ergo potestatem ordinis episcopalis nec frui potest privilegiis personalibus antecedentis Episcopi (4).

Quoad autem ordines et beneficia, nequit Vicarius Cap. ordines conferre (si est Episcopus), vel licentiam ordinandi concedere primo anno sedis vacantis, nisi arctatis; nec beneficia liberae collationis assignare, quae sede vacante reservantur S. Sedi (5).

Ita pariter, solum anno elapso ab ultimo synodo vel visitatione, visitare diocesim et convocare synodum potest (6).

Iurisdictio Vicarii Capitularis praeterquam per mortem ipsius vel renuntiationem, expirat quum novus Episcopus Capitulo cathedrali *Litteras apostolicas* suae electionis exibuerit (7).

(1) Cfr. Trid. l. c.; *Zamboni*, in Collectanea Decis. S. C. C Tom. IV, V, Vicarius; *Pignatelli*, Tom. VII consult. IV; *Bouix*, l. c. p. 512.

(2) Facultates delegatae quae a S. Sede ipsi « Ordinario » in casibus particularibus committuntur aut ad plures annos intuitu officii episcopalis, ex novis decretis etiam in Vic. Cap. transeunt. Cfr. Litt. encycl, S. C. Inq. 20 Feb. 1880; Decr. S. C. Inq. 22 Apr. 1898.

(3) Specialiter Episcopo reservata esse censetur etiam facultas concedendi indulgentias. *Bened. XIV*, de syn. l. II, c. 9, n. 7; *Devoti*, Inst. tom. I, p. 220. Quaestio autem fit an Vicarius Capit. ferre possit sententias *ex informata conscientia*. Cl. *De Angelis*, probabile dicit l. c. p. 51; et conformius videtur rationi loquendi Trid., idemque postulat notio ordinariae potestatis quam obtinet iste Vicarius. Cfr. *Lega* lib. II, vol. IV, n. 403.

(4) Cfr. *Ferraris*, v. *Capitulum*; *Barbosa*, op. cit., l. III, n. 21 et seqq; Card. *De-Luca*, disc. XXXI in Conc. Trid. n. 36, 37.

(5) Cfr. *Riganti*, ad reg. 2 Cancell., § 2, n. 3; *Bouix*, p. 580 et seqq.

(6) *Bened. XIV*, de syn. l. II, c. 9; n. 6, S. C. R. 8 Nov. 1843; *Sebastianelli*, n. 225.

(7) Const. Pii IX « *Romanus Pontifex* » 28 Aug. 1873. Iuxt a

Vicarius Capitularis rationem reddere debet novo Episcopo et non Capitulo de officio suo. (1)

ARTIC. II.

De Vicario generali et foraneo.

56. Vicarius generalis nuncupatur qui constituitur ab Episcopo cum potestate generali, ut illum repraesentet et vices eius gerat in exercitio iurisdictionis (2).

Institutio Vicarii generalis pendet a libera voluntate Episcopi (3) nisi propter speciales circumstantias a S. Sede obligetur (4).

Ut quis ad munus Vicarii gen. assumi potest debet:

a) Aetatem habere saltem 25 annorum.

b) Laurea doctorali in S. Theologia vel Iure can. esse insignitus (5).

c) Spectata integraque vita gaudere.

d) Nec curam gerere animarum aut officium Poenitentiarii.

veriorem sententiam autem non cessat munus Vicarii Cap. si Vicarius Cap. fuerit electus vel nominatus eiusdem ecclesiae Episcopus. Cfr. *De-Angelis,* I, tit. 5, n. 13. et tit. 28, n. 23; *Santi,* I, tit. 28. n. 68; *Wernz,* II, n. 795.

(1) Trid. sess. XXIV, c. 16; *Bizzarri,* Collect. resol. S. C. EE. et RR.

(2) Si Episcopus duabus praeficitur dioecesibus aeque principaliter unitis, in unaquaque Vicarius gen. constitui potest. Si unam tantum gubernet, unum tantum Vic. gen. deputare valet nisi ex consuetudine vel concessione duo vel plures constitui soleant. Cfr. *Wernz,* II, n. 804.

(3) *Leuren.,* Tract. de Episc. Vicariis, q. 27.

(4) R. Pontifex sive per se, sive per S. Congregationes v. gr. S. C. EE. et RR., Vicarium gen. Episcopi quandoque constituere solet. Qui Vicarius potius est Vicarius Apost. atque ad nutum Episcopi removeri nequit. *Leuren.,* l. c. q. 16; *Bouix,* De iudic. tom., I, p. 402.

(5) Cfr. *Devoti,* Ius can. l. 1, tit. I, 28, § V.

e) Non propinquus Episcopi (1), nec si possibile est non eiusdem dioeceseos originis Episcopi ad vitandas obtrectationes (2).

57. Potestas Vicarii generalis ex communiore et probabiliore sententia est ordinaria (3) et se extendit ut episcopatus, iis solum exceptis quae ius can. reservavit, vel quae Episcopo sibi reservare declaravit, vel etiam quae reservata censentur (4).

Haec potestas cessat per eius mortem, per renuntiationem, per revocationem mandati, sicut et per mortem, renun-

(1) Hoc impedimentum iure communi constitutum non est, nam nulla, quoad sciamus, generalis lex existit, nullumque generale decretum S. Sedis. Decisiones peculiares quae contra afferuntur, generale iuris principium constituere nequeunt. Cfr. *Vecchiotti*, op. cit. I, c. VII, § 69 not. *Sebastianelli*, op. cit. p. 248.

(2) Secundum mentem *S. Caroli Borromaei*, 5 Conc. Prov. Mediol., et *Pignatelli*, Tom. 9, Consult. 192, valde deceret si ne civis quidem dioeceseos ubi suam iurisdictionem exercere debet, ad Vicarii generalis officium nominetur.

Haec tamen disciplina non servatur in pluribus Italiae partibus. Cfr. *Berardi*, Comm. diss. V, c. I; *Icard*, op. cit. I, P. 1, a. VIII, n. 189.

(3) Cfr. *Pirhing*, in tit. de offic. Vic. n. XXXV; *Leuren.*, l. c. n. 69; *Bouix*, l. c. p. 361; *Wernz*, op. c. n. 805; *M. De-Luca*, op. cit. I. n. 289 contra *Devoti*, Ius can. univer. l. I, tit. 23, § 3 et alios. Alii vero cum *Santi*, l. I, tit. XXVIII, n. 21 tenent iurisdictionem Vicarii gen. esse sui generis. At *Berardi*, hac in re scribit: « Qui disputant an Vic. iurisdictio ordinaria dicenda sit an delegata. mihi videntur de vocabulis litem inferre, quando alias in rem, in causam inque effectus omnes consentiunt ». Comm. in ius eccl. l. 211.

(4) Unde regula C. 81, R. 1 in 6° « In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus ». Ita v. gr. nequit Vicarius gen. in generali mandato, synodum convocare, dioecesim visitare, beneficia conferre, dimissiones concedere, dispensare ab irregularitate etc. Cfr. *Ferraris*, v. *Vicarius*; *Devoti*, l. c.; *Santi*, tit. XXVIII, n. 17 et seqq.; *Lombardi*, op. cit. op. cit. I, p. 250; *Ios. Ferrari*, op. cit. 169, 170. An autem ferre possit suspensiones *ex informata conscientia*, dubium est. Cfr. *Giraldi*, l. c. not. 2; *De-Angelis*, l. c.

ciationem, translationem et Episcopi, cum constituat ut dici solet, unum idemque tribunal cum Episcopo (1).

58. Scholion. — Vicarius generalis S. Pontificis dignitate cardinalitia decoratus (2) est Ordinarius in Urbe eiusque districtu, ibique repraesentat personam Papae, non tamquam Papae, sed tamquam Episcopi romani, cum plena iurisdictione episcopali exercenda tam absente quam praesente Papa (3).

Card. Vicarius ergo omnia munera ordinis episcopalis propria exercere potest, excepta visitatione apostolica quae ad *S. C. Visitationis*, et collationem beneficiorum quae ad *Datariam Apost.* spectat (4). Iurisdictio Card. Vicarii cum sit ordinaria, morte R. Pontificis non expirat (5).

Vicario Pontificis assistit *Vices-gerens* ad instar Vicarii generalis Episcopi circa exercitium iurisdictionis episcopalis et pontificalium (6).

59. *Vicarius foraneus* (7) (Decanus ruralis, Archipresbyter) ille est « qui extra urbem episcopalem in diversis dioeceseos partibus constitutus est ad facilius tuendam, maxime in Clericis ecclesiasticam disciplinam » vel ille dicitur « qui per varia oppida dioecesis ab Episcopo constituitur ut ius dicat in causis levioribus ».

(1) *Leuren.*, l. c. q. 290 et seqq ; *Bouix*, l. c. p. 442.

(2) Decret. *Pauli IV*, 1558.

(3) *Ben. XIV*, de syn. l. II, c. 3, n. 1. Cfr. Card. *De-Luca*, De iurid. disc 34, n. 10. « Iurisdictio Cardinalis Vicarii, ait Card. *Petra*, in comm. ad Const. *Paul. II*, n. 64, complectitur legem dioecesanam et iurisdictionis in quibus iuxta communiorem divisionem resolvitur omnis iurisdictio episcopalis.

(4) Cfr. *Lega*, op. cit. II. nn. 302, 303.

(5) *Ben. XIV*, de syn. l. II, c. 3, n. 1, 2.

(6) *Vices-gerens* solet esse Patriarcha vel Archiepiscopus titularis.

(7) Vicarii foranei iuxta aliquos successerunt *chorepiscopis* (quasi τῆς χώρας i. e. ruris Episcopi) qui plures singuli curabant ecclesias, easque lustrabant, dabant litteras *pacificas* (commenda-

Potestas Vicarii foranei determinatur ab Episcopi mandato. Hodie ordinario munus habet invigilandi super vita et honestate cleri et populi christiani et convocandi semel in mense presbyteros ad conferentias casuum moralium (1).

ARTIC. III.

De Parochis.

60. Parochus definiri potest: « Presbyter legitime deputatus ad ministrandum ex obligatione et proprio nomine verbum Dei et sacramenta certo dioecesanorum numero qui ab eodem vicissim, sacra recipere aliquatenus teneantur » (2).

tarias, communicatorias, dimissorias) clericis ruralibus in aliam dioecesim abeuntibus, et minores ordines conferebant. Quaestio est an Episcopi vel tantum presbyteri fuerint; probabilior videtur qua tenet ordinario eos fuisse simplices presbyteros. Certum tamen est quod, intumescente eorum auctoritate, minui coeperunt donec sic gradus saec. 9 fuerit exstinctus. Cfr. *Thomass.* P. I, l. 2; *Bened. XIV*, l. III. c. 8; *Phillips*, tom. 2, p. 97, n. 294; *Devoti*, Inst. tom. I, sect. V, n. 49; *Wernz*, l. c. n. 807; *Aichner*, p. 426; *M. De-Luca*, n. 284.

(1) Cfr. *Ferraris*, v. *Vicarius foraneus*, 14, 15, n. 22; *Andreucci*, De tripl. Vic. potest. P. V. n. 1, 2, seqq.; *Pellegrini*, Praxis Vic. P. I, sect. 7, n. 10 et seqq.

(2) *Bouix*, De parocho P. I, sect. II, c. IX, § III. Quaestio olim suborta an Parochi essent *ex iure divino* vel *ecclesiastico*. Sententia omnino tenenda est secunda, quia constat primis Ecclesiae saeculis nullos fuisse parochos, presbyteros vero ita omni caruisse iuridictione ut sine Episcopi mandato neque baptizare, neque Eucharistiam administrare, neque agapem celebrare, denique nihil facere possent. Et revera scimus ex historia tribus prioribus saeculis unam dumtaxat fuisse ecclesiam, scil. cathedralem, ad quam christiani non modo urbis, sed etiam locorum viciniorum confluebant, in eaque, etiam postquam aliae ecclesiae ruri extructae erant, sacramenta administrare per aliquod tempus unice licitum fuisse. Et solum progressu temporis capellas et oratoria vel in ecclesias parochiales converti vel monasteriis unire seu incorporari contigisse. Cfr. *Devoti*, l. I, tit. 3, n. 87; Card. *Gerdil*, in istruct. ad Episc.;

Potestas parochorum universim spectata est ordinaria, non delegata, in parochianos; et Episcopus non potest ea parochus expoliare aut ita illam imminuere ut fere inanis evadat, nam non ex mera commissione Episcopi, sed vi officii et iure proprio illam exercet (1).

61. Iura et officia parochi late patent, at pro re nostra pauca adnotamus:

I. *Quoad iura.*

Ad parochum pertinet:

a) Collatio solemnis Baptismi, Extremae Unctionis infirmorum, et benedictio nuptialis.

b) Administratio Communionis paschalis et viatici, nec non sacramenti Poenitentiae ex potestate ordinaria in sua parochia (2).

c) Functiones parochiales peragere, ut benedictio fontis baptismalis, celebratio funerum etc. (3).

d) Administratio bonorum temporalium parochiae etc.

II. *Quoad officia.*

Praecipua haec recensentur:

a) Celebratio et applicatio missae pro populo omnibus diebus festis ex praecepto servandis, etiam nunc suppressis (4).

b) Administratio sacramentorum et sacramentalium suis parochianis rationabiliter petentibus, et pastoralis sollicitudo invigilandi necessitatibus spiritualibus plebis et pauperum levamini (5).

Nardi, Dei parochi, tom. I, c. XII; *Aichner*, p. 436, 37; *Wernz*, II, n. 821; *M. De Luca*, Inst. iur. publ. II, Diss. V, n. 52; *Icard*, op. cit. I, P. I, a. 1, n. 233.

(1) *Bouix*, l. c. p. 176; *Wernz*, l. c. n. 828.

(2) *De Lugo*, de sacr. Poen. disp. 20, sect. 3, n. 11; *Giraldi*, additamenta ad Barbosam, De parocho c. 20, n. 12.

(3) *Bened. XIV*, Inst. 105, n. 103; *Bouix*, l. c. p. 430; *Piscetta*, I, c. II, ar. I.

(4) Conc. Trid, sess. XXIII, c. I; *Ben. XIV*, Const. « *Cum semper* », 19 Aug. 1744; *Pii IX* Const. « *Amantissimi* », 3 Maii 1853.

(5) Cfr. *Leon. XIII*, Encycl. « *Rerum novarum* » 15 Maii 1891; *Nasoni*, op. cit. P. I, p. 153.

c) Praedicatio divina et instructio religiosa diebus saltem dominicis et festis solemnibus (1).

d) Cura librorum parochialium et archivii parochialis (2),

e) Satisfactio oneribus missae et aliis piis legatis.

f) Accessus ad synodum dioecesanam et ad conferentias casuum (3).

g) Residentia in sua parochia.

62. Ad residentiam quod attinet Concilium Tridentinum (4) eadem se decernere declarat, quae de Episcoporum. Deinde subdit: « Ita tamen ut quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita et probata abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa (5) non obtineant ». Parochi ergo ultra bimestre a parochia illegitime absentes, incurrunt peccatum grave, fructus pro rata temporis absentiae amittunt, et aliis poenis a Tridentino statutis plecti possunt quibus et Episcopi. Si autem in sua contumacia perseverent, postquam per edictum etiam non personaliter citati fuerunt, liberum est Ordinariis sive per censuras eccl. sive per sequestrationem et substractionem fructuum sive per alia iuris

(1) *Giraldi*, De offic. parochi, I, n. 14; *Icard*. Consule normas sapientissimas a S. C. EE. et RR. iussu Leonis XIII nuper constitutas, 31 Iul. 1894.

(2) Trid. sess. XXIV, c. 1, 2 de reform. matr.

(3) Cfr. *Ben. XIV*, de syn. l. III. c. 5: *Bouix*, l. c. p. 586; Const. Leonis XIII « *Romanus Pontifex* »; S. C. P. F. 29 Iulii 1889; *Wernz*, II, n. 834; Scriptores de Theologia pastorali ut ex. gr. *Sailer*, *Berengo* etc.

(4) Sess. XXIII, c. 1. de ref.

(5) Itaque ut abesse liceat duobus mensibus (continuis vel interruptis) opus non est causa gravi (ut esset christiana charitas, vel urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas), aliqua tamen aequa opus est. Cfr. *Piscetta*, l. c. n. 182.

remedia sive etiam usque ad privationem, eosdem renitentes compellere (1).

ARTIC. IV.

De Vicariis Parochorum.

63. Vicarii parochiales in genere ii dicuntur qui vices parochi gerunt in exercitio curae animarum (2).

Ad Vicariorum parochialium genus spectant Cooperatores, Coadiutores et Administratores.

64. *Cooperatores* (capellani, curati, pro-parochi) dantur ad auxilium in cura animarum parochis non inhabilibus sed laborantibus, quando ob multitudinem fidelium et negotiorum unus rector sufficere nequit. Hi cooperatores esse possunt veri *beneficiati curati* quibus onus sublevandi parochum ex fundatione incumbit, vel admovibiles ad nutum Episcopi. Deputantur ex consuetudine ab Episcopo ad quem etiam pertinet determinare eorum sustentationem quae assignanda est ex proventibus parochiae si sufficientes sint. Secus eis aut per particulares fundationes aut per populum, ad vitae necessaria subministranda sunt. (3).

Munera cooperatorum reducuntur ad diligenter subsidium parochorum et ad exactam eorum obedientiam (4).

65. *Coadiutores* illi proprie intelliguntur qui parochis vel ob perpetuam infirmitatem vel imperitiam, in perpetuum vel ad tempus assignantur. Coadiutores temporanei ab Episcopo etiam contra voluntatem parochi deputantur; perpetui cum iure successionis a S. Sede (5).

(1) *Bouix,* l. c. p. 551; *Schmalz.,* h. t. n. 32 et seqq.

(2) *Santi,* op. cit. I, tit. 28 n. 4 seqq.; *Leuren.,* l. c. P. I, q. 108 et seqq.; *Bouix,* l. c. p. 417 et seqq.; *Wernz,* II, n. 837; *Aichner,* p. 450.

(3) Conc. Trid. sess. XXI, c. 4, 6, de ref.

(4) Ctr. *Aichner,* l. c. p. 455; *Wernz,* l. c.

(5) Trid. l. c., *Ben. XIV,* Const. « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742. *Bouix,* l. c. p. 425 et seqq.

Coadiutor si parochus non sit omnino inhabilis, vi suae deputationis ius non habet se immiscendi administrationi spirituali vel temporali ecclesiae, parocho contradicente; et in suo officio exercendo pendere debet a titulari. Si autem parochus prorsus inhabilis sit, tunc omnia quae pastoralis officii sunt ex se exequitur (1).

Coadiutoribus aliqua portio ex reditibus parochialibus assignanda si beneficium sit sufficiens, nam coadiutus privandus non est honesta sustentatione; alioquin alio modo est ei providendum (2).

66. *Administratores* (provisores, vicarii spirit., oecon. spir.) constituuntur, quando parochia vacat, ab Episcopo qui iis congruam sustentationem assignare debet. Hi tempore vacationis ut *delegati* curam animarum exercent et iura et onera parochorum sustinent. Obligantur ergo ad residentiam et ad applicationem missae pro populo (3).

Quum vero contigerit ut parochus longius a parochia abesse cogatur, nominare ipse debet, ut vidimus, cum debita mercede idoneum Vicarium qui tamen approbandus est ab ipso Ordinario, cuius est etiam cognoscere et approbare causam absentiae parochi (4).

Denique si parochia sit perpetuo incorporata alicui collegio vel capitulo etc. (5) quibus competat officium rectoris principalis seu habitualis, vicarius cum actuali et universa et indipendenti cura animarum est deputandus (6). Vicarius instituitur ab Episcopo cum certa fructuum portione ad nominationem rectoris principalis vel habitualis post in

(1) *Bouix*, l. c. p. 429; *Icard*, op. cit. I. n. 254,

(2) C. 1, 3, 4, X de cler. aegr.; Trid. sess. XXV, c. 7 de ref.

(3) Trid. sess. XXIV, c. 18, de ref.; S. C. C. 17 Feb. 1869; *Wernz*, II, n. 840.

(4) Trid. sess. XXIII, c. I, de ref.; *Schmalz.*, l. I, tit. 28, n. 7, 8; *Icard.*, I, n. 253.

(5) De incorporatione monasteriis, vide ubi *de Religiosis*.

(6) Trid. sess. VII, c. 7 de ref. et sess. XXV, 16 de ref.; *De-Angelis*, ad l. I, tit. 28, p. 31 seqq.; *Wernz*, l. c.

examine praevio *privato* idoneus repertus fuerit (1). Si est temporalis amoveri potest ad nutum eorum ad quos spectat nominatio; si perpetuus, ab Episcopo et tantum ex causis in iure expressis (2).

CAPUT IV.

De Conciliis.

67. Regimen ecclesiasticum non solum a singulis distributive sumptis exercere potest, sed etiam a pluribus collective spectatis, sive a coetibus vel a magistratibus collegialibus. Huc pertinent Concilia oecumenica seu generalia, provincialia et dioecesana quae et synodi vocantur (3).

Non est nobis hic multum immorandum in iis quae ad Concilia oecumenica et provincialia spectant, haec enim a theologis dogmaticis vindicantur. Quapropter paucis de his adnotatis, aliquid de synodis exponemus (4).

(1) *Ferraris*, v. *Vicar. paroch.* n. 8, 14; *Aichner*, p. 451; *Wernz*, l. c.; *Icard*, I, n. 255.

(2) S. C. C. 15 Febr. 1879 in Act. S. Sedis vol. XIII p. 284 et seqq.

Hoc repetendum de parochis amovibilibus, rectorum videlicet illarum Ecclesiarum, « quae de facto, vel de iure subduntur Episcopo, sive quia licet olim erectae fuerint verumtamen a potestate civili suppressae de facto sunt, ut evenit quoad complures paroecias in Gallia, sive quia nondum erectae sunt, ut praesertim in Anglia et in America septentrionali ». *Pierantonelli*, Praxeos fori eccl., Tit. IV § 1 et seqq.

(3) Sunt etiam Concilia *nationalia* ad quae conveniunt Archiepiscopi et Episcopi unius regni vel nationis, praeside eiusdem nationis Patriarcha vel Primate. Haec vero hodie absque S. Sedis venia nec indici nec celebrari possunt. Cfr. *Aichner*, op. cit. p. 441.

(4) Quoad Conciliorum utilitatem observamus quod Concilia pro conservatione et incolumitate Ecclesiae quamvis absolute non sint necessaria, sunt tamen relative ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnan-

et magisterii universalis cui tota Ecclesia necessario parere debet (1).

69. Concilium provinciale est coetus publicus Episcoporum ad eamdem provinciam pertinentium, qui regulariter ab eorum Metropolita cogitur, vocatis vocandis de iure vel consuetudine, eodemque praeside ad deliberandum de ecclesiasticis provinciae negotiis (2).

Concilium provinciale celebrari debet quolibet triennio (3) et etiam frequentius ex suffraganeorum at S. Sedis consensu (4).

Ad Concilium provinciale convocandi sunt cum voto decisivo: *a*) omnes Episcopi suffraganei etiamsi nondum consecrati. Item Administratores Apostolici, Coadiutores Episcoporum, Vicarii Capitulares et Apostolici; *b*) Episcopi exempti (5) et Praelati nullius; *c*) Episcopi titulares si consentiant omnes et singuli Ordinarii provinciales in Concilio congregati (6).

Cum voto consultivo: *a*) Procuratores Ordinariorum absentium; *b*) Procuratores Capitulorum Cathedralium; *c*) Praelati inferiores ut v. gr. Abbates simplices, Provinciales Ordinum religiosorum et Congregationum religiosarum, et alii ex consuetudine (7).

Obiectum Concilii provincialis ut ab eodem Concilio Tridentino determinatur ita est ut « de moderandis mori-

(1) Cfr. *Palmieri*, thes. 25, n. II.

(2) Card. *Petra*, Comm. ad Const. unic. Honor. II, sect. I, n. 15.

(3) Conc. Trid. sess. XXIV, c. 2, de ref.

(4) Cfr. *Santi*, op. cit. l. I, tit. 31, n. 153.

(5) Episcopi exempti, scilicet qui nullo Archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant in cuius Concilio provinciali cum aliis interesse debeant. Trid. l. c.; *Sanguineti*, l. c. n. 363. Excipiuntur tamen Episcopi exempti qui sunt in provincia romana. Cfr. *Sebastianelli*, n. 147.

(6) S. C. C. 24 Aug. 1850; Cfr. *Wernz*, op. c. II, n. 855.

(7) Card. *Petra*, l. c. v. 60, 106 et seq.; *Fagnan.*, l. 10, « *De his quae fiunt* etc. » n. 42.

bus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis agere debeat (1).

Leges Concilii provincialis si a S. Sede approbatae et rite promulgatae, obligant omnes fideles illius provinciae (2).

ARTIC. II.

De synodis.

70. Synodus definitur: « Coetus virorum ecclesiasticorum ab eorum Episcopo coactus ut una cum eo consilia sua conferant de negotiis quae ad pastoralem dioeceseos curam pertinent » (3).

Iuxta Tridentinum synodus quotannis cogenda; (4) at in praxi hoc non observatur (5).

Qui ad synodum vocandi sunt in triplicem classem distingui oportet.

I. Qui vocandi sunt et adesse tenentur (6):

a) Praelati seu Abbates non exempti, sive saeculares,

(1) De utilitate Conciliorum Provincialium consule Const. *Pii IX* « *Nostis quidem* » 8 Dec. 1849; item epist. *Leonis XIII* ad Archiep. et Episc. imperii austriaci 3 Mart. 1891 in qua inter alia attestatur quod ex Conc. prov. « semper Episcopis amplius patuit consiliorum copia, robur animi confirmatum, studium religionis incensum, haud pauca etiam consulta profecta, quae rei catholicae multis modis utilia contigerunt ». Cfr. *Manacorda*, op. cit. I, n. 141 et seqq.

(2) S. C. S. Off. 30 Sept. 1896; *Petra*, l. c. n. 120 et seqq.; *Bouix*, de Conc. prov. p. 467, 518 seqq.; *Aichner*, op. cit. p. 463.

(3) *Bened. XIV*, de synodo dioec. l. I, c. I.

(4) Sess. XXIV, c. 2, de ref.

(5) « Usus parum recepit huius decreti observationem circa tempus, ait Card. *De-Luca*, (disc. XXX in Conc. Trid.), ut scilicet singulis annis celebrari deberet. De quo *Ben. XIV* conqueritur in lib. de synodo », lib. I, c. VI, n. 5.

(6) Renitentes absque legitima causa plecti possunt ab Episcopo censuris eccl. et mulctis pecuniariis, quae postrema poena adhibenda non est in regulares. Cfr. *Sebastianelli*, n. 294.

sive regulares; *b*) qui dignitatem aut personatum, aut officium habent: *c*) canonici ecclesiae cathedralis; *d*) parochi et vicarii curati perpetui; *e*) quibus consuetudo eiusmodi ius atque onus detulit; *f*) inter eos qui iurisdictione Episcopi eximantur vocandi sunt parochi alias exempti, sive regulares sive qui Praelato nullius subduntur.

II. Qui praetermitti quidem possunt, sed si vocati adesse tenentur:

a) Vicarii tum generales, tum foranei; *b*) canonici collegiatarum; *c*) beneficiati ecclesiae cathedralis qui canonici non sunt; *d*) superiores conventuum qui sex non alunt religiosos adeoque Episcopi iurisdictioni subduntur; *e*) abbates conventuum quorum monasterium capitulo generali aliorum monasteriorum eiusdem Ordinis non subditur; *f*) quibus consuetudo tale onus detulit (1).

III. Qui nonnullis tantum in casibus compelli ad synodum possunt, ut sunt v. gr. alii clerici si agitur vel de morum disciplina, vel de re ad omnes clericos pertinente (2).

71. Prius quam synodus inchoetur deputandi sunt ab Episcopo officiales et ministri:

a) *Promotor*, cuius est curare ut omnia celeriter et legitime peragentur.

b) *Segretarius*, qui edicta componit aliasque scripturas.

c) *Notarius*, qui absentes notat, decreta et statuta synodi conficit.

d) *Magistri caerimoniarum*, *procurator cleri*, *iudices querelarum et excusationum* etc. (3).

In ipsa synodo eligendi sunt *Iudices synodales* et *Examinatores synodales*.

(1) Laici ius assistendi synodo per se non habent, « at ex gravi urgentique causa potest Episcopus eos admittere dummodo suffragium non ferant » *Bened. XIV*, l. c. 6, n. 4.

(2) De his omnibus fuse disserit *Ben. XIV*, ubi et de iis quae ad ordinem sedendi aliasque praeminentias ab ipsis servandas, referuntur. Op. cit. l. III. Cfr. *M. De-Luca*, op. cit. n. 349; *Manacorda*, op. cit. I, C. IX. De synodis.

(3) *Bened. XIV*, lib. IV et seqq.

Iudices synodales quatuor communiter eliguntur, quibus a S. Sede committuntur causae ventilandae in dioecesi (1).

Examinatores synodales deputantur ad examinandos candidatos in concursibus ad ecclesias paroch. etc. (2).

72. In synodo dioecesana Episcopus ex se legislativam habet potestatem condendi leges, statuta vel decreta etiam sine consensu vel consilio sui Capituli aliorumque qui in synodo vocantur (3).

Obiectum synodi generatim versatur in iis quae pertinent ad rectam dioecesis administrationem, praesertim vero ad morum disciplinam rite servandam (4).

(1) Conc. Trid. sess. XXV, c. 10.

De gremio iudicum synodalium elegendi sunt *Iudices Conservatores*, quorum officium est omnem curam impendere in iuribus servandis Regularium, vel etiam Collegiorum ecclesiasticorum ad tramitem Const. Gregorió XV quae incipit « *Sanctissimus* », 20 Sept. 1621 relata a *Fagnano* in lib. II, Decr. in Cap. *Si Clericus*, *De foro competenti*, prout etiam videre est apud *Ben. XIV*, l. c. lib. IV. c. VI.

(2) Examinatores synodales ad minus sex proponuntur, et eorum officium durat usque ad novam Synodum. Si autem aliquis ex designatis in ultima synodo demoriatur ante novam synodum, aut e Dioecesi se subducat ita ut sex iuxta Trid. Conc. sess. XXIV, c. XVIII de ref. amplius non supersint, tum ex Decreto Clem. VIII, facultas data est Episcopis alios Examinatores subrogandi, solum in officio duraturos ac reliqui superstites in ultima synodo electi. Verum haec iuris dispositio locum habere tantum potest infra annum ab ultim. syncdo; nam si unus elabatur absque synodi celebratione cessat officium examinatorum synodalium; et tunc substitui solent pro-synodales quos Episcopus ex accepta a S. Congregatione Concilii facultate, de consensu Capituli nominat.

Examinatores synodales esse debent Magistri seu Doctores aut Licentiati in S. Theologia, aut Iure can. vel alii Clerici seu Regulares etiam ex ordine mendicantium, et iuramentum ita ut iudices synodales, emittere tenentur, se fideliter functuros munere suo. Cfr. *Ben. XIV*, l. 4, c. 7 et seqq.

(3) Hoc sensu S. C. C. rescripsit ad Patriarcham Venetiarum, 27 Apr. 1592. Cfr. *Manacorda*, op. cit. I, n. 150; *Pignatelli*, tom. I, Consult. CLXXX.

(4) *Bened. XIV*, lib. VI, c. 1. n. 1 et lib. XIII, c. 5, n. 1, 2; *Icard*,

Statuta in synodo vim habent obligandi absque ulla approbatione statim ac promulgantur, omnes quotquot sunt Episcopo subiecti atque in dioecesi sunt; atque vigent etiam post mortem Episcopi, donec a successore in synodo vel extra synodum abrogentur (1).

SECTIO II.

DE RELIGIOSIS.

CAPUT I.

De natura status religiosi.

73. Status religiosus definitur: « Stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum pro Christi fidelibus qui sub certa regula et communi vivendi modo evangelicam perfectionem prosequuntur per vota perpetuae paupertatis, castitatis et obedientiae, cum traditione sui Deo facta et Dei nomine ab aliquo homine acceptata » (2).

op. cit. I, n. 180. De ingente autem Synodorum utilitate verba Pontificum, Ecclesiaeque Conciliorum diligenter advertenda. Ita ex. gr. Alex. VII Const. « *Inter cetera* », 26 Maii 1650 ad Episcopos Italiae et Insularum adiacentium: « Persuasissimum Vobis esse non dubitamus nihil frequenti animarum recognitione, synodorum celebratione, populorum saluti ac veteri disciplinae constituendae, nihil catholicorum Principum paci a Deo impetrandae accomodatius esse; quo intermisso, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem, ac peccandi licentiam facta est immutatio ». Item Patres Conc. Colon. 1549. Cfr. *Manacorda*, l. c. n. 175.

(1) *Bened. XIV*, l. c. lib. XIII, c. 4, n. 2 seqq. et c. 5, n. 1 et seqq. Cfr. *Sanguineti*, op. cit n. 371.

(2) Sic omnes recentes Congregationes ecclesiasticae, et omnia moderna Instituta religiosa in quibus non emittuntur nisi vota simplicia licet perpetua, latiori ac minus proprio sensu inter religiosas familias recensentur. Vocari quidem solent et sunt Con-

ARTIC. I.

De admissione Postulantium.

74. Ut aliquis in religione admittatur requiritur I ut aetatem habeat discretionis; II et rectam intentionem; III et nullo impedimento sit irretitus.

Hinc *ex iure divino* vel *ex natura rei* prohibentur (1):

a) Amentes, furiosi, fatui.

b) Qui matrimonio iuncti sunt nisi matrimonium consummatum non sit vel alter coniux iuri suo cesserit, aut sententia iudicis competentis ius amiserit

c) Nimium aere alieno gravati (2).

d) Ii quos urget aliqua gravis obligatio, cui si religionem ingrediantur, satisfacere nequeant. Huc pertinent: *aa*) parentes quibus filii alendi, educandi supersunt, nisi horum educationi aliter satis provisum sit: *bb*) filii, quorum parentes in gravi necessitate constituti sint, cui ipsi consulere valeant.

e) Infideles non baptizati, haeretici, schismatici, excommunicati.

Ex iure ecclesiastico (3):

a) Episcopi absque licentia S. Pontificis.

gregationes religiosae, sed nec vocantur, nec sunt veri Ordines religiosi, seu religiones formales. Cfr. *Aloys. M. Ferrari*, De statu religioso Commentarium, c. I, n. 1. Cfr. etiam *Suarez*, De relig. tract. 7, 1, 2, c, n. 1; *Bonanni*, Degli Istituti ovvero Ordini monastici; *Vermeersch*, De religiosis institutis et personis. Tractatus canonico-moralis.

(1) Cfr. *Wernz*, III, tit. XXIV, de ord. relig. § 3; *Piat*, Praelect. iur. reg.

(2) At si profiteantur valet professio; nam Clemens VIII, Const. « *In suprema*, 2, Iun. 1602, horum professionem (quam Sixtus V, Const. « *Cum de omnibus* » 26 Nov. 1587 irritam esse iusserat) validam esse decrevit.

(3) C. 1, Dist. 63; c. 2, X de transl. l. 7; c. 10, § 11; c. 11, X de renunt. l. 9; c. 18 X de regul. Cfr. Const. cit. Sixti V; *Schmalz.*, l. III, tit. XXXI.

b) Obligati ad ratiocinia, scilicet qui debent adhuc rationem reddere rerum alienarum.

c) Infames.

d) Corpore vitiati.

75. In hodierna autem disciplina attendenda sunt duo decreta S. Pontificis *Pii IX*, s. m. « *Romani Pontifices* » et « *Regulari disciplinae* » 25 Ian. 1848 (1).

In primo statuit Pontifex in quovis Ordine vel Societate vel Congregatione, Instituto aut Monasterio, sive habeat vota solemnia, sive habeat solummodo simplicia, nullum esse admittendum ad habitum religiosum suscipiendum absque litteris testimonialibus tum Episcopi originis tum Ordinadinariorum locorum ubi postulans *ultra annum* moratus fuerit *post expletum decimum quintum annum aetatis suae* (2).

Quod si superiores regulares non observaverint, incurrunt poenam privationis officiorum vocisque activae et passivae nec non inhabilitatis ad illa officia in posterum obtinenda.

In litteris autem quae confici possunt etiam in forma privata et secreta, Ordinarii referre debent de postulantis natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae rationi alicuius administrationis obnoxius (3).

(1) Vide in App. huius libri.

(2) Episcopis liberum non est huiusmodi testimoniales litteras denegare. Cfr. *Nervegna*, De iure practico regularium, pag. 89; *Vermeersch*, op. cit. vol. I, n. 69.

(3) Hae testimoniales Ordinariorum non requiruntur pro receptione seu admissione ad habitum eorum qui *iam professi in alio Ordine*, ad alium Ordinem transmigrare legitime cupiunt; pro ipsis enim sufficiunt testimoniales superioris Generalis vel Provincialis Ordinis relinquendi, vel eorum defectu superioris localis domus ubi postulantes illi ultimo fuerunt. S. C. EE. et RR. 29. Maii 1857.

Verum pro novitiis *non professis* aliorum Ordinum et *pro professis saecularizatis* requiruntur testimoniales Ordinariorum. S. C. EE. et RR. 5 Nov. 1852. Cfr. *A. M. Ferrari*, op. cit. pag. 69.

76. In secundo decreto quod viget in Italia et insulis adiacentibus, praescribitur ut post Capitulum locale a Provinciali pro admissione convocatum et non antea, fieri debeat examen postulantis vel immediate ab ipsis examinatoribus provincialibus vel per delegatum a Provinciali, quo in casu delegatus suam relationem scripto exaratam ad Provincialem mittit.

Post praedictum examen fieri debet scrutinium ab examinatoribus provincialibus simul collectis: Hi nominandi sunt septem praeter provincialem qui est examinator natus in Capitulo provinciali et inter eos nominandi sunt duo consultores ordinarii qui tunc hoc munere funguntur (1).

Unicuique examini et scrutinio tres saltem examinatores praeter Provincialem adesse oportet.

Relatio examinis et scrutinii una cum actis et documentis a Provinciali mittuntur ad Generalem qui cum tribus saltem examinatoribus generalibus secundum scrutinium instituet pro postulantis admissione vel reiectione.

Examinatores generales nominantur in Capitulo generali. Debent esse septem praeter superiorem Generalem (2). Inter eos duo debent sumi e Assistentibus vel Visitatoribus generalibus. Superior Generalis erit praeses cum iure suffragii in Consilio examinatorum generalium, et Procurator generalis, uti examinator natus habendus erit.

Acta primi scrutinii, cum documentis adnexis expendet Superior Generalis, deinde ea expendenda tradet Procuratori generali et duobus saltem ex aliis examinatoribus generalibus, tribus vero si absit Procurator generalis; postremum eos convocet ad *secundum scrutinium* (3).

(1) In Congregationibus tamen quae religiosorum copia laborant, quatuor tantum sufficiunt, ut declaravit S. C. EE et RR. 16 Ian. 1852.

(2) Etiam hi ob pauciorem religiosorum numerum ad quatuor reduci possunt.

(3) S. Congregatio declaravit autem: « in Ordinibus tam ampliis quam exiguis sufficere tres examinatores provinciales praeter

Secundum scrutinium non potest admittere postulantem quem examinatores provinciales in primo reiecerint.

Potest iusuper Superior Generalis iusta de causa reprobare quem vel ipsi examinatores generales in secundo scrutinio probaverint; numquam vero admittere eum qui fuerit ab examinatoribus reprobatus (1).

ARTIC. II.

De novitiatu et professione religiosa.

77. *Novitiatus* formaliter acceptus, est: « Status quo quis se constituit idoneum et expeditum ad mutuam probationem, tum ut ipse valeat experiri asperitates religionis seque informare ad vitam religiosam, tum ut religio possit diiudicare dotes et mores admissi novitii eumque praeparare ad professionem » (2).

Quoad locum novitiatus, nemo ait Clemens VIII (in decretis generalibus de reformatione regularium) ad novi-

superiorem Provincialem ad primum scrutinium et tres examinatores generales praeter superiorem Generalem ad secundum scrutinium peragendum; et alios examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse ». Cfr. *A. M. Ferrari*, op. cit. p. 73.

(1) Artic. XII, primae partis Decreti. Cfr. *A. M. Ferrari*, l. c.; *Nervegna*, op. cit. pag. 100, *Piat*, l. c. p. 86; *Santi*, op. cit. III, tit. XXXI, n. 8. Ad moniales quod spectat, Conc. Trid. sess. XXV c. 17 De regul., praescribit ut omnes puellae quae, maiores duodecim annis, habitum regularem suscipere voluerint, ante susceptionem habitus et ante professionem, ab Episcopo, vel eo absente vel impedito ab eius Vicario, explorentur « an coactae, an seductae sint, an sciant quid agant ». Constitutio autem « *Conditae* » Leonis XIII, c. I. n. 7, vult, ut iam usu venerat, idem servari in Congregationibus religiosis, etiam si mere sint dioecesanae. Et praeterea consuevit ut postulantes afferant fidem baptismi, confirmationis et morum, et aliquam dotem iuxta consuetudinem et constitutiones. Cfr *Pellizzarium*, Tract. de monial. c. 3, n. 60, 68; *Battandier*, Guide canonique pour les constitutiones de soeurs a voeux simplex n 19, 94; *Vermeersch*, op, cit. I, n. 181, 182.

(2) *Wernz*, III, tit. XXIV, n. 633.

tiatum admittatur nisi *in conventibus per Sedem Apost. in qualibet provincia deputandis*. Ibique statuit Conc. Tridentinum (1) per annum in probatione maneant novitii.

Annus novitiatus incipit a susceptione habitus, vel si habitus susceptio in aliqua Religione non requiratur ab ingressu in Novitiatum (2). Computandus est autem de momento ad momentum ut sit *integer*; si duae horae desint, professio erit irrita (3); occurrente vero anno bisextili, expectari debet lapsus diei addendi antequam professio fiat (4).

Annus novitiatus debet esse insuper *continuus* seu absque ulla interruptione, secus nulla esset professio. Non interrumpitur (5) tamen *a*) si novitius cum habitu et de superiorum licentia extra Novitiatum iusta causa degat; *b*) si novitius vi coactus aut per iniuriam discedat vel ob falsam accusationem missus fiat, et postea iustificatus redeat; *c*) si infirmitate etiam per decem menses detineatur; *d*) si retento habitu per breve tempus aufugiat (6).

(1) Sess. XXV, c. 15 de ref.

(2) *Bouix*, de regul. I, p. 176. Tempus novitiatus cum approbatione S. Sedis protrahi potest. *Piat*, l. c. p. 102.

(3) S. C. EE. et RR. 17 Ian. 1617.

(4) S. C. 6 Iul. 1617, et 21 Aug. 1623. Cfr. *De-Angelis* op. cit. tom. III, pars II.

(5) Non interrumpitur sed suspenditur, adeoque sufficit si suppletur tempus alioquin transactum. Haec dicebantur de Ordinibus religiosis. De Institutis tamen votorum simplicium cl. *Battandier*, op. cit. n. 76, testatur huic scriptorum interpretationi obesse praesentem S. Congregationis usum, quippe quae iam existimet interruptum novitiatum eius qui per 24 horas adfuerit, et a capite repetendum, nisi S. Sedis impetretur indultus. Quod si ita fuerit praestabit, in his quae ad valorem sunt necessaria, securiores sequi partes. *Vesmeersch*, op. cit. supplem. ad Vol. I.

(6) *Bouix*, l. c. p. 577 et seqq.; *Craisson*, Manuale etc., a num. 2651 ad num. 2657.

Notandum vero quod praefatae leges de integritate et continuitate anni novitiatus quoad validitatem, ligant etiam Congregationes. Cfr. Deliberation. S. C. EE. et RR. 28 Iunii 1901 quae hoc titulo prodiit in lucem: « *Normae secundum quas S. C. EE. et RR. procedere debet in approbandis novis Institutis votorum simplicium* ».

Ad novitiorum institutionem autem quod attinet praeter ea quae in Decr. Clem. VIII praescribuntur, observandae sunt Constitutiones singulorum Ordinum et Congregationum.

78. Tyrocinio absoluto regulariter candidatus vel admittitur ad professionem vel dimittitur (1).

In admittendis autem novitiis ad professionem, de lege servanda sunt quae statuuntur in altera parte Decreti iam cit. Pii IX « *Regulari disciplinae* » (25 Ian. 1848), cuius summa dispositionum haec est: Provincialis, vel si in religione non adsit Provincialis, superior domus novitiatus duobus mensibus ante professionem, audita relatione Magistri novitiorum, vel per se, vel per idoneum religiosum interrogare debet novitium de voluntate profitendi, de spiritu quo ducitur, de indole regulae instituti. Deinde singillatim auditis religiosis in domo novitiatus commorantibus, convocare debet capitulum eiusdem domus, et exquirere debet sententiam capitularium. Deinde Provincialis sententiam capituli communicare debet tribus examinatoribus qui iudicent cum Magistro novitiorum utrum dignus sit novitius qui ad professionem admittatur. Tandem Provincialis de omnibus instructum reddere debet Superiorem Generalem, qui captis etiam aliis informationibus, approbationem datam ab examinatoribus revocet vel confirmet. Super ea omnia servanda sunt, quae ab Instituti religiosi Constitutionibus requiruntur (2).

79. *Professio religiosa* sensu generali definitur: « Contractus quo idoneus homo fidelis Instituto religioso legitime

(1) Finito tempore novitiatus, superiores, novitios quos habiles invenerint ad professionem admittant, aut e monasterio eos eiiciant » Trid. sess. 25 de reg. c. 16. Scilicet excepta societate Iesu, ut expresse ibi cavetur.

(2) Cfr. *Santi*, op. cit. III, tit. XXXI, n. 9.

Ad moniales quod attinet, ius cooptandi exercetur per conventum cum consensu superioris regularis, si moniales sint in ditione Regularium; cum consensu Episcopi si sint in congregatione dioecesana. Cfr. *Pellizzarium*, op. cit. II, 2; Const. « *Conditae* » iam cit. 2, n. 1 et c. l. n. 7.

approbato libere sese tradit cum emissione trium votorum substantialium et perpetuorum paupertatis, castitatis et obedientiae nomine Ecclesiae ab eodem Instituto rite acceptata » (1).

Professio religiosa dicitur simplex vel solemnis prout sunt simplicia vel solemnia vota quae emittuntur. Vota autem solemnia a simplicibus distant solo iure canonico; et in eo distant quod votum *castitatis*, matrimonii, *paupertatis*, dominii, *obedientiae*, contrahendae obligationis independenter a superiore, incapacem reddunt voventem (2).

Conditiones ad validam professionem requisitae:

I. Voventis aptitudo, ut ecce aetas 16 annorum absolutorum. Antea facta nulla est quaevis professio etiam voto-

(1) Olim duplex perfessio fuit, *expressa* et *tacita*.

Tacita professio habebatur: 1° in ordine in quo diversus est novitiorum ac professorum habitu, si quis habitum proprium professorum triduo gestasset. Et constat ex cap. 1° et 3° de Regularibus in VI. Imo et ante triduum hic professus habebatur, si exercuisset ius professis solummodo competens v. gr. suffragium in capitulo tulerit, ut colligitur ex cap. 4° de Regul. — 2° In ordine vero in quo a novitiorum nil prorsus differt habitus professorum, professus censebatur qui habitum religiosum per annum gestasset. Et expresse cavetur c. 2. de Regularibus in *Clementinis*. Scilicet ni protestatus esset se habitum sine voluntate profitendi gestare. Cfr *Piscetta*, I, n. 217.

Hodie (ex Pii IX Const. « *Ad universalis* » 7 Febr. 1861) tacita professio sublata est.

(2) Card. *D' Annibale*, Summula etc. De votis.

In quo autem proprie consistat solemnitas votorum, non concordant DD. « Communis vero. ait *Schmalzgrueber* (In tit. De voto, n. 8, lib. III, Decret.) doctrina solemnitatem voti refundit in dispositionem Ecclesiae ita acceptantis illud (votum solemne), ut seclusa dispensatione apostolica, sit perpetuum, et voventem inhabilem reddat ad actus vota repugnantes». Cfr. etiam *Suarez*, De statu relig. lib. II,c. V, VI, VII, VIII; *Cavagnis*, op. cit. lib. II, c. II, a. V, n. 311. Et *Wernz*, (tit. XXIV, n. 341 nota 299 et Scholion n. 654) habet: « solemnitas votorum formaliter consistit in illa vi sive efficacia absoluta et perpetua inhabilitandi personam voventem ad effectus quosdam iuridicos i. e. ad actus votis contrarios. Cfr. etiam *Aichner*, p. 471; S. C. EE. et RR. 9 Maii 1860; 29 Sept. 1892.

rum simplicium, in Ordine proprie dicto. Hodie vero solemnis professio virorum invalide fit ante annum XIX, iuxta decretum S. Congregationis super Statu Regularium 19 martii 1857.

II. Ut novitiatus praecesserit de quo supra (1).

III. Ut saltem triennio ante edita sint (expleto novitiatu et decimo sexto aetatis anno) vota simplicia (2).

IV. Consensus et acceptatio, expressa vel tacita Ordinis seu Praelati ad quem pertinet in Ordinem cooptare (3).

V. Ut professio sponte facta sit, nullo cogente metu iniusto ac gravi seu in virum constantem cadente (4).

Nota — De obligationibus religiosorum vide apud Theologos (5).

ARTIC. III.

De regularibus ad ecclesiasticas dignitates evectis, vel ad aliam religionem transeuntibus vel extra claustra quacumque de causa degentibus.

80. Regularis ad Episcopatum evectus votorum obligationibus non solvitur. Nam Episcopalis dignitas statum

(1) In articulo mortis, ex communicatione privilegiorum, potest novitius, etiam ante exactum probationis annum emittere professionem. Cfr. *Piat,* op. c. I, p. 396, 97; *Vermeersch,* op. cit. I, n. 200.

(2) Cfr. S. C. super statu Regularium 19 Martii 1857 et Const. *Pii IX.« Ad universalis »* 7 Febr. 1861.

(3) Cfr. Cap. 16 *ad apostolicam,* de Regularibus ubi dicitur obligari *per professionem emissam pariter et acceptam qui* etc.

(4) Cfr. Cap. I, *de iis quae vi metusve causa fiunt,* et cap. ult. itulo, *Qui clerici, vel voventes possint matrimonium contrahere.* Cfr. *Piscetta,* I, n. 218; *Icard,* II, n. 467.

In Italia, qui primae militum classi (I categoria) inscribuntur, nec possunt certiores fieri quod inepti ad serviendum militiae declarentur (reformati), nequeunt ad solemnem professionem aut ad ordines sacros admitti nisi post completum tempus ordinariae militiae vel postquam inepti fuerint declarati ut decrevit S. C. super discipl. reg. die 27 Nov. 1892.

(5) Videsis apud *Piscetta,* I. n. 219 et seqq.

perfectionis non excludit. At ex voto obedientiae subditur Romano Pontifici non Praelato. Ex voto paupertatis non prohibetur, si ecclesiam habeat regendam, bona adquirere sive successione sive alio modo et administrare, sed, si solemniter professus, ecclesiae, non sibi acquirit, nec testamentum facere potest.

Episcopatu autem utcumque dimisso, tenetur Episcopus ad communitatem redire (1).

Haec Episcopis quoque titularibus applicari possunt, nam ordinis excellentia par est.

81. Quoad transeuntes ad aliam religionem adnotamus quod hodie, de stylo Curiae, nemo religiosus transire potest de una ad aliam Religionem etiam strictiorem sine licentia S. Sedis Apostolicae (2).

82. Extra claustra degentes possunt esse *profugi*, *apostatae*, *ejecti*, *dimissi*, *saecularizati*, *dispensati*.

I. *De profugis et apostatis*. Religiosi *profugi* sunt, qui sine consensu Praelati discesserunt, animo tamen revertendi; *apostatae* qui discesserunt animo non revertendi. Utrique quousque degunt impoenitentes extra Religionem privantur omnibus privilegiis suae Religionis (3), et votis et regulis tenentur prout ante discessum (4). Quod autem acquirunt solemniter professi, pertinet ad Cameram Apostolicam iure spolii (5).

(1) *Ben. XIII*, Const. « *Custodes* ».

(2) Ita ex *Matteucci* et *Monacelli* cl. *De Angelis*, lib. III, tit. XXXI, n. 14, p. 117.

Porro circa hoc attendenda sunt quae decrevit *Ben. XIV* in Const. « *Pastor bonus* » (13 Apr. 1744); et ea quae statuit Clementina I. *De transeuntibus a religione aliqua mendicantium ad aliam non mendicantium*. Cfr. *De Angelis*, T. II, p. II, p. 119; *Nervegna*, op. cit. c. IV.

(3) Conc. Trid. sess. 25, De reg. cap. 19; et Const. *Pii IX* « *Postquam* ».

(4) S. Congr. Conc. in decreto a. 1624 confirmato ab Urbano VIII die 25 Sept. iussit, Superiores regulares quotannis apostatas exquirere debere ut revertantur. Cfr. *Giraldi*, op. cit. II, sect. 356.

(5) *Pii V*, Const. « *Grave Nobis* », 26 Maii 1566.

83. II. *De dimissis et ejectis.* Dimissio et ejectio non raro promiscue usurpantur; at ejectio sensu stricto est actus quo professus ob patratam culpam gravem et externam et publicam et cum incorrigibilitate coniunctam a competente Superiore (1) *servata forma iudiciali* ex ordine religioso expellitur; dimissio vero distinguitur ab ejectione quia est actus quo professus ob graves et legitimas causas etsi a culpa alienas, a competente Superiore *absque forma iudiciali* dimittitur.

In ejectione servanda sunt quae statuit S. C. EE. et RR. (2): « Dispositiones contentae in decreto S. Congr. Concilii iussu s. m. Urbani VIII edito die 21 mensis Sept. 1624 incipiente *Sacra congregatio* ac in decreto eiusdem S. C. iussu s. m. Inn. XII edito die 24 mensis Iulii 1694, incipiente *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper ordinibus constituto dimittendo (3); ita ut horum neminem et ipsi

(1) Praeter Generales Ordinum, possunt ejicere et Provinciales cum consensu Capituli Provincialis; sed tunc sententia ut sit valida debet a Superiore generali confirmari. Cfr. *A. M. Ferrari*, n. 57.

(2) Decret. « *Auctis* » 4 Nov. 1892.

(3) Pro iis qui vota temporanea emiserunt ac insuper in sacris ordinibus non sunt constituti, non requiritur processus ordinarius, sed dimitti possunt a Superiore Gener. cum voto Consilii sui, ob culpam tamen gravem, externam, publicam et cum incorrigibilitate coniunctam. Cfr. *Nardelli*, Comm. Bullae « *Conditae* » Leonis XIII, n. 42; *Wernz*, II, n. 676; *A.-M. Ferrari*, op. cit. n. 56

Attamen viri religiosi etiam in Institutis votorum simplicium etiam in s. ordinibus non constituti post professionem perpetuam aut temporaneam nisi praevio iudicio quamvis summario ejici vel dimitti non possunt et ex dimissione et ejectione non fit liberatio votorum sed requiritur dispensatio. S. Congr. EE. et RR. 10 Ian. 1896; et Iul. 1898. Cfr. *Lega*, lib. II, vol. IV, n. 511.

Moniales vero quae vota temporanea in Congregatione a S.

dimittere possint, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem externam et publicam et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis vere habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem, qua nihil proficiente, Superiores debent processum instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere quo suas defensiones sive per se sive per alium eiusdem Instituti religiosorum exibere valeat: quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior vel Tribunal defensorem ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec, Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit, si comdemnatus a sententia prolata ad S. Congregationem EE. et RR. rite appellaverit, donec per eamdem S. Congregationem definitivum iudicium prolatum non fuerit. Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debet ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo (1), iuxta praxim vigentem apud hanc S. Congregationem ».

Sede approbata emiserunt, ob culpam gravem etc., tempore professionis transacto, dimitti possunt a Superiorissa Generali ex deliberatione Consilii gen.; durante autem professione temporanea vel post perpetuam requiritur insuper approbatio et consensus S. Sedis. Non est tamen instruendus processus ordinarius quia moniales carent potestate emanandi iuridicam sententiam. Cfr. *Nardelli*, op. cit. n. 39.

(1) Hic processus dicitur etiam *Cameralis* a ratione agendi Tribunalis *Camerae*, in quo tribunali, ob eius praerogativas fiscales non adamussim servabantur regulae processus observandae in Auditorio S. Rotae. Cfr. *De Luca*, Rel. Curiae Disc. 33, n, 10.

Pro Congregationibus aut Institutis religiosis votorum simplicium, S. Congregatio EE, et RR. aut pro Ordinibus Monialium sequenti rescripto solet concedere facultatem procedendi processu camerali: « *Vigore* etc. (nempe facultatum) *S. C. audito voto P. Procuratoris Generalis Ord. facultatem tribuit P. Superiori Gene-*

In dimissione, quamvis ut adnotavimus, neque processus, neque iudicii forma requiratur sed sola facti veritatis inspectio, tamen superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat (1).

Quoad autem dimissorum aut ejectorum obligationes dicendum:

Dimissi solvuntur qualibet obligatione votorum, non excepto voto castitatis, nam voverunt castitatem in religione servandam. Ideo revocati non tenentur redire. Ceterum si in sacris constituti sint, suspensi ab exercitio ordinum manent donec invenerint Episcopum benevolum qui eos recipiat.

Ejecti regulis, non votis solvuntur; voto obedientiae eatenus solum non solvuntur quatenus si revocati fuerint tenentur redire. Episcopo interim subiiciuntur. Ex voto non prohibentur uti rebus et admninistrare; sed non sibi acquirunt. Cui acquirant non satis constat. Alii opinantur eos acquirere monasterio, alii Papae, vel si beneficium habeant, suae ecclesiae. Quidquid est, bona eorum, iis defunctis, (nec enim testamenti factionem habent) ad Cameram Apostolicam pertinent (2).

Si absolutionem et rehabilitationem expectat ejectus tunc:

1) vel iterum efflagitat Ordinem ingredi et tunc S. Congregatio si spes affulgeat èmendationis, ex litteris Ordi-

rali cum suis Assistentibus Generalibus cum descriptione criminum et aliquali probatione, et data delinquenti defensione, ad expulsionem enunciati Religiosi iuxta preces pro suo arbitrio et conscientia devenire possit ac valeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus ». Cfr. *Nervegna*, op. cit. pag. 199; *Vermeersch*, op. cit. vol. II, Docum.; *Lega*, op. cit. l. II, vol. IV, n. 510.

(1) Cfr. Decret. 12 iun. 1858, n. 5.

(2) Cfr. *Bouix*, tom. II, p. 489; *Santi*, III, tit. XXXI, n. 41 et seqq.; *Piat*, l. c. p. 174 et seqq.; *Wernz*, III, n. 674 et seqq.; *A. M. Ferrari* p. 324 et seqq.; *Nervegna*, p. 189.

narii et ex aliis documentis, attentis informatione et voto P. Procuratoris Generalis Ordinis, Superiori Instituti tribuitur facultas eum recipiendi ad tempus *titulo experimenti*, quin restituatur in vocem activam et passivam et salva praecedentia eorum, qui in Ordine continue perseverarunt, disciplinam regularem semper observantes.

2) Vel ejectus desiderat manere in saeculo, tunc recurrat ad S. Congregationem, invento et Episcopo benevolo receptore et ab eo commendatus (1).

84. III. *De saecularizatis.* Saecularizati dicuntur solemniter professi qui a S. Sede obtinuerunt indultum manendi perpetue extra claustra. Hi regulis solvuntur, sed non votis. Subduntur Episcopo in cuius dioecesi commorantur, etiam vi voti obedientiae. Ex voto paupertatis non prohibentur administrare bona; bona tamen non sibi acquirunt, sed monasterio. Testamentum nisi id eis concessum sit facere nequeunt. Bona ab eis defunctis relicta ad Cameram Apostolicam pertinent (2).

85. IV. *De dispensatis.* Hi sunt qui dispensationem votorum quae emissa sint in Ordinibus regularibus et pertineant ad professionem solemnem vel simplicem, obtinuerunt. Hanc dispensationem concedit sola S. Sedes, quae reservat etiam vota Congregationum iuris pontificii (3).

Et hic animadvertendum quod « qui in sacris ordinibus constituti et votis simplicibus ligati ex Apostolico privilegio a votis vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerunt, exire non debent donec Episcopum benevolum receptorem invenerint; secus suspensi manent ab exercitio susceptorum ordinum » (4).

(1) Cfr. *Nervegna*, p. 200, 201; *Lega*, l. c. n. 510.

(2) *Piscetta*, I, n. 250, 251.

(3) Cfr. Const. « *Conditae* » C. II, n. 1. — Quoad vero moniales quae carent votorum solemnitate, dispensatio pariter spectat ad S. Pontificem. Cfr. *Vermeersch*, op. cit. I, n. 426.

(4) Cfr. Decr « *Auctis admodum* » cit.

CAPUT II.

De privilegiis Religiosorum.

86. Plurima Regularibus privilegia concessa sunt, quibus per se gaudent soli Ordines regulares proprie dicti; non autem Congregationes religiosae in quibus eduntur simplicia tantum; nisi aliquibus eorum (ut ecce nostrae) ea vel eorum aliqua concessa sint seu directe seu per communicationem (1).

Primum privilegium Regularium est *exemptio* vi cuius Regulares eximuntur a potestate Ordinarii (2) et Romanae Sedi immediate subiiciuntur quae eos regit per ipsorum superiores. Igitur Praelati Regulares quod ad suos subditos attinet, *quasi Episcopi* sunt. Subditi autem intelliguntur non modo professi sed et novitii; imo et famuli qui resident intra monasterium et sub obedientia eorum vivunt.

Hac exemptione gaudent I circa *sacramenta*; II circa

(1) Communicatio privilegiorum non extenditur ad ea quae odiosa vel nociva alicui Ordini evaderent, velut si essent eius regulae contraria; neque ad ea quae sunt omnino *localia*; neque ad ea quae conceduntur *personae privatae*; neque ad ea quae alicui Sodalitati conceduntur *ad tempus determinatum*, vel *per Brevia particularia*; vel de his quae respiciunt *officia et Missas*. Cfr. *A. M. Ferrari*, op. cit. n. 77.

(2) Domus Regularium ut ab iurisdictione Episcopi eximantur sex saltem religiosos probatae vitae, quorum quatuor sint sacerdotes, alere debent, si suppressionem numquam passae sunt; domus autem civiliter suppressae, saltem tres quorum unus ad minus sit sacerdos. Cfr. *Inn. III*, Decret. « *Instaurandae* » 15 Oct. 1652. Decret. « *Ut in parvis* », 10 Febr. 1654; S. Poenit. 18 Apr. 1867; 12 Sept. 1872. Cfr. *A. M. Ferrari*, op. cit. p. 214. — Advertendum tamen quod in locis missionum nullus numerus religiosorum requiritur ad exemptionem obtinendam. Cfr. *Leon. XIII*, Const. « *Rom. Pontif.* » 8 Maii 1881.

immunitatem a censuris et *reservationem Ordinarii* (1); III circa *sepulturam* (2).

87. Et primum *quoad sacramenta* Religiosi possunt *a*) excipere confessiones *suorum* absque approbatione Ordinarii sed tantum proprii superioris cum iurisdictionem immediate accipiant a Romano Pontifice (3); *b*) administrare *suis* communionem paschalem in propria Ecclesia, licet non sit parochialis; nec non viaticum et extremam unctionem (4); *c*) erigere in suis conventibus et collegiis oratoria privata in quibus licite celebrantur eadem die plures Missae etiam a presbyteris saecularibus (5). Et fideles nedum in publicis

(1) *Ballerini*, in n. 173 *Gury*.

(2) *Bucceroni*, vol. I, n. 272. Cfr. etiam *De Buch* S. I., De exemptione Regularium conservanda et confirmanda. Comment.

(3) Regulares exempti absolvere possunt a casibus per Const. « *Apost. Sedis* ». Episcopis reservatis et a censura canonis (cfr. *Bucceroni*, vol. I, n. 277); sed per se et vi exemptionis *subditos suos* absolvere possunt et iam ab omnibus casibus *papalibus* eodem modo iisdemque in casibus ac Episcopi suos dioecesanos: nisi dispositio iuris qua casus papalis fit episcopalis ad Episcopos exclusive spectet, ut non pauci sentiunt de facultate per concilium Trid. Episcopis concessa absolvendi a casibus papalibus occultis. Cfr. *A. M. Ferrari*, op. cit. pag. 240.

(4) Dicitur *suorum* et *suis*, nam ad valide excipiendas confessiones saecularium, Episcopi approbatione indigent. Item absque Episcopi vel parochi venia in propriis ecclesiis non parochialibus eucharisticum sacramentum in die paschatis dispensare nequeunt Christi fidelibus extraneis; nec ipsis viaticum et extremam unctionem administrare sub poena excommunicationis R. P. s. r. Cfr. Const. *Pii IX* « *Apost. Sedis* » n. XIV. Haec tamen Constitutio non videtur comprehendere instituta religiosa votorum simplicium. Horum institutorum sacerdotes contraveniendo huic Bullae articulo, illicito quidem agunt, at non incurrunt censuram. Cfr. *Gasparri*, De Euch. n. 1078. An autem excomunicationem incurrant religiosi qui administrant alumnis seminarii moderamini ipsorum commissi, controvertitur. Cfr. *Pennacchi*, Comm. in Const. « *Apost. Sedis* » p. 1024; *Gasparri*, l. c. n. 1078.

(5) Regulares ex concessione *Alexandri IV* et *Clem. VIII* possunt ex iusta causa Missam celebrare hora a media nocte se-

ecclesiis Regularium, imo etiam in eorum oratoriis privatis, diebus praeceptis valide S. Missae intersunt (1); *d*) concedere dimissorias propriis subditis ad Episcopum loci, vel ad alium si sedes vacet vel si Episcopus loci ordinationes non teneat (2).

II. Regulares, censuras ab Episcopo latas non incurrunt, neque reservationem episcopalem; ideoque absolvi possunt etiam a non habentibus facultatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis (3).

III. Ad funera autem quod attinet observamus quod possunt Regulares, proprios sodales deferre ad commune coemeterium cum stola, cruce et cantu absque interventu parochi, recto tamen tramite et absque pompa i. e. sine illa solemnitate quae consistere solet in adsociatione numerosi cleri saecularis et regularis, quae quidem associatio fieri nequit absque interventu parochi (4).

cunda. Eodem privilegio uti valent etiam sacerdotes extranei in ecclesiis Regularium sacra litantes. Cfr. *A M. Ferrari*, p. 251.

Parochus autem ius non habet impediendi vel prohibendi, ne Regulares ante Missam parochialem aut eodem tempore quo sacrum fit in parochiali ecclesia celebrent Missam in diebus festis. Neque Episcopum in rigore iuris id posse elucet ex decis. S. C. EE. et RR. in Act. S. Sedis; tom. 24. Cfr. *Aichner*, op. cit. p. 493 not.

(1) Cfr. *Bouix*, et *Bucceroni* h. l. Idcirco non potest parochus cogere parochianos ut praecepto in parochia satisfaciant. Cfr. *Ben. XIV*, de syn. l. XI, c. 14, n. 7. Ita pariter nequit, ex iure communi, impedire quominus Religiosi ad primam communionem in propriis ecclesiis et oratoriis pueros parochianos admittant. Cfr. *Huguenim* et *Bouix*, h. l.; *A. M. Ferrari*, p. 248.

(2) Sed hoc in casu Vicarius Episcopi loci vel Cancellarius vel Segretarius attestare debent Episcopum proximo legitimo tempore ordinationem minime habiturum; secus Ordinans et ordinatus incurrunt poenas contra Ordinationem sine dimissoriis latas. Cfr. Decr. *Clem. VIII*, 15 mart. 1598; Const. *Bened. XIV*, « *Impositi nobis* » 3 Mart. 1747; Acta S. Sedis, vol. XXI p. 364.

(3) *A. M. Ferrari*, l. c.; *Vermeersch*, op. cit. n. 380.

(4) Funera vero saecularium qui forte in aliquo conventu seu monasterio ex hac vita emigraverint, sive hospitio recepti, sive

88. Exemptionis privilegium exceptiones patitur. Nam v. gr. Regulares, verbum divinum ne in suis quidem Ecclesiis, Episcopo contradicente, praedicare possunt (1). Item Episcopus vetare potest Regularibus ne praedicent in suis ecclesiis ea hora, qua ipse per se praedicaturus est, vel qua ipse ex causa publica convocato clero, Magistratu ac populo, concioni assistit (2).

Item quoad librorum impressionem Regulares etiam exempti, subiiciuntur auctoritati Ordinarii et Inquisitoris loci in quo libri edendi sunt (3).

Item in Regulares animadvertere potest Episcopus 1° in iis quae decrevit Tridentina Synodus (4). Nempe contra eos procedit ceu Sedis Apostolicae Delegatus ut ipsa Trid. Synodus declarat. 2° In iis quae pertinent ad clausuram monialium (5). 3° Si Regularis deliquerit quo tempore extra monasterium etiam ex iusta causa et cum licentia Superioris degit, Episcopus in eum animadvertit ceu Sedis Apostolicae Delegatus (6). 4° Si vero Regularis, etsi in mo-

Regularium famuli, operarii, convictores etc. (exceptis tantum novitiis, oblatis, et famulis qui tamquam de familia et perpetui commensales fuerint) a parocho fieri debent. *Ferrari A. M.* l. c. p. 253.

(1) Trid. Sess. V, 2 de ref., et sess. XXV, c. 4; *Clem. X* Const. « *Superna* ».

(2) *Bened. XIV*, De synod. lib. XI, c. 17, n. 7. De iure tamen nequeunt Regulares inhiberi ne in suis ecclesiis praedicent eadem hora qua concio in ecclesia parochiali habenda est. Sed despiciendum etiam erit, quid pax, quid salus animarum, quid forsitan consuetudo postulet. Cfr. *Aichner*, p. 494 not.

(3) Romae liber imprimendus, debet examinari per Card. Vicarium ac a Magistro S. Palatii vel ab iis Delegatis.

(4) Sess. XXII, *Decreta de observandis et evitandis in celebratione Missae.*

(5) *Greg. XV*, Const. « *Inscrutabilis* » 1622.

(6) Trid. sess. VI de reform. c. 3. Eidem legi tenentur regulares qui ad Universitates causa studiorum mittuntur, quando in conventibus non habitant. Ad praecavenda autem mala quae obvenire

nasterio habitualiter degens, extra id notarie deliquerit, ut populo scandalo sit, Superior debet, instante Episcopo, intra tempus ab Episcopo praefiniendum, severe eum punire et de punitione Episcopum certiorem facere: ni fecerit, Episcopus in eum animadvertet (1).

89. Quod spectat ad Congregationes religiosas attendenda Const. « *Conditae* » Leonis XIII quae Episcopi iura definivit.

Haec summa:

I. Episcopus licentiam concedit novas condendi domos, erigendi templa, oratoria publica seu semipublica aperiendi, sacrum litandi in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponendi palam venerationi fidelium, solemnia et supplicationes quae publica sint ordinandi. C. 2, n. III.

II. In alumnos huiusmodi Congregationum habet omnem *iurisdictionem fori interni*; *externi* vero eam quam per censuras, reservationes, dispensationes etc. exercet in reliquos fideles. Quare ipsis designat sacerdotes qui sint a sacris et approbat qui ipsis habeant conciones. Ibid. n. V, VIII.

III. Ipse confert ordines clericis a superiore propositis et litteris dimissorialibus et testimonialibus munitis, ex titulo privilegiato *Congregationis*, *Mensae communis* vel *Missionis*, et peractis studiis theologicis iuxta Decret. cit. « *Auctis* ». Ibid. n. VI.

IV. Adiecta Instituta quae caritatis operibus deputantur ut gynecea, orphanotrophia, scholae, Episcopi vigilantiae subsunt, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administra-

solent clericis saecularibus et regularibus qui universitates Gubernii italici frequentant *Leo XIII* instructionem edidit die 21 Iulii 1898, quae incipit « *Perspectum* » Episcopis ac Superioribus Ordinum et Congreg. in Italia.

(1) Trid. sess. XXV, de regul. c. 14. Quod spectat ad Congregationes religiosas votis simplicibus vide Bullam *Leonis XIII* « *Conditae* » 8 Dec. 1900 cum comm. *P. Vincenzi Nardelli*. Ord. Praed.

tionem, integris privilegiis quae collegiis, scholis et institutis istiusmodi a S. Sede sint tributa. Ibid. n. X. His iuribus est potissimum in visitatione utendum Ibid. n. XI.

V. Visitat Episcopus, templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae; et de iis statuit quae videntur opportuna.

VI. Quoad correctionem, prius quam ipse per se consulat, sollicitet diligentiam moderatorum. In rebus maioris momenti adeunda S. C. EE. et RR. (1).

90. Quoad officium parochiale religiosorum praemittendum est, ecclesiam curatam uniri posse vel incorporari conventui, vel non. In primo casu unio vel incorporatio tripliciter fieri potest:

I. Unio potest esse *non pleno iure* scilicet quoad temporalia tantum, quatenus conventus fruitur simpliciter reditibus. Per hanc unionem ecclesia parochialis permanet saecularis, regitur per clericum saecularem instituendum ab Episcopo cui subiacet ex integro, salvo iure monasterii partecipandi de fructibus beneficii et nominandi clericum instituendum.

II. Fit *pleno iure* quando scilicet administratio curae animarum transfertur in monasterium sed Ecclesia et populus remanet sub ordinaria iurisdictione Episcopi dioecesani. Tum regi potest per vicarium saecularem vel regularem qui nominatur sine concursu a Praelato regulari sed probari debet ab Episcopo. Hinc vicarius quoad spiritualia subest iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi (2). Potest removeri a Superiore regulari certiorato tamen Episcopo, vel ab Episcopo qui rogat Superiorem reg. ut eum removeat.

III. Tertia species fieri dicitur *plenissimo iure* quando

(1) Cfr. *Nardelli*, Comm. ad Const. « *Conditae* » et *Vermeersch*, op. cit. I, n. 384.

De Congregationibus autem mulierum vide ipsam Const. « *Conditae* » in Appendice.

(2) Trid. sess. XXV; c. 11, de reg.

scilicet non solum ecclesia sed et populus eximitur a iurisdictione Episcopi et subiicitur prorsus monasterio. Hinc constituitur territorium separatum et ecclesia *nullius*. Hoc in casu nihil potest Episcopus, sed parochus tum quoad institutionem, correctionem et visitationem, tum quoad remotionem a Praelato regulari pendet (1).

91. Si vero ecclesia neque quoad reditus neque quoad directionem spiritualem seu animarum curam alicui conventui unitur et a parocho regulari regitur, tunc visitationi episcopali subiacet.

Parochus autem regularis omnibus regulis tenetur, iis exceptis quae officium impediunt; et regulariter subditur Praelato suo.

In iis tamen quae curam animarum et sacramentorum administrationem spectant subest Episcopo; item in iis quae ad regimen temporale seu rerum temporalium administrationem pertinent.

Scilicet regularis, sive praesit parochiae proprie dictae sive simplici, ut aiunt, *missionis*, distinguere apprime debet quae ad seipsum suosque sodales spectant ab iis quae *intuitu parochiae sive missionis* tributa fuerint. De primis non tenetur rationem reddere Episcopo, sed de secundis; ita declaratum est a S. Congr. de Prop. Fide ubi de missionibus anglicanis agebatur, et haec decisio transiit autem in ius commune (2).

92. Confraternitates locales in ecclesiis aut claustris Regularium extantes possunt ab Episcopo visitari quoad bona et reditus, non tamen quoad internum regimen (3).

(1) Trid. l. c. P. II, decr.; *De Angelis*, t. II, p. II, p. 206 et seqq.; *Santi*, III, tit. XXXVII; *A. M. Ferrari*, op. cit. p. 202 et seqq.

(2) *Icard*, op. cit. II, n 406; *Nervegna*, op. cit, pag. 139. In praesenti disciplina Regulares nequeunt ad Ecclesias saeculares nominari absque speciali summi Pontificis indulto, exceptis, nisi obstet eorum Regula, Religiosis improprie dictis, apud quod vota solemnia non emittuntur. Cfr. *A. M. Ferrari*, op. cit. pag. 203.

(3) S. C. 31 Iul. 1637 et 16 Nov. 1646. Cfr. *Bizzarri*, Collect. I, p. 227 ei II, p. 249.

Nota. — Reliqua religiosorum privilegia clausa reperiuntur in libris eorum privilegiorum.

CAPUT III.

De interno regularium regimine.

93. I. **De potestate superiorum regularium.**

Duplex distinguitur in Superioribus regularibus potestas, *dominativa* seu *domestica* et *iurisdictionalis.*

Potestas dominativa est ius dirigendi sodales ad bonum commune sodalitatis et exurgit ex voto obedientiae quo Religiosi sese tali Religioni tradiderunt.

Potestas iurisdictionis proprie dicta est ius dirigendi subditos in ordine ad vitam aeternam; ad claves Ecclesiae pertinet, a Christo Ecclesiae data est et per Ecclesiam ad Superiores regulares derivata (1).

94. Gaudent hac duplici potestate superiores Ordinum proprie exemptorum scilicet votis solemnibus (2); in Con-

(1) Ad rem *Suarez,* De Religione, tom. 3, l. 2, c. 18, n. 5: « Oportet animadvertere, nomine *iurisdictionis,* in praesente significari potestatem spiritualem ad claves Ecclesiasticas pertinentem, et consequenter a Christo Domino datam vel derivatam, mediante Vicario suo vel aliis Episcopis. Per potestatem autem dominativam intelligi oportet ius acquisitum religioni et praelatis eius ad imperandum religiosis et utendum operibus eorum prout conveniens iudicaverint. Quae potestas si in religione reperitur non pertinet ad claves, nec a Christo descendit per specialem donationem ab Ecclesia factam sed orta radicaliter a voluntate profitentium talem regulam et se donantium religioni, cum promissione et obligatione obediendi secundum illam. Unde manifestum est talem potestatem, si est, distinctam esse a potestate clavium, et consequenter a iurisdictione proprie dicta et explicita quamvis improprie et abusive loquendo vocari possit iurisdictio extendendo hanc vocem ad omnem potestatem imperandi et cogendi quam habet pater in filium et dominus in servum ».

(2) Quaestio est an Superiorissis monialium competat iurisdi-

gregationibus virorum votis simplicibus generatim loquendo et salvis specialibus privilegiis, Superiores habent tantum potestatem dominativam, ideoque non sunt veri Praelati (1).

Hodie tamen post latam Const. « *Conditae* » Congregationes religiosae, vel erunt plene exemptae, vel participabunt imperfectam exemptionem, quae ius commune evasit Congregationum Pontificii iuris.

Superiores Congregationum quae plenam exemptionem nactae sunt pollent etiam iurisdictione, ideoque ut Praelati considerandi.

E contra Superiores non exempti ordinaria in suos iurisdictione carent; possunt tamen delegatam, etiam ab Episcopo accipere (2).

ctio spiritualis eodem modo ac Praelatis regularibus. Comunissima tamen sententia est apud theologos et canonistas moniales carere iurisdictione spirituali. Cfr. *Pellizzarium*, De Monialibus, edit. non prohib. p. 239 seqq.; *Suarez*, tom. 4, tr. 8, l. 2, c. 9, n. 11; *Bouix*, De iure Regularium, tom. 2, p. 425; *Icard*, II, p. 317.

(1) Posse autem statum religiosum esse cum sola potestate dominativa intra religiosum ordinem existente sic probat *Suarez*, op. cit. n. 8: « Haec potestas quasi dominativa et domestica, ut sic dicam, seu oeconomica, sine alia propria iurisdictione quae sit in abbate, priori, vel alio simili praelato proprio et immediato religiosi conventus, sufficiens est ad verum statum religiosum constituendum. Hanc assertionem mihi probat sufficienter argumentum sumptum ex monasteriis monacharum: in eis enim abbatissa non habet iurisdictionem spiritualem (ut est communis sententia et doctrina)...., et nihilominus moniales illi subiiciuntur ut matri, tenenturque illi parere secundum regulam, quam sunt professae. Et haec potestas, ex parte abbatissae, et subiectio ex parte aliarum, sufficit ad veram religionem in tali statu constituendam.... Idem argumentum sumi potest ex antiquis monasteriis monachorum. Nam verisimile est instituta fuisse sine speciali iurisdictione, quae praefectis talium monasteriorum communicata fuisset ».

(2) Cfr. *Vermeersch*, op. cit. l. n. 454,455. Superiorissae autem Congregationum exemptorum eam exercent potestatem dominativam quam habent Abbatissae Ordinum. Cfr. Const. « *Conditae* » cit. *Battardier*, op. cit. p. 2, c. 2-5.

Ob potestatem iurisdictionis Superiores Ordinum exemptorum facultatem habent condendi leges ecclesiasticas in capitulis generalibus; extra capitula ex iure particulari tantum promulgare valent ordinationes perpetuas ad instar legum ecclesiasticarum, ad administrationem spectantes.

Possunt etiam Praelati regulares authentice interpretari, abrogare vel immutare suas vel suorum praedecessorum et inferiorum ordinationes; non tamen constitutiones fundamentales Ordinis, nec decreta capitulorum generalium (1). Item dispensare ex lege generali in casibus particularibus super statutis Ordinis, et super legibus Ecclesiae in iis tamen in quibus et Episcopi (2).

95. E potestate iurisdictionali emanat potestas *iudiciaria* et *coërcitiva* quibus tamen in sensu proprio et stricto non pollent nisi superiores (sive generales, sive provinciales, sive locales) Ordinum exemptorum vel qui ipsis ex privilegio aequiparantur. Alii habent certo aliquam potestatem coërcendi et corrigendi subditos, sed paterno modo ex potestate dominativa et iuxta limites regulae.

E contra Praelati regulares exempti et privilegiarii *in foro interno* facultate gaudent a S. Pontifice accepta, excipiendi suorum confessiones et hanc potestatem sive plenam sive limitatam in suos exercendam subditis delegandi (3); *in foro autem externo* sive in materia religiosa v. gr. in causis nullitatis professionis (4), sive in causis criminalibus pote-

(1) Hoc quandoque provisorio modo vel speciali pro praxi conceditur. Cfr. *Wernz,* III, n. 689; *Piat,* l. c. p. 569 seqq.

(2) *Suarez,* op. cit. l. c. 12 seqq.; *Piat,* l. c. pag. 570; *Wernz,* l. c.

(3) Cfr. tamen Decretum *Leonis XIII* editum d. 17 Dec. 1890, quo praecipiuntur normae quoad cordis et conscientiae intimam manifestationem in coenobiis virorum aut mulierum. *Acta S. Sedis,* tom. XXIII, p. 505.

(4) Speciales procedendi regulas pro hoc casu determinavit *Bened. XIV,* in Const. « *Si datam* ». Haec tamen constitutio pertinet ad Ordines approbatos cum votis solemnibus; quare professio votorum simplicium si invalide fuerit emissa, per sententiam iu-

statem habet iudicialem (1); et subditos suos ex informata conscientia etiam a confessionibus audiendis suspendi possunt (2); neque carent potestate coërcitiva qua iusta de causa infligere possunt censuras personis sibi subditis (3); item delinquentes punire poenis vendicativis ex gr. privatione officiorum et vocis activae et passivae (4) etc.

96. II. **De electione.**

Ad electionem Superiorum regularium quod spectat hic tantum aliquid adnotamus *de forma*. Electio fieri debet solum per scrutinium scilicet per secreta suffragia, non autem per compromissum aut per quasi inspirationem (5), ad tramites iuris communis (6) et iuxta constitutiones singulorum Ordinum et Congregationum.

dicialem, nulla declarari potest, sed proceditur rerum veritate inspecta non observata forma Const. « *Si datam* ». Ita S. C. sup. stat. reg. 12 Iun. 1858, n. 4, 5.

Quoad Moniales, si Congregatio obtinuerit pontificiam approbationem, requiritur etiam venia Sedis Apostolicae. Cfr. « *Conditae* », c. I, n. 8; c. II, n. 1.

(1) At processus conficiendus est semper *ritu summario* arg. c. c. 24 § *ultimo* et 26, *De accus.* X (V. 1), servatis quoque legitimis consuetudinibus. Cfr. *Reiff.* De accus., n. 317; *Lega*, lib. II, vol. IV, n. 503.

(2) Trid. sess. XIV, c. 1. de reform.; *Wernz*, III, n. 691.

(3) Const. « *Sanctissimus* » *Clem. VIII*; *Bouix*, l. c. p. 636; *Piat*, l. c. t. I, p. 588 seqq.

« Excludendum tamen est, ait *Suarez*, op. cit. tom. 4, tr. 8, l. 2, c. 9, n. 4, interdictum locale quod non potest ab his praelatis imponi..... De interdictione locali est specialis ratio, quia quodam modo redundaret in personas non subiectas ipsis praelatis regularibus; et propterea non est in eis data tam ampla potestas, quanta est in Episcopis ». Item nequeunt praelati regulares (sicut nec cetera quin ipse Episcopus erga suos subditos) irregularitatem proprie dictam imponere. (*Suarez*, ibid. n. 7).

(4) Cfr. *Wernz*, III, n. 692; *A. M. Ferrari*, p. 282.

(5) Trid. sess. XXV, c. 6 et seqq.; *Wernz*, II, n. 379 not.

(6) C. 42, X, de elect. 16.

97. III. **De visitatione.**

Inter obligationes superiorum regularium recensenda et visitatio canonica. « *Superiores regulares*, ait Tridentinum (1), *tenentur suae Congregationis monasteria frequenter visitare et illorum reformationi incumbere.* » Sufficit vero si visitatio ordinaria semel in anno fiat, nisi Ordinis statuta frequentius fieri requirant (2). Superior generalis totam Congregationem per se vel per *visitatores* delegatos visitare debet; provincialis quotannis omnia suae provinciae collegia quae nec Superior generalis nec visitatores visitaverint.

Distinguenda tamen est visitatio *specialis* seu *iudicialis* in qua nimirum Praelatus procedit ut iudex, a *paterna* seu *ordinaria* (3) in qua instar patris familias ex sola auctoritate dominativa procedit (4).

(1) Sess. XXV, c. 8, de reform.

(2) *Reiffenstuel*, l. c. n. 273; *Craisson*, l. c. n. 3060.

(3) De visitatione ordinaria seu paterna haec habet *Reiffenstuel*, in tit. 1, lib. 5, Decret. n. 271 : « Visitatio ordinaria regularium est inquisitio generalis de vita et moribus regularium, ad hoc instituta ut praelatus pastor vultum pecoris sui cognoscens, delinquentes contra regularem observantiam et disciplinam, aliasque obligationes corrigere, et emendare; bene ambulantes vero praemiare, ac quemvis iuxta qualitates et merita promovere; media convenientia contra defectus vel excessus praescribere; sicque disciplinam regularem restituere, conservare et augere valeat... Licet visitationes ordinariae regularium principaliter instituantur, ad cognoscendos et tolerandos defectus vel excessus regularium, tamen illuc etiam tendunt, ut ea mediante cognoscantur quoque boni religiosi et qualitates eorum, quatenus sciat praelatus maior quales religiosos aliis praeficere, vel ad officia applicare possit ac debeat ».

(4) Cavendum tamen est ne visitatio superiorum in meram exstrinsecam formalitatem vertetur. Nam cum illa visitatione coniuncta esse solet obligatio superioris Generalis in Congregationibus votorum simplicium singulis trienniis transmittendi relationem de universo statu Congregationis religiosae ad S. C. EE. et RR. Cfr. Decr. S. C. EE. et RR. 19 Iul. 1895; *Piat*, l. c. t. p. 396, 635; *Ferrari*, l. c p. 273 seqq.; *Wernz*, III n, 694.

98. IV. **De capitulis.**

Quoad denique capitula sive generalia sive particularia quae in Ordinibus religiosis vel Congregationibus convocari solent ad celebrandas electiones, sive ad tractanda graviora negotia, standum est decretis sedis Apostolicae et constitutionibus Ordinis religiosi vel Congregationis (1).

99. **Nota.** — *De Ordinum religiosorum externo regimine* quod complectitur omnes Praelatos extra ordinem religiosum constitutos qui in religionem vel congregationem religiosam potestatem ordinariam vel delegatam exercere possunt, post ea quae diximus de R. Pontifice et Episcopis, heic aliquid addere manet quoad *Conservatores* et *Protectores* qui ad defendenda et servanda religiosorum privilegia eis praesidio dantur.

Conservatores sunt particulares iudices a S. Pontifice delegati ad aliquos defendendos contra manifestas iniurias, molestias et violentias absque indagine iudiciali (2).

Conservatores sibi eligere possunt regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa et peculiaria privilegia a S. Apostolica obtinuerunt, sed et ceteri alii, virtute communicationis privilegiorum cum ipsis; ut expresse declaravit S. Congregatio Concilii 12 Sept. 1620 (3).

Tamen nostris temporibus disciplina eccl. de Conservatoribus ita videtur immutata ut eorum officium non amplius sit practici momenti (4).

Protectores dicuntur Cardinales in Urbe residentes qui a R. Pontifice Ordinibus religiosis et Congregationibus votorum simplicium conceduntur ut bonum statum Ordinis vel Congregationis conservent et promoveant, salva tamen

(3) Decr. *Pii IX* 29 Maii 1862 apud *Bizzarri*, l. c. p, 168; S. C. EE. et RR. 27 Iul. 1860 ad 4; 3 Sept. 1892 ad 5. Cfr. *Bizzarri*, l. c. p. 832; *A. M. Ferrari*, p. 283; *Wernz*, III, n. 696.

(4) Cfr. *Ferraris*, v. *Conservatores*, n. 1.

(5) *Ferraris*, l. c. 2.

(1) Cfr. *Bouix*, l. c. p. 157; *Viat*, l. c. t. II, pag. 90, 119 seqq.; *Wernz*, II, n. 562, 709; III, n. 699.

potestate Congregationis EE. et RR., Ordinariorum loci, et Superiorum regularium (1), et absque ulla propria iurisdictione (2).

100. Scholion. — **Brevis evolutio historica status religiosi.**

Status religiosus originem ducit (3) a primis Ecclesiae saeculis, quinimo Apostolis quasi coevus dici potest cum iam in Ecclesia Alexandrina, *ascetarum* mentionem inveniamus (4).

Post ascetas memorantur *anachoretae* seu *eremitae*, et *coenobitae* seu *monachi* quorum auctores et illustrato-

(1) Cfr. Const. « *Christi fidelium* », *Inn. XII*, 12 Febr. 1694; *Bouix*, l. c. p. 168, 169; *Wernz*, III, n. 699.

(2) Ita res intelligit inter alios Card. *De-Luca*, De Regularibus, disc. 23, n. 4: « Nullibi, inquit, in iure haec assistentia seu iurisdictio attributa legitur Cardinali protectori; cui commissa solum est protectio, quae de sui natura iurisdictionem non importat, ut firmatur per Rotam (decisione 34, n. 5, part. 4 recentiorum, tom. 2) ».

Eorum autem officium ita determinat Card. *Petra*, (Tom. 4, p. 162, n. 7, edit. Venet. 1741): « Optimi regularium protectoris partes sunt, ordinem sibi commendatum in quieto et pacifico statu conservare et augere, ab impugnantibus et molestantibus protegere et tueri, ac etiam invigilare cum regulis *prudentibus potius quam iurisdictionalibus* ne subditi a superioribus opprimantur ».

(3) Ad quaestionem utrum status religiosus iuris divini an vero ecclesiastici sit, dicendum cum *Suarez*, tom. 3 de relig. tract. 7, I, 3, statum religiosum quoad substantiam ab ipso Christo esse traditum et institutum quippe qui homines ad tria consilia evangelica hortatus sit; proin hunc statum esse de iure divino non praecipiente sed consulente. Et haec sententia, ait idem *Suarez*, est omnium catholicorum recte sentientium. Sed quia Christus peculiarem vivendi modum seu regulam religionis non praescripsit, singuli Ordines prout in concreto existunt, humanae dumtaxat sunt institutionis; et status religiosi essentiam accuratius sola determinat Ecclesia.

(4) Cfr. *Selvagio*, antiq. christ. l. I, p. II, c. XII; *Thomass.* Discipl. p. I, l. III.

res fuerunt Paulus et Antonius (1), Hilarion et Pachomius (2).

Decursu temporis status religiosus in varios ordines dispertitus est ratione Regulae sub qua Deo militant, et finis proprii quem intendunt.

Distinguemus ergo hanc vitae religiosae evolutionem in quinque periodos seu epochas, scilicet: epocha *monachismi*, *canonicorum regularium*, *hospitalarium* et *militarium*, *clericorum regularium.*

101. I. **De ordinibus monachalibus.**

Religiosi huius epochae principaliter vacant contemplationi rerum divinarum, orationi, lectioni aliisque pietatis officiis (3). Ordinibus monachalibus regulas dederunt S. Basilius (4) in Ecclesia orientali, et Benedictus in occidentali. Ordo S. Benedicti in complures congregationes seu potius novas religiones divisus est. Ita prodierunt congregationes *Cluniacensium* a S. Oddone (an. 927-921); *Camaldulensium* a S. Romualdo (an. 1027); *Vallumbrosanorum* a S. Ioanne Gualberto († an. 1073); *Carthusianorum* a S. Brunone (a. 1084); *Cistercensium* (5) a S. Roberto (1098) (6).

(1) *S. Hier.* epist. ad Eustochium.

(2) *Euseb.*, Hist. eccl. l. VI, c. 42; l. VIII, c 6, 9, 10, 13; *Hengenroether* et alii apud *Wernz*, III, n. 602.

(3) Cfr. *S. Greg.* Cap. *Nem.* 2, *Monachus* 4, *Si cupis*, 5, caus. XVI, q. I.

(4) Diffusa est postea haec religio etiam in Italia et Hispania. *Gregorius XIII*, Const. « *Benedictus* » an. 1579, et *Clemens VIII*, Const. « *Quae ad restitudendas* » an. 1592, cuncta monasteria Ordinis S. Basilii in Italia, Sicilia et Hispania erecta et in posterum erigenda sub obedientia unius Abbatis generalis coniunxerunt. Cfr. pariter *Leonis XIII*, Lit. Ap. 12 Maii 1882 pro Gallicia in regione Ruthenorum.

(5) Ordinem Cisterciensem illustravit S. Bernardus Abbas monasterii Claraevallensis.

(6) Ab ordine Cisterciensi orti sunt *PP. Trappenses* sic dicti a monasterio S. Mariae de Trappa, quos Abbas *De Rancé* reformavit saec. XVII.

102. II. **De canonicis regularibus.**

Hi ordines, fundatores habent S. Eusebium Vercellensem et S. Augustinum (1); et vitam mixtam agunt, cum adsccient exercitia vitae monasticae sacro ordinis clericalis ministerio. Ex his principem locum tenet Ordo Canonicorum *Lateranensium* atque *Praemonstratentium* a S. Norberto institutus (1120).

103. III. **De ordine mendicantium.**

Etiam duplex finis huic Ordini est scilicet contemplatio et exercitium sacri ministerii, cum praestent ecclesiis famulatum quo indigent.

Quatuor praecipui ordines sunt: *Carmelitae* qui regulam acceperunt ab Alberto Patriarcha Constantinop. et reformati sunt a S. Theresia (1562); *Domenicani* qui fundatorem venerantur S. Domenicum († a. 1221); *Fratres minores* a S. Francisco instituti († a. 1236) (2); *Augustiniani* ab Alexandro IV in unum corpus redacti sub regula S. Augustini (circa medium saec. XIII).

104. IV. **De clericis regularibus.**

Clerici regulares praeter finem quem prosequuntur Mendicantes, instituti sunt ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam et ad innovandum in clerum spiritum vocationis suae.

Primi, ordine temporis, veniunt *Theatini* fundati a S. Gaetano Thiene et Petro Carafa (an. 1524); *Barnabitae* quos instituerunt tres nobiles viri mediolanenses, S. Antonius Zaccaria, Bartholomaeus Ferrari et Iacobus Morigia (a. 1533).

(1) Brev. Rom. et S. Aug. sermo CCCLV alias XLIV.

(2) Sub regula S. Francisci militant tres congregationes generales: *Observantes* (uniti in unam familiam a *Leone XIII* Const. « *Felicitate* » 4 Oct. 1897); *Capuccini* quibus *Clem. VII*, Const « *Religionis* », 3 Iul. 1528; approbationem impertitus est, atque *Paulus V*, Const. « *Alias* », 23 Ian. 1619 omnimodam independentiam ab aliis familiis concessit; *Conventuales* qui a *Leone X* Const. « *Ite* » 29 Maii 1517 definitivo modo divisi sunt ab *Observantibus*. Cfr. *Wernz*, n. 603 in not.

Somaschi a S. Hieronimo Aemiliani (a. 1537); *Iesuitae* a S. Ignatio de Loyola (a. 1540); *Clerici* regulares ministrantes infirmos a S. Camillo de Lellis (1584).

105. V. **De ordinibus militaribus et hospitalaribus.**

Ordines militares instituti sunt ad defendendos peregrinos ad loca sancta et ipsam Ecclesiam contra infideles. Ex his, mutato scopo practico, nostra aetate duo solummodo incolumes manserunt, scilicet Ordo S. Ioannis Hierosolomitani vulgo *equites melitenses* (an. 1118), et Ordo *equitum Teutonicorum* (an. 1190).

Militaribus ordinibus affines sunt *Trinitarii* et *Mercedarii*, alteri a S. Felice de Valois fundati (a. 1198), alteri a S. Petro Nolasco et B. Raymundo de Pennafort (a. 1235) pro redemptione captivorum apud infideles.

Hospitalares autem se devovent exercitiis charitatis erga peregrinos, pauperes et aegrotos. Praecipui sunt qui patrem habent S. Ioannem de Deo (an. 1550).

106. Praeter Ordines religiosos proprie dictos multas Congregationes pias suscitavit Deus ad fines speciales (1). Haec sunt ex gr.: Congregatio *Oratorii* a S. Philippo Neri (a. 1564); Congregatio *Lazzaristarum* a S. Vincentio a Paula instituta (a. 1624); Congregatio *Fratrum Doctrinae christianae* a S. Ioanne La Salle (a. 1679); *Passionistarum* a S. Paulo de cruce (a. 1725); *Redemptoristarum* a S. Alphonso (a. 1732) etc. (2); et saeculo p. p. Congregatio *Rosminianorum* ab abb.

(1) Ordines religiosi distinguuntur a Congregatinibus religiosis, non a parte rei, non a natura votorum (solemnium, simplicium), non denique a modo acceptationis, sed a voluntate Ecclesiae. Ecclesia scilicet a cuius voluntate pendet existentia et conditio Institutorum publicorum religiosorum statuit alia esse propria religiosa, et qua talia submitti legibus et perfrui iuribus status religiosi: alia vero sic approbat ut velit illa accenseri Congregationibus saecularibus. Hanc rationem affert *S. Vincentius a Paula* in suis litteris, tom. III, pag. 135, edit. an. 1880. Cfr. *Icard*, II, n. 445.

(2) Cfr. *Icard*, l. c.; *De Camillis*, op. cit. I. p. 310 et seqq.; *Bal-*

Rosmini; Congregatio Sacerdotum a *S. Stigmatibus S. Francisci* a P. Bertoni; et *Salesianorum*, quae a Patre nostro suavissimo I. Bosco instituta, approbata fuit a S. P. Pio IX s. m. an. 1875 (1).

PARS II.

DE REBUS

107. Nomine *rei* in iure comprehenditur quidquid est extra personas et iudicia (2).

Summa rerum divisio, ut ait Gaius iurisconsultus, in duos articulos deducitur: nam aliae sunt *divini iuris*, aliae *humani* (3).

Res autem divini iuris dividuntur in *spirituales* et *temporales*.

Spirituales sunt quae directe respiciunt ad gloriam Dei in ordine supernaturali et ad animarum sanctificationem, atque huc spectant sacramenta, sacramentalia, indulgentiae etc. Pertinent etiam ad spirituales quae a Romanis *sacrae* et *religiosae* appellabantur (4). *Sacrae* quae scilicet Deo

mes, op. cit. II et III a cap. XXXVIII ad cap. XLVII; *Wernz*, III, n. 599 et seqq.; *M. De-Luca*, I, 356 et seqq.; *A. M. Ferrari*, op. cit. p. 28 et seqq.; *Lombardi*, I, p. 305 et seqq.; *Vermeersch*, op. cit. I, n. 56.

(1) Ad foeminas quod spectat, vita religiosa plus minusve eodem modo se evolvit ac pro maribus, qua tamen muliebris sexus imbecilla conditio id ferebat. Inter eas congregationes religiosas quae sunt numerosissimae, saltem speciminis causa pro diversitate operum misericordiae allegari possunt: Sorores *S. Caroli Borromaei*, *S. Vincentii*, *Boni Pastoris*, *S. Ioseph*, *SS. Cordis Iesu*, *Filiae M. SS Auxiliatricis* etc. Cfr. *Lombardi*, l. c. et *Wernz*, l. c.

(2) *Devoti*, Inst. can. l. II, tit. I, § I.

(3) Inst. II, 2.

(4) Inst. II, § 7.

divinoque cultui dicatae sunt, ut ecclesiae, altaria, vasa sacra, ornamenta etc.; et *religiosae* quae vel pio hominum usui intuitu religionis sunt destinatae ut coemeteria, coenobia, etc., vel ad doctrinam excolendam et caritatem exercendam, ut seminaria, confraternitates, hospitalia, etc. (1).

Temporales illae dicuntur quibus corporalis tum clericorum, tum pauperum vita sustinetur, aut quibus comparantur quae cultui divino inserviunt ut sunt reditus ecclesiarum, fructus beneficiorum etc.

Hic non agemus de sacramentis, sacramentalibus et indulgentiis quae sufficienter explanavimus in tract. *De re sacramentaria* (2); nec de celebratione festorum, de cultu sanctorum de precibus publicis seu divino officio, quae adamussim apud Theologos reperies (3).

Aliquid tantum dicemus I de rebus sacris et religiosis; II de bonis temporalibus et speciatim de beneficiis ecclesiasticis, nec non de eorum adeptione, administratione et alienatione.

(1) Haec ad res spirituales referuntur quia spectant exercitium virtutis religionis praesertim charitatis in Deum, ideoque et ad animarum sanctificationem pertinent. Cfr. *M De-Luca*, II, n. 4.

(2) *Munerati*, Theol. sacramentariae Elementa.

(3) *Piscetta*, op. cit. vol. I, et II.

SECTIO I.

DE REBUS SPIRITUALIBUS.

CAPUT I.

De rebus sacris.

ARTIC. I.

De Ecclesiis.

103. Nomine *ecclesiae* hoc loco intelligitur templum manufactum (ἐκκλησιαστήριον) in quo fideles congregantur ad cultum divinum exercendum et ad recipienda sacramenta (1).

Aedificatio — Ut ecclesia aedificetur, requiritur in primis licentia Episcopi qui per se vel per sacerdotem delegatum crucem in loco designato figit et primum lapidem ponit (2).

(1) Primis Ecclesiae saec. loca ubi Apostoli Sacrum litabant nuncupata fuere *coenacula*; et ab initio erant cubicula in privatis domibus existentia. Progressu temporis a domibus distincta et sacris addicta, *dominica* vel *martyria* appellabantur, quia Domino dicata vel prope martyrum sepulcra extructa. Cfr. *Ferrais*, Liturgia Missae, tit. III, c. I.

Ecclesiae aliae dicuntur *Basilicae* si magis insignes sunt antiquitate et magnitudine vel celebritate. Aliae *Metropolitanae*, *Cathedrales*, *Collegiatae* secundum quod in ipsis sedem habet Metropolita, Episcopus vel Collegium canonicorum. Aliae *matrices*, aliae *filiales* etc. si eorum origo spectetur; *parochiales* denique, *regulares*, vel *saeculares* ratione regiminis.

(2) Can. 9 de consecr. dist. I. Cfr. Card. *Petra*, Const. II Pasqualis II, sect. I, n. 1. Et religiosi etiam exempti hanc Episcopi licentiam petere debent si vel ipsi conventui exempto iam existenti

Episcopus hunc consensum denegare nequit, modo :

a) adsit iusta causa, ut v. gr. commodum et necessitas populi (1); *b*) nova ecclesia dote competenti gaudeat ad eius conservationem et decus, nec non ad sustinendos ministros qui ipsi addicuntur (2); *c)* erectio praeiudicium non afferat aliis ecclesis in eodem loco iam antea erectis, praesertim si de ecclesiis parochialibus agitur (3).

Ecclesia autem reparanda et restauranda est ex reditibus fabricae ecclesiae si adsunt; iis deficientibus onus reparationis devolvitur ad eos qui ex pacto, vel statuto vel consuetudine ad restaurationem obligantur (4).

109. **Consecratio-benedictio** — Ecclesia aedificata, ex antiquo more (5) cultui divino dedicatur per consecrationem vel benedictionem (6). Consecratio differt a benedictione per ritum et ministrum. In consecratione ritu solemni unguntur sacro chrismate duodecim cruces pictae aut sculptae in parietibus. In benedictione asperguntur tantum parietes in parte superiori et inferiori cum aqua benedicta, servando

sed a dioecesi non separato ecclesia nova et publica adiungere cupiant. Cfr. *Leonis XIII,* Const. « *Romani Pontifices* » 8 Maii 1881; *Wernz,* III, n. 430.

(1) Can. 10 dist. I *de consecr.* cap. 3 et ultim. *de eccl. aedific.*; conc. Trid. sess. XXI, c. 4 de ref.

(2) Can. 8, *De consecr.* III, 40. Etiam ex iure civili haec dos exigebatur. Cfr. Nov. 67, c. 2.

(3) Cap. I, *de nov. op. nuncup.* Cfr. *Gasparri,* de S. Euch. n. 125; *Ferraris* v. *Ecclesia,* ar. 4, n. 15; *Sanguineti,* op. cit. tit. III; *Wernz,* II, n. 242 et seqq.

(4) Cfr. Rescript. *Ben. XIII* « *Plus et misericors* » 1725; *Lucidi,* op. cit. III, App. V.

(5) Sacra templa, sin antea, certe a tempore Pontificis S. Silvestri I, an. 314-337, speciali ritu erant Deo dicanda. Cfr. *Ferrais,* l. c.; *Devoti,* Inst. Can. lib. III, § 16.

(6) « Episcopi incumbere debent ut ecclesiae saltem cathedrales et parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores ecclesias, si nolint uti iure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant sacerdotibus eas benedicendi ». S. R. C. 7 Aug. 1875.

caerimonias iuxta Pontificale romanum. Consecratio solo Episcopo competit; benedictio etiam presbyteris, et praecipue vicariis foraneis committitur (1).

Quoad autem effectus spirituales, nullum discrimen existit inter ecclesiam consecratam et benedictam (2).

110. Ecclesia execratur si tota aut notabilis pars murorum (3) corruat vel destruatur, ut, licet eadem materia maneat, de novo extrui debeat (4).

Polluitur quando in ea perpetrantur delicta quae directe ejus sanctitatem offendunt, v. gr. homicidium voluntarium, culpabilis effusio sanguinis humani, actus luxuriae perfectus, et sepultura excomunicati vitandi, vel haeretici vel non baptizati (5). Ecclesia execrata ut divino cultui restituatur denuo est consecranda vel benedicenda. Si

(1) Ritual. rom. tit. VIII, c. 2; *Vecchiotti*, vol. II, c. V, § 56; *Azevedo*, Exercitationes eccl. Exerc. LXIX, de dedit. ecclesiae.

(2) Ecclesia benedicta et auctoritate Episcopi ad sacramenta administranda erecta, ait *Quarti*, gaudet iisdem privilegiis quibus ecclesia consecrata, ut docent communiter DD. in titulum *de consecratione*, quos citat et sequitur *Suarez*. Comm. in Rubr. Missalis, p. III, tit. X, sect. I, subs. 3.

(3) S. C. R. 4 Sept. 1875 ad 2.

(4) Iuxta aliquos recentiores auctores execratio locum habet etiam si ecclesia in *perpetuum* ad usus profanos fuerit conversa. Cfr. *Icard*, op. cit. vol. II, n. 556; *Wernz*, III, n. 441.

Iuxta vero alios conversio ad usus profanos ecclesiam non violat, et solum ad cautelam tales ecclesias per sacerdotem delegatum denuo reconciliantur. Cfr. *Aichner*, p. 721.

Consecratio tamen non perditur si solummodo tectum innovetur, si tota crusta (vulgo *intonaco*) deiecta fuerit, aut tantum altare etiam maius execratur, vel si ecclesia amplificatur, ita tamen ut nova pars addita sit minor. Cfr. *Aichner*, p. 720; *M. De-Luca*, II, tit. XV, n. 290; *Lehmkuhl*, II, n. 221.

(5) Cfr. *Schmalz*. l. III, tit. 48, n. 63; *Santi*, III, tit. LX n. 6, *Gasparri*, De SS. Euch. n. 250 et seqq.

Rubrica Missalis ait: « Si Sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante canonem, dimittatur Missa: si post canonem, non dimittatur ».

polluta fuerit, reconcilianda est proprio ritu (1) ab Episcopo (2) si consecrata erat; a quolibet sacerdote ab Episcopo delegato si benedicta tantum fuerit.

111. **Immunitas** — Ad immunitatem (3) localem pertinet, ut vidimus in iure publico, ecclesiarum immunitas quae duo complectitur: 1. *prohibitionem ne in iis actus profani exerceantur*, ut sunt v. gr. iudicia civilia et criminalia, nundinae, negotiationes, ludi theatrales, convivia etc. (4); 2. *ius asyli* quod consistit in privilegio quo illi qui confugiunt ad ecclesiam et extensive ad alium locum sacrum vel religiosum, immunes a vi qualibet fiunt, ita scilicet ut inde violenter extrahi aut ad supplicia capitalia rapi non possint.

Ius asyli quod originem et fundamentum habet in reverentia ac sanctitate ecclesiarum, non tam legibus positivis

(1) Cfr. Pontif. rom.

(2) Superiores regulares pro ecclesiis sui Ordinis habent privilegium reconciliandi has ecclesias pollutas. Cfr. *Gasparri*, l. c n. 256.

(3) Immunitas ecclesiarum, ait *Devoti*, Inst. can. l. 2, § XXIV, non est inducta ut quidam putant a legibus, sed inducta est a religione sive a reverentia qua in religionem ferri debemus et proinde ecclesiasticae potestatis cuius est moderari res religionis, eius est etiam de eccl. immunitate leges constituere.

(4) C. *Decet*, 2, De imm. eccl. l. III in VI. Pariter non licet admittere in ecclesias occasione exequiarum aut quorumdam festorum quibus laicae sodalitates intersunt, nisi *vexilla religiosa* pro quibus habeatur formula benedictionis in Rit. Rom. Ita S. C. R. 14 Iul. 1887. Quod si mandato non obtemperetur, facta prius intimatione iuxta mentem S. Congr., parochus se abstineat.

Benedicenda autem non sunt nisi vexilla earum societatum, quarum statuta ab auctoritate eccl. approbata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant et aliquod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum prae se ferant. S. C. S. O. 3 Sept. 1887 et Poenit. 4 Apr. 1887.

Vexilla ita dicta nationalia nullum emblema de se vetitum praeseferentia in funebri pompa tolerari possunt, dummodo feretro sequantur; in ecclesia vero non sunt toleranda nisi secus turbae aut pericula timeantur. S. Poen. 24 Nov. 1897.

quam more antiquitus inductum fuit (1) et constitutionibus Pontificum moderatum (2).

Nostris temporibus ius asyli aliquibus in regionibus in sua applicatione restrictum fuit per concordata (3); in aliis contraria consuetudine abrogatum. At ubi viget concordatum, vel ubi denuo statuitur lex asyli est servanda sub poena excomunicationis (4).

ARTIC. II.

De Cappellis seu Oratoriis.

112. Cappellae seu oratoria sunt loca sacra in civitatibus, in pagis aut in domibus magnatum virorum extructa et divino cultui destinata ad commoditatem alicuius communitatis, familiae vel personae.

Triplicis generis dantur oratoria, scilicet: *publica*, *semipublica* et *privata*.

Publica ea sunt quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via vel liberum a publica via fidelibus universim pandit ingressum. Haec nonnisi ex iusta causa et consensu Episcopi eriguntur (5), et titulum

(1) Cfr. Exod. XXI, 13; Num. XXXV, 6 et seqq.; Deuter. XIX, 2 seqq. Cfr. Codic. Theod. IX, 45; Codic. Iust. I, 12. Cfr. Conc. Araus. a. 441 c. 5; Conc. Aurel. 511, c. 36; Conc. Rhem. 624 c. 10. *Devoti*, l. c. § XXVI et seqq.

(2) C. 6, 10 de imm. eccl. X, *Greg. XIV*, Const. « *Cum alias* » 1591; *Ben. XIII*, Const. « *Ex quo* » 1725; *Ben. XIV*, Const. « *Officii nostri* » 15 Martii 1750. Cfr. *Ferraris*, v. *Immunitas eccl.* a. 2; *Reiffenstuel*, l. III, tit. 49, n. 28.

(3) Cfr. Concord. Austriae, a. 1855 et Reipubl. Aequat. a. 1862. Cfr. *Aichner*, p. 719, *Wernz*,II I, p. 449.

(4) *Pius IX*, Const. « *Apost. Sedis* », n. V. Cfr. tamen Card. *D'Annibale*, Comm. in h. Const. n. 121, not. 18.

(5) Licentia Episcopi requiritur etiam, secluso privilegio apostolico, ad aedificandum oratorium publicum regularium. Cfr. *Ben. XIV*, de syn. l. IX, c. I, n. 9 et Const. « *Quamvis iusto* » 30 Apr. 1749.

est eis assignandum (1). In oratoriis publicis non solum preces sed et missae nullo numero determinatae celebrari possunt, etiam in forma solemni (2).

113. **Semipublica** sunt et vocantur ea quae etiam in loco quodammodo privato vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium, nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. Huius generis oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria, Collegia eccl.; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis, ad domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiae aut artibus instituendae destinata (3), ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres, atque similia oratoria in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam (4). Quibus adiungi debent Cappellae in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione omnibus fidelibus aditus pateat (5).

(1) *Gasparri*, l. c. n. 196; *Wernz*, III, p. 452.

(2) *Ben. XIV*, Const. « *Etsi minime* » 7 Feb. 1742.

(3) S. R. C. Decr. 23 Ian. 1899, (Acta 31, 412) et resp. in caus. Nivern. 8 Mart. 1879. Cfr. Const. *Leonis XIII*, « *Conditae* » 8 Dec. 1900.

(4) Haec verba: « *Atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam* intelligi posse de quibuscumque fidelibus qui assentiente domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad praedicta Oratoria pro audienda Missa etiam in adimplimentum praecepti festivi » rescripsit S. R. C. 3 Aug. 1901. Ex hoc deducitur, in casu quo certus fidelium numerus accedat pro audienda, diebus etiam festivis, Missa huius celebrationem et auditionem Ordinarium permittere posse in Oratoriis quoque privatis. Cfr. *Il Monit. Eccl.*, ser. II, vol. III. p. 349, nota. Haec conclusio clarius deducitur ex ipsa facti-specie exposita S. R. Congregationi a R. D. Secretario Vicariatus Urbis, quo instante citatum responsum datum est. Cfr. *Ferrais*, Liturgia Missae, n. 12 nota.

(5) S. R. C. Decret. Gen. 23 Ian. 1899.

Salva autem manent iura ac privilegia oratoriorum quibus fruuntur Cardinales, Episcopi atque Ordines et Congregationes regulares (1).

Privata denique dicuntur oratoria quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae erecta sunt.

Ut in iis Missa celebrari possit requiritur indultum S. Sedis (2).

ARTIC. III.

De altaribus.

114. Altare sensu stricto dicitur mensa seu tabula lapidea (3) super qua sacrificium Missae offertur. Altare aliud *fixum*, aliud *portatile*. Dicitur *fixum* in sensu proprio si constat ex tabula (mensa) superiori et ex structura inferiori seu basi cui firmiter in unum compositum coniungitur; in senso improprio si super structura stabili et immobili, lapis amovibilis apponatur. *Portatile* quod potest de loco in locum moveri (4).

(1) Regulares vigore communicationis gaudent privilegio in suis domibus erigendi oratoria semipublica ad tramites indulti quod *Greg. XIII*, Const. « *Decet* » 2 Maii 1575, concesserat societati Iesu. Cfr. *Gasparri*, l. c. n. 221 et seqq.

(2) *Ben. XIV*, Const. « *Magno cum animi nostri* »; S. R. C. in Veron. 27 Aug. 1896 ad 7; S. C. C. 26 Feb. 1864.

Proposito S. Congr. dubio « An Episcopus, possit, iusta interveniente causa, *facultatem* concedere celebrandi in Oratoriis privatis? » respondit: « Negative, nisi tamen magnae et urgentes adsint causae et per modum actus tantum ». Porro causae huiusmodi habentur v. gr. vera impotentia adeundi Ecclesiam, spiritualis necessitas communicandi infirmum, dicendi vel audiendi Missam. Cfr. *Ferrais*, l. c. n. 23.

(3) Requiritur ut sit verus lapis, sive marmoreus, sive non, at durus et compactus, non puniceus, ex gypso aliâve simili materia. S. R. C. 29 Apr. 1887.; 13 Iun. 1899.

(3) Gaudent privilegio altaris portatilis Episcopi vel titulares tantum. S. R. C. 22 Aug. 1818; eoque magis Cardinales. Item Pro-

Altare seu fixum seu portatile, ut super ipso sacrificium licite offerri possit, necessario consecrari debet. Consecratio fit a solo Episcopo nisi S. Pontifex privilegium concesserit simplici sacerdoti. Non potest tamen consecrari nisi lapideam saltem habeat illam partem quae calicem et hostiam sustentat (1). In altari, in apposito sepulcro seu loculo, sigillo Episcopi et parvulo lapide includuntur reliquiae sanctorum (2).

115. Execratur altare quando: *a*) mensa superior amovetur ab inferiori seu basi, vel basis a pavimento (si altare est fixum) (3); *b*) quando lapis (petra sacra) enormiter frangitur, et calicem cum patena et ciborio non amplius continere valeat (4); *c*) si frangitur aut removetur sepulcrum (5).

Profanatum censetur altare si extructum sit super sepultum cadaver, infra distantiam trium cubitorum, neque licet celebrare in eo nisi cadavere amoto, si commode id fieri potest (6).

tonotarii Apost. solum tamen partecipantes. *Pius IX*, Brevi: « *Quamvis peculiares* » 9 Feb. 1858. Cfr. *M. De-Luca*, II, tit. XVI, n. 308.

(1) Ex rubr. XX, miss. *De praep. altaris.*

(2) Tolerari non possunt sacrae mensae quarum sepulcrum quadam subtili lamina confecta ex vulgo *ottone* aut *latta*, obtectum est. S. R. C. 16 Sept. 1881.

Controversia autem fuit inter auctores an inclusio reliquiarum, quae ex omnium consensu est praescripta sit necessaria ad validam altaris consecrationem. Sententia affirmans praevaluit. Cfr. *Quarti*, op. cit. tit. XV, dub. V; *Schmalzgrueber*, tit. XL, n. 43; Collect. *Gardelliana* n. 4539, 4930, 5037.

(3) Cap. *Ad haec*, 1; *Ligneis*, 6 de consecr. Item S. R. C. 20 Febr. 1874. Cfr. *Ferrais*, Liturgia Missae, n. 28.

(4) Execratur etiam portatile quod tenui scissura ad instar fili per medium lapidem integrum decurrente laborat, quia sic lapis revera in duas partes est fractus. S. C. R. 31 Aug. 1867. Cfr. *Gasparri*, l. c. n. 334; *Lehmkuhl*, II, n. 226.

(5) S. R. C. 25 Maii 1846 et 14 Martii 1861.

(6) S. R. C. 11 Iunii 1629, n. 508; 2 Apr. 1875; 12 Ian. 1897. Constat autem tres cubitos esse unum metrum longitudinis. Cfr. *Ferrais*, op. cit. l. c.

Polluta ecclesia polluitur quidem altare fixum; at si ecclesia execratur, non continuo execrantur altaria consecrata; et vicissim si execrantur altaria, non execratur tota ecclesia (1).

CAPUT II.

De rebus religionis.

ARTIC. I.

De coemeteriis.

116. Loca sepulturis destinata ut sacra semper et religiosa habita sunt. Ius romanum reverentiam et curam de illis praecipiebat (2); et Ecclesia ut obiectum cultus, fidelium sepulturam retinens, septa specialibus ritibus benedicta, vocavit coemeteria a voce graeca κοιμάω (dormio); loca scilicet dormitionis secundum sensum christianum de fide in resurrectionem mortuorum (3). Christiani enim in monumentis non tam quiescere sed et dormire dicuntur « usquedum in resurrectione universali corpora evigilent, et ad feliciorem vitam e prolixiori somno suscitentur » (4).

Coemeteria hodierno more distinguuntur in *ecclesiastica* et *civilia*.

Ecclesiastica sunt si in dominio Ecclesiae per benedictionem Episcopi vel delegati, solis fidelibus reservata sunt (5).

(1) C. 1, 3, 6, X, de consecr. Cfr. *Wernz*, III, n. 464; *Aichner*, p. 734.

(2) Leg. XII, tab. 3, ff. *De sepulcro violato;* et leg. 12 *de rel. et sumpt funer*. Cfr. *Varronem*, *Iuvenalem* etc. apud *Vecchiotti*, II, § 12.

(3) *S. Paul. I*, Thess. IV, 12.

(4) *De Mortier*, Etymol. sacra, p. 147.

(5) Ecclesia ut societas perfecta, ut vidimus in iur. publ., ius habet tum constituendi sibi exclusive (scilicet cum exclusione a-

Civilia si benedictione carent et omnibus hominibus indiscriminatim sunt destinata (1).

117. Ius habent ad ecclesiasticam sepulturam omnes in communione fidelium defuncti nisi ab iure excludantur. « Nemo, statuit Rit. Rom., christianus in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam vel coemeterium rite benedictum sepeliri debet » Et « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio retineatur, et ubi fieri potest, restituatur » (2).

Privandi sunt non baptizati, apostatae, haeretici schismatici notorii, excomunicati vitandi (nisi absolutionem obtinuerint), suicidae (nisi mentis inopes fuerint quod in dubio semper praesumitur) (3), occisi in duello, etsi ante mortem signa dederint poenitentiae etc. (4)

Contra violantes ius sepulturae excomunicatio decernitur ipso facto incurrenda n. r. (5)

catholicorum) coemeteria, tum propria auctoritate iudicandi quinam in suo coemeterio sepultura eccl. sint donandi, quinam vero ea privandi.

(1) Per summam proinde iniustitiam, ait *De-Angelis*, (lib. III, tit. 28, de sepult.) status civiles et municipia construunt coemeteria sic dicta *civilia* vel *municipialia* in quibus omnium mortuorum cadavera sine ullo religionis discrimine conduntur.

Sed si huiusmodi coemeteria fuerint benedicta, Ecclesiae iurisdictioni non possunt subduci.

(2) Tit. 6 c. 1, n. 9.

(3) « Ubi medici censuerint hominem morbo laboravisse rationis usum praepediente, eorum iudicio standum erit, nisi circumstantiae ex quibus eum mentis compotem fuisse merito colligeretur, plene probatae essent ». *Pennacchi*, Comm. II, p. 97, not. I. Recte ergo, iudicat *Gury-Ballerini* n. 1013, agendum hac in re esse iuxta principium « in dubio odia sunt restringenda ». Cum enim, ait, incommoda magna, nostris praesertim temporibus, ex denegatione sepulturae oriri soleant, expedit ut talis denegatio non fiat, nisi de eius obligatione certo constet.

(4) Receptum tamen est ut duellantes priventur sepultura eccl. si decesserint in loco conflictus. Cfr. S. C. Inquis. 28 Maii 1884; *Nasoni*, op. cit. II, p. 205, not.; *M. De-Luca*, l. c. n. 388.

(5) Cfr. *Piscetta*, h.l. et *D'Annibale*, n. 159; *Lombardi*, o. c. II, n. 623

118. Fideles sepeliri possunt vel in coemeterio parochiali vel in sepulcro maiorum seu gentilitio vel in loco quem ipsi elegerint (1).

Ius funerandi spectat ad parochos in cuius parochia fideles defuncti domicilium vel quasi domicilium habuerunt (2).

Si ex electione vel ex alia causa (3), alibi parochiani sepeliantur, proprius parochus ius habet ex consuetudine ad quartam emolumentorum, *quartam funerariam* appellatam (4).

(1) Cfr. *Leon. III,* in c. « *Nos instituta* » De sepultura.

(2) S. C. C. 22 Dec. 1866 et 21 mart. 1888.

Et hic animadvertendum quod quamvis lex civilis praecipiat ut fidelium cadavera ad communia coemeteria deferantur, tamen non est sublatum ius quo ecclesiae parochiales potiuntur tum funeris peragendi, tum percipiendi emolumenta: quia locus sepulturae materialiter tantum immutatur, et coemeteria publica locum tenent coemeteriorum parochialium. S. C. C. 10 Sept. 1861. Et regulares eodem iure potiuntur. Cfr. *M. De-Luca,* l. c. n. 390 not. Et ideo si contingat quod cadavera etiam per viam ferream ad coemeterium commune adferri debeant, eorum elatio pertinet ad parochum loci in quo defunctus domicilium habebat, vel ad parochum loci in quo eius familia domicilium obtinet. S. C. C. in Novariensi, 22 Iunii 1895.

(3) Vi legum enim civilium ac immutatae conditionis socialis, pluribus in locis contraria consuetudine factum est ut locus sepulturae ipse esset locus mortis.

(4) Haec *quarta funeraria* non est satis in iure determinata, sed determinatur a rationabili consuetudine regionis vel provinciae. Cfr. *Ios. Ferrari,,* Inst. II, n. 465; *Sebastianelli,* n. 265.

Cum autem parochianus in propria ecclesia decedit et in aliena sepelitur, proprio parocho competit cadaver e domo levandi atque illud recto tramite ad ecclesiam funerantem deducendi. In ingressu vero alienae ecclesiae in quo sepeliendus est defunctus, proprius parochus munus suum dimittit, et illud assumit parochus vel praelatus ecclesiae pro sepultura electae, ad quem spectant etiam omnia funeralia emolumenta, desumpta solum pro parocho proprio quarta funeraria. Haec quarta funeraria nequit exigi a parocho sepulcri gentilitii sed a solo parocho proprio si fidelis defunctus, demisso sepulcro gentilitio, alibi sibi eligit sepulturam; neque solvenda est parocho per cuius parochiam funus solummodo traducitur ad legitimum sepulturae locum. Cfr. *Wernz,* III n. 787.

119. Coemeteria iisdem actibus polluuntur quibus ecclesiae, ac praesertim per tumulationem infidelis positivi vel excomunicati vitandi (1). Si coemeteria contigua sunt ecclesiae, ex pollutione ecclesiae sequitur pollutio coemeterii, non tamen e converso (2).

In coemeterio polluto, antequam ab Episcopo vel a delegato reconcilietur, non debet aliquis sepeliri nisi ex urgente necessitate; sed tunc clerus illud ingredi non potest nec explere ritus consuetos inhumationis christianae (3).

120. Scholion. — **De Crematione.**

Crematio nec apud antiquos quidem fuit in usum communem.

Ex S. Scriptura scimus quod Hebraei et Egyptiani cadavera mortuorum sepelire consueverant (4). Reges tantum aliquando concremabantur, sed populus se abstinuit, quinimo ex *Talmud* constat post servitutem babilonicam cremationem rem execrabilem habitam fuisse.

Gentiles graeci et romani, praesertim optimates, cremationem in mores introduxerunt sed tardius nam, ut Minucius Felix (saec. 2) attestatur, etiam apud eos primis temporibus sepultura utebatur. « Veterem et meliorem consuetudinem frequentamus ».

Primi Christiani autem cadavera fidelium non concremarunt (5); et Ecclesia coherenter ad humationem constituit suam liturgiam etPatres dogma catholicum (6) de

(1) In coemeteriis quae simultanea dicuntur, in quibus scilicet locus specialis acatholicis destinatus non est, singulae sepulturae sunt benedicendae S. C. de Prop. Fide 16 Apr. 1862.

(2) Cap. *Si Ecclesia,* De consecr. in VI.

(3) *Icard,* III, n. 567.

(4) Cfr. Genes. XXII, 2; XXXV, Iob. XIV etc.

(5) Cfr. *Woutters,* Storia Eccl.; *Baron.* an. 889; *Fleury,* Dei costumi cristiani.

(6) Crematio *ex sese* seu intrinsecus quidem mala non est, quia non adversatur directe dogma catholicum. Ex adiunctis vero quia hodiedum crematio fit *infidelitatis* et *materialismi* professio, quod

resurrectione mortuorum iuxta hunc ritum tumulationis exposuerunt (1).

Nostris diebus increduli cremationem instaurare conantur sub speciosis rationibus oeconomiae servandae, valetudinis et moralitatis tutandae (2); sed secreto consilio posthabito christiano more, morem a vera religione immunem reddendi et ethnicum repristinandi. Iure ergo meritoque crematio cadaverum ab Ecclesia prohibita est.

121 S. C. S. O. ad quaesita: 1. An licitum sit nomen dare societatibus quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera? 2. An licitum sit mandare ut sua aliorumve corpora comburantur? respondit *negative* 19 Mart. 1886 (3).

Eadem S. C. die 15 Dec. 1886 declaravit: « Quoties agatur de iis quorum corpora non propria ipsorum sed aliena voluntate cremationi subiiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhibere posse tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. At ubi agitur de iis qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento Decreto 19 Maii 1886, agendum cum iis iuxta normas Rit. rom. tit.: *Quibus non liceat dare eccles. sepulturam* » (4).

est gravissimum peccatum, dicenda est mala. Quare impium est huic studio quacumque participatione favere. Cfr. *Lehmkuhl*, I, p. 796; *Aichner*, p. 732.

(1) Cfr. *Tertull.* ,De resurr. carnis; *S. August.*, De cura agendi pro mortuis; *S. Ambrosium* et alios apud *Devoti*, Inst. can. II, tit IX § 2.

(2) Haec argumenta quantum fundamento destituantur vide apud Doct. *Mantegazza*, Nuova Antologia, lett. 1874; Prof. *Tinno*, Sull' inumazione; *M. Pasteur* et Doct. *Lacassagne*, Diz. encicl. di scienze mediche. Cremazione 1879; *Giovannini*, La cremazione ect.

(3) Et S. Pontifex *Leo XIII*, approbavit et confirmavit, mandans ut opportune instruantur fideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi. Act. S. Sedis, v. 19, p. 18.

(4) Vide etiam responsum S. C. S. O. 27 Iul. 1892. Cfr. *Aichner*, p. 732; *M. De-Luca*, l. c. p. 357.

Iterum S. C. die 27 Iul. 1892 ad dub. I. Utrum liceat sacramenta ministrare iis, qui neque sectae massonicae adhaerent, neque eius ducti principiis, sed moti aliis rationibus corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolint? Resp.: Si moniti renuant hoc mandatum retractare, *negative*. Ad II. Utrum liceat pro iis, quorum corpora non sine ipsorum culpa cremata sunt, Missae sacrificium publice offerre, vel etiam privatim applicare itemque fundationem ad hunc fine macceptare? Resp.: Circa *publicam* S. Missae applicationem *negative*; circa *privatam*, *affirmative*. Ad III. Utrum liceat cadaverum cremationi cooperari sive mandato, sive consilio, sive praestita opera, ut medicis, officialibus, operariis in crematorio inservientibus saltem si fiat in quadam necessitate aut ad evitandum magnum damnum? Resp.: Nunquam licere formaliter cooperari mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo 1. crematio non habeatur pro signo protestativo massonicae sectae; 2. non aliquid in ipsa contineatur, quod per se directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae; 3. neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Ceterum quamvis in hisce casibus relinquendi sunt in bona fide, semper tamen monendi sunt, ne cremationi cooperari intendant. Ad IV. Utrum liceat taliter cooperantibus ministrare sacramenta, si ab hac cooperatione desistere nolunt, aut desistere non posse affirmant? Resp.: *Provisum in praecedenti.*

ARTIC. II.

De Monasteriis.

122. **De erectione** — Religiosis proprie dictis non licet in Italia et extra (1) nova monasteria erigere, fundare collegia, scholas etc. nisi obtenta prius licentia Ordinarii et S. Sedis Apostolicae (2).

Haec duplex licentia requiritur etiam pro nova occupatione monasterii, conventus seu collegii ab eodem religioso ordine sponte derelicti (3).

Item pro translatione communitatis ab uno ad alium eiusdem urbis vel oppidi locum; nec non pro immutando scopum et usum Collegii nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem (4).

Congregationes religiosae votorum simplicium, pro erectione novorum domorum speciali et expressa licentia S. Sedis regulariter indigent, sed sufficit consensus expressus Ordinarii loci (5); nisi de domibus quibusdam, singularis exemptio sit statuta, v. gr. de erectione vel translatione do-

(1) An pro aliis regionibus extra Italiam necessaria esset licentia S. Sedis quaestio prius erat. At hodie sententia affirmans tenenda est. Cfr. *Monacelli*, Formularium p. I, tit. 6, form. 18; *Bizzarri*, Collect. ed. 1 p. 85; 2 p. 84.

(2) Cfr. Const. *Leon. XIII*, « *Romanus Pontifex* » (Act. XIII, p. 492).

(3) S. C. EE. et RR. 17 Nov. 1617. Cfr. *A. M. Ferrari*, n 17, p. 43.

(4) Cfr. Const. cit. *Leonis XIII*, (Act. S. Sedis. vol. XIII, p. 493). Eadem S. Sedis licentia requiritur pro erectione et circumscriptione provinciarum. Cfr. *Craisson*, Manuale etc. n. 2992.

(5) Hanc licentiam tamen Ordinarius denegare non potest, nisi iusta de causa; alioquin recurri semper potest ad S. Sedem in devolutivo. Cfr. Const. « *Cum alias* », *Greg. XV*, 17 Aug. 1622; Const. cit. *Leonis XIII*, § *Quum res....* Cfr. etiam *Bouix*, De iur. reg. p. 262 et seqq.

mus novitiatus, de translatione domus principalis, de erectione domorum pii instituti in terris missionum (1). Licentiam tamen S. Sedis hae Congregationes obtinere debent pro erectione ac divisione provinciarum, pro dispensatione a votis ac pro approbatione Capitulorum generalium, singula vice impetranda (2).

123. SCHOLION. — Pro erectione monasteriorum monialium lex aliqua certa et directe licentiam S. Sedis non praescribit; sed tamen indirecte istius veniae necessitas ex lege clausurae aliisque connexis requiritur. Idcirco, inquit Fagnanus, practica est ut erectiones monasteriorum monialium proprie dictarum fiant a S. Sede Apostolica, tum propter gratias, indulgentias, privilegia et exemptiones quae ab illa impetrantur, tum propter facultatem educendi Abbatissam ab alio monasterio pro novi monasterii institutione (3).

124. Antequam autem monasteria erigantur, videndum etiam ne iura et privilegia tertiarum personarum praesertim regularium laedantur. Episcopus ergo licentiam daturus interrogare debet Priores aliorum monasteriorum in locis per 4000 passuum distantiam circumvicinis, aliosque interesse habentes. Parochi inter hos non comprehenduntur; nisi ipsi ex solis spontaneis fidelium oblationibus sustentationem recipiant et periculum sit nec aliunde sufficienter sustentari possint (4).

Incolae interrogandi sunt quando agitur de erectione monasterii mendicantium (5).

Licentia potestatis civilis per se non requiritur (6). Aliquando tamen ad gravia incommoda vitanda opportune

(1) Cfr. *Wernz*, III, p. 651, n. 619; *Nilles*, De votorum solemnitate p. 256; *Aichner*, p. 475; *Nervegna*, op. cit. p. 78.

(2) *Craisson*, l. c. n. 2539; *Vermeersch*, op. cit. I, n. 117.

(3) *Aichner*, p. 476.

(4) *Bouix*, l. c. p. 268; *Piat*, op. cit. p, 272; *A. M. Ferrari*, p. 48.

(5) *Greg. XV*, Const. cit.

(6) Seclusis concordatis quibus haec praescribatur. Cfr. *Nussi*, Conventiones etc. p. 146 et seqq.

expressa recognitio vel concessio iuris corporationis in foro civili poterit implorari (1).

125. **Clausura** — Clausura in sensu materiali, dicitur « totum illud spatium quod septis monasterii sive virorum sive mulierum continetur (2) ». Formaliter vero accepta est lex prohibens Regularibus e propriis claustris egressum; extraneis vero ingressum intra illa exceptis casibus a iure determinatis.

Clausura potest esse *papalis* vel *episcopalis*. Papalis a S. Pontifice constituitur pro solis religionibus votorum solemnium, (3) episcopalis ab Ordinario loci.

Lex clausurae pro viris, plurimis differt a clausura pro foeminis. Religiosi vi clausurae nec egredi possunt e septis monasterii absque proprii superioris legitima licentia; nec admittere mulieres intra septa monasterii (4).

Et hoc sub poena excomunicationis S. P. s. r. et ipso facto incurrenda (5).

Virorum clausurae dispensatio si agatur de monasteriis Sedi Apostolicae immediate subiectis soli R. Pontifici reservata est. Quam tamen S. Congregatio, nisi legitima cau-

(1) Cfr. *Aichner*, l. c. p. 477; *Wernz*, III, n. 621.

(2) Septis monasterii seu conventus continentur claustra, cellae, officinae, coenaculum, dormitorium, infirmaria, coquina et huiusmodi; item horti, viridaria et prata si coniuncta sint cum conventu et claustro; non tamen si per altum murum sint separata cum ingressu extra claustrum. Item non comprehenduntur publica ecclesia vel oratorium, sacristia si ad illam pateat accessus extra clausuram, collucutoria pro extraneis etc. Cfr. *Ferraris*, v. *Conventus*, a. 3, n. 9 et seqq.

(3) Clausura papalis interdum ex indulto apost. (cfr. S. C. EE et RR. 6 Dec. 1839) etiam institutis votorum simplicium fuit imposita. Cfr. *Bizzarri*, Collect. p. 96; *Lucidi*, op. cit. § 5, n. 42; *Wernz*, III, p. 729.

(4) Cfr. *Piat*, l. c. p. 344 et seqq.; *Nervegna*, op. cit. p. 81; *M. De-Luca*, l. c. n. 368.

(5) Cfr. Constitutiones varias *S. Pii V* et *Ben. XIV*. Item Const. « *Apost. Sedis*, n. 7.

sa, necessitas aut Ecclesiae utilitas concurrant, minime concedere solet (1).

126. Clausura vero papalis monialium (2) sub poena excomunicationis R̦. P. s. r. (3) prohibet: *a*) ne ipsae audeant e monasterio egredi de speciali licentia S. Sedis, aut casibus necessitatis ex. gr. incendii, leprae, epidemiae etc.; sed etiam tunc licentia scripta Ordinarii (si fieri potest) ac insuper Praelati regularis monasterii requiritur; *b*) ne intra septa monasterii aliquem admittant cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis. Excipiuntur Episcopus ordinarius loci (4) et Praelatus regularis visitantes ex ufficio; nec non qui necessitatis causa ingredi debent ut ex. gr. confessarii (5), medici, syndici, operarii quibus licentia est concedenda a Praelato regulari vel ab Episcopo (6).

Saecularibus sive clericis (exceptis saecularibus in primo aut secundo gradu monialibus coniunctis) interdicitur frequens accessus ad moniales, eas invisendi aut alloquendi gratia nisi ex rationabili causa et speciali licentia (7).

(1) Cfr. *Nervegna*, op. cit. p. 82.

(2) Generatim moniales habentes vota solemnia semper Pontificiae clausurae subduntur, nisi aliquod monasterium ab hac lege forte a S. Sede dispensetur. Cfr. *De Angelis*, tom. II, p. 187 et seqq.

(3) Const. « *Apost. Sedis* », n. 6.

(4) Episcopus instituere potest visitationem circa clausuram dumtaxat, vel circa ea generatim, quae ipse existimat necessaria aut opportuna ad bonum Monasterii promovendum sive spirituale, sive temporale. Modum visitationis vide apud *Gavantum* in tract. de visitatione. Cfr. etiam *Pellizarium*, De monialibus, p. 228 (edit. non prohib., Romae 1761).

(5) Sacerdos regularis monialium clausuram ingrediens ad audiendam confessionem infirmae debet comitari a socio probatae vitae et maturae aetatis, atque a duabus monialibus quae sistere debent extra ianuam cellae ubi degit infirma, ita tamen ut confessarium videre possint. Cfr. *A. M. Ferrari*, p.167. Confessarius qui longe distat a monasterio Religiosarum potest per telephonum appellari quibusdam cautelis adhibitis. S. C. EE. et RR. 20 Mart. 1895 (Act. 28. 255).

(6) Cfr. *Ferraris*, v. *moniales*.

(7) *Bucceroni*, vol. II, n. 1189.

Religiosi vero nec ob sanctissimam causam, nec semel possunt eas adire, vel earum novitias aut alumnas in monasterio educandas (1), nisi de licentia Ordinarii subscribenda etiam a Praelato regulari si monasterium illis subdatur; id vetatur sub poena privationis dignitatum et officiorum, nec non inhabilitatis ad audiendas confessiones, ipso facto incurrenda (2).

ARTIC. III.

De Seminariis.

Vidimus in 1° libro de iure Ecclesiae habendi sibi scholas suas, seu a se institutas et gubernatas tum in orne disciplinari, tum instructionis, praescribendo nempe materias in eis tradendas et methodum litterariam aut scientificam in eis servandam.

127. Inter praecipuas sunt *seminaria*, loca pia scilicet sive collegia, in quibus pueri et adolescentes tamquam clerici *saeculares* aluntur ac religiose educantur et disciplinis ecclesiasticis instituuntur ad normas Concilii Tridentini quas per summa capita hic referimus:

I. Singuli Episcopi, Metropolitae et Praelati his maiores quibus ea in re Praelati seu Abbates nullius aequiparantur, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum numerum puerorum ipsius civitatis vel dioecesis vel provinciae, si ibidem non reperiantur, in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias cathedrales, aut si id fieri non possit, alio in loco convenienti ab Episcopo vel Praelato eligendo alere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere i. e. seminarium erigere tenentur (3). Si vero in ali-

(1) Specialia ratione clausurae sancita sunt quoad puellas quae a monialibus proprie talibus educari solent. Cfr. *Aichner*, p. 501.

(2) Cfr. *A. M. Ferrari*, p. 167.

(3) Conc. Trid. sess. XXIII, c. 18.

Ad dotationem seminarii efformandam, praeter alia media a Trid. l. c. excogitata praecipue ceu fontes aperti sunt, unde red-

qua provincia ecclesiae tanta paupertate laborent, ut huiusmodi collegium vel seminarium erigi non possit, Synodus provincialis vel metropolitana cum duobus antiquioribus suffraganeis in ecclesia metropolitana vel alia provinciae ecclesia commodiori unum aut plura collegia sive seminarium, prout opportunum iudicat, ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium sive seminarium commode institui non potest, erigendum curare debet iuxta formam alias ab eodem Concilio Tridentino praescriptam.

Quodsi cathedralium et aliarum maiorum ecclesiarum Praelati in hac seminarii erectione eiusque conservatione negligentes sunt ac suam portionem solvere detrectant, Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum Superiores Synodus provincialis acriter corrigere eosque ad omnia a Concilio Tridentino l. c. statuta cogere debent.

Si difficultatem oriri contingat, ob quam seminarii institutio vel conservatio impediretur aut perturbaretur v. g. pro unionibus seu pro portionum taxatione vel assignatione et incorporatione aut qualibet alia ratione, Episcopus cum quatuor deputatis vel Synodus provincialis pro regionis more, pro ecclesiarum et beneficiorum qualitate etiam statuta Tridentina hac de re condita, si opus sit moderando aut augendo, omnia et singula, quae ad felicem seminarii profectum necessaria et opportuna videntur, decernere ac providere valet (1).

ditus haurirentur, ipsa scilicet beneficia, ex quorum fructibus aliqua pars detraheretur, *taxa seminarii* dicta. Et generatim dos proprie dicta peti debet: 1. Ex reditibus mensae episcopalis ceterorumque beneficiorum pro rata redituum solutionis, modo ab Episcopo constituto. 2. Ex unione beneficiorum simplicium quae tamen sine detrimento cultus divini fieri possit, et sine praeiudicio ea obtinentium. Cfr. *M. De-Luca*, vol. De rebus, tit. XXV, n. 374.

Et ipsi Regulares si opus sit, secundum regulas in iure propositas contribuere debent, non tamen mendicantes vel qui horum participant privilegia, nisi quaedam beneficia probentur ipsorum monasteriis fuisse unita. Conc. Trid. l. c. Cfr. *Ferraris*, v. *Seminarium*; *Vermeersch*, op. cit. I, n. 378.

(1) Trid. l. c.; cfr. *Wernz*, l. c.

128. In amplis dioecesibus Episcopi, si sibi opportunum videtur, etiam plura seminaria erigere possunt, quae tamen ex lege Tridentina ab illo, quod in civitate Episcopi erectum est, in omnibus dependere debet (1). Multo magis Episcopo fas est alumnos seminarii in tot classes dividere, quot ei videtur, iuxta eorum numerum, aetatem ac in disciplina ecclesiastica progressum. Inde quoque sapientissima illa divisio inter seminarium maius et minus frequenter introducta est (2).

129. II. In seminario ii ut alumni recipiantur, qui ad minimum duodecim habeant annos (3), et ex legitimo matrimonio (4) nati sint ac legere ac scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos eccleslasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum filii praecipue eligendi et ut alumni recipiendi sunt; attamen ex eodem decreto Tridentino ditiorum filii non excluduntur, modo sui sumptu ut convictores alantur et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi (5).

III. Cura seminariorum et scholarum iisdem adiunctarum nec non potestas dandi ipsis leges, Episcopis est commissa, ita tamen ut hi in regendo seminario quoad spiritualia consilio duorum canonicorum, quoad temporalia vero consilio duorum de Capitulo, et duorum de clero civitatis uti teneantur (6).

IV. Ab Episcopo nominatur etiam *rector* (7), *confessarius*, *magistri seminarii* et *oeconomus* qui ad nutum et ob

(1) Trid. l. c.; cfr. *Wernz* l. c.

(2) Trid. l. c.; cfr. *Wernz* l, c.

(3) Trid. l. c.

(4) Trid. l. c.; S. C. C. 15 Aug. 1836.

(5) Trid. l. c.; *Bened. XIV*, De syn. l. 5, c. 5; *Wernz*, l. c.

(6) Trid. l. c.; Act. S. Sedis tom. I, 657, 691; t. 12, 492, 497; t. 22, 597; t. 29, 680. *Aichner*, § 147.

(7) Aliquando regimen seminarii ex venia S. Sedis, ab Episcopo alicui Ordini religioso vel Congregationi traditur; sed tunc inter Episcopum et ordinem religiosum vel Congregationem religiosam

iustas causas ab ipso Episcopo removeri possunt, sed postquam consilium deputatorum sub poena nullitatis actus, fuit saltem requisitum (1).

V. In seminario primo loco curandum est ut dignus et idoneus clerus educetur; non sunt tamen praetermittenda studia litterarum ut semper commendarunt Romani Pontifices (2).

ARTIC. IV.

De Confraternitatibus.

130. Confraternitates (3) sunt coetus piorum fidelium praesertim laicorum, Ecclesiae auctoritate instituti ad exercenda opera pietatis vel charitatis et in augmentum publici cultus (4).

res bene componenda, ut et maneat Episcopo ius insitum seminarii gubernandi, et Regularibus tum privilegium exemptionis, tum essentialis dependentia a suis superioribus. Cfr. *Bouix*, De capitulis p. 473 seqq; *Lucidi*, De visit. II, p. 2;3; *Pennacchi*, Comm. in Const. « *Apost. Sedis* » I, 1028; *M. De-Luca*, vol. de Rebus, tit. XXV, n. 375.

(1) S. C. C., in caus. Fundan. 26 Mart. 1689; *Wernz*, l. c.

(2) Cfr. infra alios *Bened. XIV*, Const. « *Creditae nobis* »; *Pium IX*, « *Cum Romani* », 27 Iun. 1853: et *Leonem XIII*, qui in sua enclyclica » *Aeterni Patris* » d. 4 Aug. 1879 theologiam fundamento doctrinae S. Thomae Aquinatis a professoribus vult inaedificari, « Doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri in discipulorum animos insinuare ».

(3) A Confraternitatibus simplicibus distinguuntur *Archiconfraternitates* quibus ius competit alias confraternitates particulares eiusdem speciei aliunde iam legitime erectas sibi aggregandi et eis communicandi privilegia et indulgentias. *Wernz*, III, n. 704; *Beringer*, Les indulgences etc. II, p. 31.

(4) Vestigia confraternitatum sunt antiquissima. Aliqui eas repetunt ex primis Ecclesiae temporibus, cum iam saec. III reperiantur Alexandriae *parabolani* ad curam infirmorum, et saec. VI Constantinopoli asceterium sive collegium ad peragendas exequias. Cfr. *Wernz*, III, n. 704. In Ecclesia occidentali formam propriam

Confraternitates ut legitime existant et iuribus et privilegiis ecclesiasticis ex. gr. indulgentiis frui possint, erectione canonica omnino indigent.

Habent potestatem *ordinariam* erigendi confraternitates S. Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopus pro sua dioecesi (1); *delegatam* omnes qui indultum Apostolicum impetraverint, ut Superiores Missionum, et Generales Ordinum.

131. Ad formam erectionis quod attinet distinguenda est erectio quae ab Episcopo peragitur, ab erectione in Ordinibus religiosis.

Pro erectione episcopali sufficit decretum tantum Episcopi erigentis ad canonicam erectionem (2); Ordines vero religiosi sub poena nullitatis servare debent in erigendis et aggregandis confraternitatibus, ea quae a Clem. VIII statuta sunt (3) et decreta de consensu Episcopi et eius litteras testimoniales expectare nisi speciali privilegio gaudeant.

Regulae erectionis hae summatim:

I. Unica tantum confraternitas eiusdem nominis et in-

habuere ineunte saec. XIII quando institutae sunt magnae confratriae, ex. gr. congregatio mariana a. 1208, confraternitas scapularis B. V. M. Mont. Carm., confraternitas septem dolorum, SS. Rosarii etc. Cfr. *Pastor*, Storia dei Papi, vol. III, p. 25 seqq.

(1) Ex iure ordinario confraternitates erigere nequit Vic. Cap. nec Vic. Gen. nisi habeat mandatum speciale. Cfr. *Wernz*, III, n. 706; *M. De-Luca*, II, n. 380.

(2) Acta II, p. 297 S. C. Ind. d. 22 Aug. 1842.

(3) Const. « *Quaecumque* », 7 Dec. 1604. Etiam Piae Uniones seu Societates, quae sub Confraternitatum et Congregationum nomine minime veniunt, quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, aggregationem et publicationem indulgentiarum comprehenduntur sub sanctionibus Constitutionis *Clem. VIII* « *Quaecumque* », S. C. Ind. 25 Aug. 1897.

Pius autem IX decreto « *Ad religionis* », d. 8 Ian. 1861, constitutionem « *Quaecumque* » innovavit, institutiones et aggregationes usque ad hoc tempus illegitime factas *sanavit*, ac praesertim praescripsit ut formula aggregationum saltem in substantialibus concordare debeat cum illa praescripta a *Clem. VIII*. Cfr. *Aichner*, p. 513.

stituti in eadem ecclesia saeculari vel regulari institui et aggregari potest (1).

II. In ecclesiis vel oratoriis monialium non sunt erigendae (2); neque expedit in ecclesia communitatum foeminarum quasi religiosarum.

III. Ut erectio omnino *gratis* fiat (3); permittitur tamen moderata taxa cancellariae (4).

132. Quoad regimen adnotamus quod *supremum* residet penes Episcopum loci qui ius habet non solum eas approbandi et erigendi, sed etiam confirmandi et mutandi et corrigendi statuta (5), assistendi per se aut per delegatum comitiis et visitandi tum quoad administrationem bonorum, tum quoad cultum et ornamenta altaris seu cappellae atque divinorum officiorum (6); *immediatum* apud rectorem seu

(1) Possunt tamen in eadem ecclesia plures confraternitates diversi tituli institui ex. gr. de SS. Rosario et de B. Corde B. V. M. Cfr. Acta III, 613.

(2) S. C. EE. et RR. 22 Aug. 1891 haec habet: « Non placet S. Congregationi, ut in monasteriis monialium sub quovis titulo instituantur confraternitates laicorum, ad tollenda quamplurima, quae exinde oriri possunt incommoda; imo praecipit, ut erectae tollantur; secus transferantur ».

(3) *Clem. VIII*, Const. « *Quaecumque* », § II.

(4) Olim et distantia ab aliis confraternitatibus eiusdem nominis et instituti servari debebat; at *Leo XIII*, 31 Ian. 1893 generaliter indulsit ut confraternitates in locis simpliciter distinctis possent erigi, dummodo iuxta declar. S. C. Ind. 20 Maii 1896 in unoquoque loco sive oppido propria haberetur parochia. Cfr. *Wernz*, III, n. 708.

(5) « Statuta impertiri non possunt, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remanent ». Const. cit. « *Quaecumque* » § 5.

(6) Cfr. *Ferraris*, v. *Confraternitas*; *Bened. XIV*, Dist. 105; *Mattheucci*, Officiales curiae eccl. Officialis quoad confraternitates; *M. De-Luca*, II, n. 382. De visitatione Episcopi confraternitatum in ecclesiis vel claustris Regularium, iam vidimus ubi De Religiosis.

praesidem confraternitatis ab Episcopo deputandum (1) et apud officiales et admnistratores qui eligendi sunt iuxta decreta generalia et particularia singulorum confraternitatum, salva approbatione Episcopi (2).

Si Parochus non fuerit rector confraternitatis, servandum decretum S. Congregationis (3) cuius summa haec: *a*) ut confraternitates erectae in ecclesiis parochialibus, vel in oratoriis iisdem adnexis in omnibus ecclesiasticis functionibus a parochis dependeant (4); *b*) confraternitates erectae in Oratoriis seiunctis ab ecclesiis parochialibus non dependeant a Parochis in functionibus non parochialibus; *c*) ut dependeant ab iisdem in omnibus quae ad ius, vel munus Parochorum spectant (5).

(1) Officium rectoris nequaquam ipso iure et sine speciali designatione spectat ad parochum, in cuius ecclesia erigitur confraternitas, nisi parochus sit unicus sacerdos illius ecclesiae ideoque tacite censeatur esse designatus. *Wernz*, III. n. 708, ad VI. Confraternitatibus quae in propriis ecclesiis a Regularibus reguntur, ducem praeficit superior regularis utpote Provincialis. Cfr. *Vermeersch*, op. cit. I, 550.

(2) Ex regula generali singulae confraternitates quae instar collegii magis stricte sunt constitutae, habent proprium cappellanum seu directorem. cuius electio peragenda iuxta canonicas praescriptiones et statuta specialia ipsarum confraternitatum, salvis tamen iuribus Episcoporum. In Conc. prov. VI Mediolan. sub Carolo Borromaeo sancitum est: « Unicuique confratriae Episcopus sacerdotem constituere studeat, vitae spiritualis usu peritum beneque in sanctis exercitationibus versatum qui salutaribus consiliis, monitis documentis, aliisque officiis confratres in omnem agendi partem tamquam pater et dux spiritualis conformet ».

(3) Cfr. *Bened. XIV*, in Inst. 105, n. 93.

(4) S. C. Rituum proposito dubio; « An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum? » respondit: « Affirmative » quando tumulandus est subiectus parocho intra cuius fines est ecclesia vel oratorium, 10 Dec. 1703.

(5) Illud tamen est notandum, ait *Ferrari Ios.* (op. cit. p. 256), quod hoc generale decretum iura particularia non tollit; habet enim: « Salvis conventionibus, et pactis in erectione confraterni-

Nota — De receptione sodalium in confratres, de iuribus et privilegiis earumdem confraternitatum nec non de obligationibus sodalium attendenda statuta propria confraternitatum (1).

133. De relatione denique confraternitatum ad gubernium, cum cl. Aichner (2) animadvertimus quod « eaedem cum admissione Ecclesiae de iure pariter admitti debent tamquam corporationes, vel saltem tamquam piae associationes cum iure acquirendi bona in foro civili. Proin contrarium est iuri, confraternitates saeculares, subiacere nutui potestatis civilis. Certe haec pia sodalitia periculum non creant rei civili quemadmodum societates quaedam politicae, quae nihilominus liberalissime admittuntur. Et profecto confraternitates in civilibus territoriis ad summnm tolerantur ut simplices associationes, non vero admitti solent uti corporationes iurium acquirendorum capaces, nisi actu speciali declaratae sunt ceu corporationes ».

In Italia, legė 17 Iulii 1890 « *sulle opere pie* » confraternitates aequiparantur aliis institutionibus beneficentiae et transformari possunt quum eorum finis deficiat, vel quum propter eorum finem ad publicam beneficentiam amplius non concurrant, vel si supervacaneae evadant (3).

tatum forsan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis et constitutionibus synodalibus ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis ».

(1) Cfr. *Wernz*, III, l. c.; *M. De-Luca*, II, n. 383; *Aichner*, p. 512; *Ferrari Ios.* I, p. 255 seqq.; *Nasoni*, I, n. 221 seqq.; *Sebastianelli*, n. 369.

(2) Op. cit.

(3) Et insuper adnotatur quod ubi ipsae « provvedano al culto necessario ad una popolazione o agli edifici necessarii al culto o degni di essere conservati, cotesti loro fini vengono mantenuti è continuano a provvedervi le confraternite medesime od altra istituzione del luogo alla quale siano state attribuite le rendite corrispondenti agli oneri del culto ». Cfr. *Scaduto*, Diritto Eccl. vigente in Italia, Vol. I, cap. III, § 9, n. 180 sexies; *Giobbio*, op. cit. vol. II, n. 564.

134. **Nota.** — Ad res religiosas pertinent etiam *hospitalia* et reliqua loca pia ut *xenodochia*, *orphanotrophia*, *ptochotrophia brephotrophia* etc. quae ex intentione Ecclesiae (Decret. Greg. IX, Tit. XXXVI: *de religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae*; et C. II, Clem. *De relig. dom.*) iurisdictioni Episcopi proprii subesse debent. Hinc Tridentinum, sess. VII, c. XV de reform. edixit: « Curent Ordinarii, ut hospitalia quaecumque a suis administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur constitutionis Concilii Viennensis.... forma servata ». Et sess. XXVI cc. VII et IX plura statuit, quorum summa est: 1. loca pia, ut hospitalia etc., subesse visitationi Episcopi etiam ut S. Sedis delegati, exceptis quae *ab origine* sub immediata protectione regum sunt; 2. cognoscendi et exequendi omnia, quae ad pauperes sustentandos constituta sunt; 3. exigendi singulis annis ab administratoribus locorum piorum rationem administrationis; imo interveniendi in hac ipsa ratione excipienda, quamvis v. gr. ex privilegio aut consuetudine, aliis ab ipso ea reddenda ab illis sit. Cfr. *Lombardi*, II, pag. 253. Attamen ex vigenti disciplina haec loca fere omnia laicalia facta sunt, ideoque Episcoporum inspectioni subtracta et magistratibus saecularibus subiecta. Pro Germania, Gallia, Belgio cfr. *Aichner*, op. cit. § 144; pro Italia, leges 3 Aug. 1862 et 17 Iul. 1890. Cfr. *M. De Luca*, de rebus, tit. XVI.

Quoad autem administratores ita dictarum congregationum *caritatis*, amplae facultates a S. Poenitentiaria Ordinariis concedi solent ad hoc munus acceptandum vel etiam retinendum si iam absque venia acceptatum, et quoad modum se gerendi in eo exercendo. Cfr. *Lombardi*, l. c. p. 154.

SECTIO II.

DE REBUS TEMPORALIBUS.

CAPUT I.

De decimis, primitiis et oblationibus.

135. *Decima* est certa pars (ordinarie decima) fructuum vel lucri, Dei ministris ad eorum sustentationem persolvenda.

Ius exigendi decimas *quoad substantiam*, quatenus scilicet per illas promovetur cultus divinus et ministri Dei aluntur, nititur iure naturali; quoad *modum* autem et *determinationem*, obligatio solvendi in V. T. erat de iure divino (1), in N. T. ex iure ecclesiastico (2).

Decimae dividuntur:

a) in *reales*, *personales* et *mixtas*.

Reales dicuntur quae debentur ex fructibus praediorum; *personales* quae ex rebus ex industria et opera acquisitis ut ex iusta negotiatione, venatione etc.; *mixtae* quae de utriusque participant et solvuntur ex fructibus pecudum ut sunt foeta, lana etc. (3).

b) in *sacramentales* et *dominicales*.

Sacramentales (4) sunt quae solvuntur ex titulo mere spirituali scilicet ex sola ratione administrationis sacramen-

(1) Num. et Deuter. c. 18; Levit. XXVII, 30.

(2) C. 1 de decim. III, 13 in VI ; Cfr. *Devoti*, l. II, tit. 16, § 2; *Santi*, III, tit. XXX; *Vecchiotti*, II c. I. et seqq.; *Wernz*, III, n. 214.

(3) Cfr. *M. De-Luca*, II, tit. XIX, n. 327.

(4) Decimae sacramentales ex lege civili 14 Iulii 1887 in Italia abolitae sunt, servata tamen ex fructibus eius instituti quod dicitur *Fondo del culto*, congrua 6 mill. libell. Episcopis, et parochis (leg. 4 Iun. 1899) 9 cent. libell. Cfr. tamen litter. circ. S. Poe-

torum: *dominicales* quae ex aliis obligationibus dependent quam ab immediata sacramentorum administratione, sed fundamentum habent in iure proprietatis, et in recognitionem domini persolvuntur (1).

136. Decimae iure ordinario solvendae sunt Episcopo et parochis; iure extraordinario, ex privilegio apost. praescriptione 40 annorum aut immemoriali, vel conventione legitima etc. etiam aliis clericis, piis institutis, imo et laicis (2).

Tenentur solvere decimas illi omnes qui a parocho sacramenta suscipiunt, nisi exempti sint ut Regulares et Clerici. Clerici tamen *reales* solvere tenentur si patrimonialia non vero beneficialia bona constituunt; et Religiosi si praedia antequam in eorum manus venirent iam decimis subiiciebantur (3).

Contra non evolventes decimas poena adest fer. sent.

nit. 23 aug. 1887, et instruct. eiusdem S. Poenit. 2 Sept. 1887. Horum instruct. summa est: non obstante illa lege teneri fideles ad decimas solvendas; excitandos hinc eos ad illas redimendas vel etiam ad aequam super eis compositionem petendam: pretium sic receptum in tuto esse collocandum fructusque cui de iure spectant esse applicandos. Cfr. *Lombardi*, II, p. 329.

Non sunt vero suppressae quae quamvis olim sacramentales fuissent, rite postea ab auctoritate eccl. in dominicales fuerint conversae.

Cfr. Cass. Romae 31 Dec. 1896; For. ital. 1897, 1898, I, 59. Dominicales non sunt suppressae sed tantum « *affrancabili* » iuxta artic. III, legis ital. cit. praevia earum commutatione in canone pecuniario. Quoad media probandi qualitatem decimarum, consule *Salvioli*, Digest. ital. v. *Decime*, n. 100; *Lampertico*, Le decime. Rivista di Diritto eccl. vol. II. n. 7, 8; *G. Caselli*, Le decime. Rivista di Diritto eccl. vol. I, p. 177 etc.

(1) Cfr. *M. De-Luca*, II, n. 327 et seqq; *Nasoni*, op. cit. p. 227.

(2) C. *Thom.* 2, 2, quaest. 86, a. 3; Cfr. *Devoti*, II, tit, XVI, § VII.

(3) Ad reales decimas solvendas tenentur etiam infideles et Iudaei, quia hoc onus reale est, praediumque sequitur in quemcumque possessorem transeat. Cfr. *Schmalz.*, l. III, tit. 30, n. 19; *Ios. Ferrari*, Inst. can. II, n. 584; *Sebastianelli*, n. 273.

nam Conc. Trid. (1) statuit: *qui.... eas* (decimas) *aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.*

137. *Primitiae* sunt primi fructus terrae vel animalium, qui Ecclesiae et praesertim parochis exolvuntur tum ad gratias Deo agendas tamquam bonorum omnium largitori, tunc ad substentationem ministrorum. Primitiae originem ducunt ex. V. T. quo Hebraeis quotannis praescribebatur templo vel levitis offerri fructus agrorum et pecudum (2). Pius usus a primis christianis dius receptus (3), contrariis moribus obsolevit. Hodie nonnisi ex spontanea devotione fidelium offeruntur, exceptis nonnullis regionibus in quibus ex iure adhuc stricta obligatio viget eas solvendi (4).

138. *Oblationes* in sensu stricto sunt quaecumque spontaneae illae elargitiones quas fideles Ecclesiae intuitu religionis offerunt.

Comprehenduntur igitur inter oblationes *a*) *honoraria Missarum* quae orta sunt ex consuetudine offerendi olim panem et vinum, in ordinem ad sacrificium eucharisticum (5);

(1) Sess. XXV, c. XII, de ref.

(2) Exod. XIII; Deuter. XXVI: Numer. XVIII.

(3) Can. 6 Dist. XXXII, can. 65, caus. 16, q. I, cap. I, 26, Tit. XXX, lib. III.

(4) *Wernz,* III, n. 221.

(5) Cfr. *Devoti,* l. c. § IV; *Gasparri,* de SS. Euch. I. n. 535 et seqq.

Honorarium minimum taxat hodierno iure Episcopus in Synodo dioecesana.

Et hic advertendum: A. S. C. C. an. 1874 prohibetur omnibus ceu turpe mercimonium 1) quod eleemosinas colligentes mercatores celebrantibus rependant libros loco pecuniae, 2) et nulla fieret imminutio eleemosinarum.,.. vel ad subveniendum sacerdotibus pauperibus carentibus stipendio, 3) etsi lucrum perceptum ex mercium cum eleemosinis permutatione in bonorum operum usum impendatur, 4) etiam ii qui colligunt et tradunt bibliopolis...; 5) etiam ii qui recipiunt libros a bibliopolis pro missis celebrandis.

Ad efficacius autem *cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero com-*

b) *eleemosinae* quas christiani pro sua pietate occasione certarum functionum sacrarum Ecclesiae ministris sponte faciunt quaeque sub nomen « *iura stolae* » nunc generatim veniunt; *c*) *testamenta et legata pia* quae ad causas pias seu in utilitatem Ecclesiae fiunt (1); *d*) *collectae* (2) inter quas memoramus oblationes favore *terrae sanctae* (3), et *obolum S. Petri* (4).

CAPUT II.

De beneficiis.

ARTIC. I.

De notione beneficiorum.

139. *Beneficium* nomen ducere videtur a statutis militiae romanae quibus veteranis ob servitia in exercitu diu

mutandi Missarum ope utebantur S. C. C. edidit 25 Maii 1893 decretum *Vigilanti*, ut suspensionem R. Pontifici reservatam ipso facto incurrat clericus delinquens contra enunciata decreta an. 1874: laicus autem obstringatur excom. l. s. Episcopis reservata. Cfr. *M. De-Luca*, l. c. n. 330 not.

(1) Haec ut vim habeant ad normam legum civilium condi oportet. Cfr. Cod. civ. ital. a 932. Vide etiam *Manacorda*, De re benef. p. 530; *Nasoni*, II, p. 222.

(2) Quoad collectas publice indicendas, lex civilis ital. 30 Iun. 1889 quae dicitur *di pubblica sicurezza* a. 84 decernit: « L' autorità di pubblica sicurezza del Circondario potrà permettere, nel territorio di sua giurisdizione, questue o collette per iscopo filantropico scientifico o di beneficenza o per sollievo di pubblici infortunii fissandone le norme e la durata. Ogni altra questua o colletta, comprese le questue religiose fuori dei luoghi destinati al culto è punita coll' arresto fino ad un mese. Cfr. tamen a. 20 legis ital., 15 Sept. 1807; cfr. quoque Cass. rom. 20 Iun. 1890 in Riv. di Dirit. Eccl. I, 130.

(3) Cfr. Brev. *Leon. XIII*, 26 dec. 1887.

(4) Cfr. Brev. *Pii IX*, 31 oct. 1860.

prestita, aliqua praedia fruenda concedebantur quae postea beneficia dicta sunt (1).

In Ecclesia solum ineunte saeculo sexto beneficiorum rudimenta prodierunt, quando scilicet facta partitione bonorum eccl. Episcopi praediola quaedam in usufructum dabant clericis qui alicui ecclesiae destinabantur. Haec praedia quae post ipsorum obitum ad Episcopum revertebantur, paulatim et veluti per gradus in titulos erigi et officiis spiritualibus perpetuo adnecti coeperunt (2). Tali modo originem habuit beneficium (3) quod propterea definitur: « *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiae, personae eccl. competens propter officium spirituale auctoritate eccl. constitutum.* »

Dicitur *a*) *ius perpetuum*, quia beneficium datur propter officium (4) quod perpetuum est, nam innititur ordinatione sacra quae in perpetuum confertur (5).

(1) Id ab ipso Alexandro Severo factum fuisse narrant. Cfr. *Santi*, III, tit. V, n. 2.

(2) Cfr. *Berardi*, Ius eccl. univ. Diss. praelim. Tract. De beneficiis; *Vecchiotti*, op. cit. II, c. II, *Du Gange*, Glossarium v. *Beneficium*.

(3) In regno ital. quoad beneficia consule leg. 15 Aug. 1867 *sulla liquidazione dell' asse eccl.*; item leg. 19 Iun. 1871.

(4) Bonif. VIII, c. XV; Trid. sess. XXI c. III, de ref.

In beneficio, ait *Garcias*, (Tract. de benef. eccl. c. II) tria distingui possunt. Primum est ipsum officium seu obligatio ad illud, et hoc est omnino spirituale, non tamen est beneficium sed fundamentum et causa beneficii; secundum est ius percipiendi certos reditus ex bonis eccl. et hoc ius est proprium beneficium nasciturque ex officio tamquam ex sua causa, et est quid spirituale quia oritur ex re spirituali nempe officio in quo fundatur et cui inseparabiliter est adnexum; tertium sunt ipsi fructus.

(5) Perpetuitas beneficii duplex est, scilicet *obiectiva* seu ratione beneficii, quatenus semel constitutum semper permanet licet successione a pluribus possideatur, et haec perpetuitas est essentialis beneficio; et *subiectiva* seu ratione beneficiati, quia beneficium non confertur ad tempus sed ad vitam clerici quamvis ex gravi et iusta causa clericus privari possit. Beneficia autem quae conferuntur quidem in titulum sed ad nutum superioris vel patroni ideoque *ma-*

b) percipiendi fructus, beneficium enim non confert plenam proprietatem, i. e. dominium boni ecclesiastici, sed usufructum, nempe fructus rei et administrationem.

c) ex bonis ecclesiasticis: bona eccl. in materia beneficiali, nuncupantur res temporales, immobiles vel mobiles Ecclesiae attributae et auctoritate canonica annexae officio spirituali (1).

d) propter officium spirituale (2) *eccl. auctoritate constitutum*, id est a S. Pontifice vel ab Episcopo legitime erectum et collatum iuxta formam iure praescriptam.

140. Ex dictis patet quomodo beneficium differat:

1. a *canonia* quae est ius spirituale quod provenit ex electione et receptione alicuius in fratrem vel canonicum absque fructum partecipatione (3).

2. a *cappellania* laicali seu pio Missarum legato quod ab auctoritate eccl. solummodo acceptatur, non autem erigitur in titulum per decretum seu institutionem canonicam et potest esse non perpetuum (4).

3. a *commenda* antiqua quae nihil erat nisi custodia ecclesiae vel beneficii vacantis alicui clerico commissa non tamen ut fructibus ipse frueretur, sed ipsos ad pios usus erogaret (5).

nualia dicta, nonnisi improprie inter beneficia adscribuntur et investitus non reputatur proprie beneficiatus nisi in favorabilibus. Cfr. *De Angelis*, l, III, tit. V, n. 17; *Sanguineti*, op. cit. n. 464.

(1) Cfr. *Manacorda*, op. cit. p. 618.

(2) Cfr. *Icard*, II, n. 594. Et sane, ait *Ferrante*, h. l., usque ad saec. XI nullum erat beneficium cui adnexa non esset aliqua spiritualis administratio; at ab eo tempore cum forte vel ipsa rei necessitate, vel clericorum dissidiis, defecisset in pluribus beneficiis spiritualis muneris exercitium remanentibus beneficii reditibus et titulo, factum est ut officium illorum evaserit sola horarum canonicarum recitatio, quae est officium cunctis beneficiariis commune.

(3) Cfr. C. IX, tit. De praeb.

(4) Cappellania eccl. quae scilicet Episcopi vel alterius superioris decreto ea lege fundatur ut clerico in perpetuum conferatur, induit naturam beneficii eccl. Cfr. *M. De Luca*, II, n. 338.

(5) Nostris temporibus *commendae* cum factae sint perpetuae

4. a *vicaria temporanea* in qua vicarius gerit vices beneficiati, non habet titulum et amovibilis est (1).

5. a *praestimonio* i. e. stipendio quod ab ecclesiae reditibus abstractum dari solet canonicis aut clericis in vitae subsidium (2).

6. denique a *pensione* de qua infra.

141. Beneficia in varias species dividuntur:

I. ratione potestatis ecclesiasticae et dignitatis:

a) in *maiora* et *minora*. *Maiora* sunt quibus iurisdictio eccl. propria et pro foro externo adnexa est. Haec obtinent Patriarchae, Metropolitae, Episcopi et Praelati seu Abbates *nullius* (3). *Minora* quae nullam iurisdictionem in foro externo aut praelaturae nomen habent.

b) in *duplicia* et *simplicia*. *Duplicia* dicuntur ea quae important aliquam iurisdictionem aut praeminentiam aut curam animarum aut administrationem aut aliquod officium.

Simplicia quae tantum obligant ad recitationem horarum sive in choro sive extra chorum, aut etiam ad altaris ministerium et ad certas Missas persolvendas. Ex his quaedam sunt *residentialia* uti sunt beneficia choralia aut canonicatus (4); alia *non residentialia* quibus scilicet neque lege ne-

et ita conferantur ut commendatarius percipiat fructus seu reditus ecclesiae vel beneficii commendati considerandae ut vera beneficia.

(1) Vicariatus perpetuus habetur tamquam rerum beneficium.

(2) Si praestimonium in titulum perpetuum conceditur, et spirituale aliquod officium adnexum habeat, dici potest, beneficium. Hoc sensu intelligi debet cap. ult. Tit. VIII, lib. III in quo irritae referuntur collationes et concessiones super praestimoniis, ecclesiis parochialibus, et aliis quibuscumque beneficiis eccl. vacaturis factae. Cfr. *Sebastianelli*, n. 182.

(3) Beneficia maiora quod nomen proprium habent et dignitatem amplissimam non semper (et hoc verum est in odiosis) veniunt generico nomine. Cfr. *Lombardi*, op. cit. II, p. 268. Unde Cardinalitium, quod tamen proprie beneficium non est, *piatto* dicitur, et Episcopale *mensa*.

(4) Canonicatus vero, quamquam inter beneficia simplicia recte recenseantur, tamen quia personalem requirunt residentiam, et ca-

que fundatione obligatio residendi in loco beneficii est imposita.

c) in *curata* vel *non curata* secundnm quod curam actualem animarum habent adnexam vel non.

142. II. **ratione personarum quibus conferuntur:**

a) in *saecularia* et *regularia:* saecularia sunt quae aut ex lege fundationis, aut ex statuto canonico vel legitima consuetudine solis clericis saecularibus; regularia quae solis clericis regularibus utpote iis solis ex fundatione vel consuetudine vel ex alio titulo addicta conferri possunt (1).

b) in *patrimonialia* et *non patrimonialia.* Illa tantum membris certae familiae vel incolis determinatae regionis, haec omnibus clericis alias idoneis conferuntur (2).

c) *compatibilia* et *incompatibilia.* Incompatibilia esse possunt *ratione officii*, vel *ratione redituum*; ratione officii incompatibilia habentur quae personalem residentiam requirunt; ratione vero redituum, quorum singula honestam exhibent unicuique clerico sustentationem (3).

143. III. **ratione modi quo acquiruntur:**

a) in *collativa* seu *liberae collationis* quae ab Episcopo vel ab alio competente superiore eccl. conferuntur motu proprio sine ulla praevia electione vel praesentatione.

nonici maiores prae reliquis clericis praecedentiae iure pollent, simplicibus beneficiis aequiparari nequeunt.

Cfr. *Engel*, Collegium univ. iur. can., vol. I, h. l.; *Devoti*, Inst. tom. 2, tit. XIV, § 7.

(1) In dubium utrum beneficium sit saeculare aut regulare, praesumitur esse saeculare, quia saeculares frequentius ad beneficia solent deputari. Exceptio tamen facienda est in beneficiis natura sua regularibus. Nam quoad ista praesumptio militat pro qualitate regulari. Cfr. *Aichner*, p. 268; *Santi*, op. cit. V, n. 18.

Beneficia autem regularia plerumque *manualia* sunt, quia ad nutum superioris ordinarie conferuntur.

(2) Cfr. *Riganti*, Reg. Cancell. Ap. 17, n° 123; *Wernz*, II, n. 240.

(3) Cfr. Conc. Trid. sess, VII, c. 2, de ref.; et sess. XXIV, c. 17, de ref.

b) *patronata* quae praerequirunt praesentationem vel nominationem alterius.

c) *electiva* quae conferuntur praevia electione canonica et accedente confirmatione legitimi superioris ecclesiastici (1).

d) *reservata* quorum collatio spectat ad R. Pontificem.

ARTIC. II.

De beneficiorum erectione et innovatione

144. Ad erigendum beneficium tria requiruntur: I *titulus* scilicet ecclesia seu altare Deo dicatum in quo beneficiatus suum officium persolvat; II *dos sufficiens* ut provideatur sustentationi clerici titularis et onera beneficii adimpleantur; III. *legitima auctoritas* quae acceptat et erigit in beneficium, illum titulum (2).

In limine fundationis beneficii possunt adiici quaecumque conditiones, dummodo possibiles et ab auctoritate eccl. acceptatae sint (3); et hae servandae sub nullitate collationis (4), et immutari nequeunt (5).

145. **Innovatio** beneficiorum tunc perpetratur cum eorum

(1) Quare falsa hic apparet theoria moderni scriptoris (*Minghetti*, Stato e chiesa, p. 118 Milano 1878) qui asserit unam ex conditionibus beneficii esse existentiam alicuius patroni fundatoris; nam in facto constat non omnia beneficia fuisse a privatis personis erecta, et ius nominandi ad privatas personas non semper pertinere. Cfr. *Santi*, l, c. n. 19.

(2) Erectio beneficiorum maiorum pertinet ad S. Pontificem. Collegiatarum erectio a Papa vi brevis specialis Ordinario loci committi seu concedi solet. Cfr. *Ferraris*, v. *collegiata*.

Minora etiam ab Episcopis erigi possunt sed cum debitis solemnitatibus. *Leuren*. l. c. 30, 31.

(3) *Monacelli*, Formularium legale pract. fori eccl. t. 2; Card. *De Luca*, Disc. 95, n. 10, De beneficiis; *Fagnanus*, in cap. 7 Tit. VI, lib. I, n. 72.

(4) Trid. sess. XXIV, c. 5 de reform.

(5) *Pyrrus-Corradus*, Praxis benef. l. c. 10, n. 145; *Fagnanus*, Comm. ad cap. « *Conquerente* » 6° de clericis non resid. n. 22.

status primitivus scilicet eorum officia, iura, reditus immutantur. Huc pertinent *unio*, *divisio*, *dismembratio*, *diminutio*, *suppressio*, *translatio*.

146. **Unio** est duorum vel plurium beneficiorum aut ecclesiarum coniunctio a legitima auctoritate facta. Haec unio esse potest perpetua vel temporalis secundum quod fit in perpetuum vel ad tempus.

Unio perpetua triplici modo peragi potest: 1 *totaliter* seu *per confusionem* quando scilicet duo vel plura beneficia in unum tertium novum beneficium caelescunt; 2. *aeque principaliter* seu per *unionem socialem* quando duo vel plura beneficia sub uno rectore ita connectuntur ut tamen naturam et titulum proprium conservent cum suis iuribus et privilegiis; 3. *accessorie* seu *per subiectionem* quando duo vel plura beneficia uni rectori subiiciuntur velut accessorium ad principale. Beneficium sic unitum amittit suum titulum et acquirit naturam, qualitates, privilegia beneficii principalis (1).

Unire possunt beneficia S. Pontifex et Episcopus, pro casuum varietate, et quidem, ad Episcopi uniones saltem quod spectat, servatis de iure servandis (2).

Conditiones requisitae sunt: *a*) ut unio fiat iusta ex causa (3); *b*) vocentur et audiantur omnes quorum interest (4) *c*) ut obtineatur consensus Capituli eccl. cathedr., patronorum, item praelati inferioris si ad illum spectet collatio beneficii uniendi (5).

(1) *Leuren*. l. c. P. I, n. 166; *Icard*, II, n. 595; *Aichner*, p. 273; *Wernz*, n. 254.

(2) *Manacorda*, De re beneficiaria, n. 448 et seqq.

(3) Non tamen necessarium, inquit *Garcias*, Tract. de benef. eccl. c. II, § 1, n. 219, cum *Rebuffo*, Praxis benef. h. l., quod vocetur plebs nisi ex consuetudine speciali locorum.

(4) Causae ex cap. 33, Tit. V, lib. III, reducuntur ad necessitatem vel utilitatem Ecclesiae. Cfr. *Sebastianelli*, n. 322, vol. II.

(5) *Schmalzgueber*, P. I, tit. V. « *De praebendis* »; *Lotterius*, lib. I, quaest. XXVIII, n. 167, De rebus benef.; *Bouix*, l. c. n. 290

Insuper Episcopi nequeunt *a*) unire beneficium unius dioecesis cum beneficio alterius dioecesis (1); *b*) beneficia exempta vel reservata S. P.; *c*) beneficia parochialia cum ecclesia cathedrali, collegiata, monasterio etc. (2); *d*) beneficia regularia cum ecclesia cathedrali vel collegiata (3); *e*) beneficia liberae collationis cum beneficiis iurispatronatus (4).

147. **Divisio** tunc habetur quando ex uno beneficio fiant duo vel plura sive quoad dotem sive saltem quoad iura et onera.

Divisio beneficiorum maiorum et dioeceseum competit S. Pontifici, cuius etiam est dividere illa beneficia quae iure singulari, a S. Sede pendent (5); parochialium et simplicium ad Episcopos spectat ex causis iure permissis et servata forma canonica (6). Causae legitimae divisionis est utilitas spiritualis fidelium, ut ex. gr. quando ob locorum distantiam vel itinerum difficultates parochiani non possent commode ecclesiam adire ut sacramenta percipiant, et divini officii tempore congruo intersint (7). Et praeterea solemnitates

et seqq.; *D'Annibale*, Summa theol. mor. P. III. n. 22. Vi autem concordatorum aut ad maiora mala vitanda, haud raro etiam expetendus est consensus gubernii civilis ut beneficia uniri possint. Cfr. *Wernz*, II, n. 272.

(1) Conc. Trid. sess. XIV, c. 9.

(2) Trid. sess. XX IV, c. 13.

(3) Trid. sess. XXIV, c. 10.

(4) Trid. sess. XXV, c. 9.

(5) *Berardi*, Ius eccl. tom. II, diss. III, c. III.

(6) Episcopus vero nequit dividere beneficia regularia nec exempta, cum non subsint eius iurisdictioni. Similiter dicendum de ecclesiis *numeratis*, scilicet de iis quae certum habent numerum canonicorum ea lege ut nequeant alterari ex fundatione vel ex praecepto statuti. Cfr. *Manacorda*, op. cit. n. 545.

(7) Sola numerositas populi iuxta aliquos non causa est sufficiens novas erigendi parochias, si parochus sibi vicarios adiungendo valeat fidelium utilitati consulere. Cfr. *Garcias*, op. cit.. tr. XII, c. III; *Pyrrum-Corradum*, op. cit. l. III. Alii vero tenent etiam nimiam multitudinem parochianorum ad beneficii divisionem sufficere. Ita *Bouix*, l. c. p. 253; *Wernz*, III, n. 264.

servandae sunt: *a*) consensus Capituli cathedralis; *b*) ut ii audiantur quorum interest v. gr. parochi ecclesiae matricis, qui tamen suum consensum irrationabiliter negare non potest (1); et ita dicendum de ceteris interesse habentibus (2).

148. **Dismembratio** fit quando, manente unitate beneficii, fructus et reditus alteri beneficio, vel pio loco vel personae, vel pro erectione seminarii applicantur (3). Dismembratio fieri potest ad tempus vel in perpetuum, et sicut unio et divisio ut valida et licita sit, si ab Episcopo perficitur, requiritur causa gravis, scilicet necessitas et evidens utilitas ecclesiae cui aliter provideri non possit: et praeterea observandae in ipsa solemnitates praescriptae (4).

Antequam ergo ad dismembrationem deveniendum sit, audiendi sunt rector beneficii dismembrandi, nec non ecclesia vel collegium et patronus; tamen non exigitur eorum consensus (5).

Iuxta autem Schmalz., De Luca, Lotterium et Pyrrum-Corradum requireretur consensus Capituli cathedralis. Item sensit et Sebastianelli op. cit. n. 326, vol. II.

(1) Beneficarius qui se reputat iniuste gravatum sententia Episcopi, sive existimet defuisse rationem sufficientem, sive praetermissas fuisse formas praescriptas, appellare potest ad Metropolitam vel ad S. Pontificem. Appellatio tamen non habet effectum suspensivum sed dumtaxat devolutivum. Cfr. *Fagnan.* in cap. *Ad audientiam*, n. 12; *Barbosam*, De potest. Episcop.

(2) Unde cum ex iure novissimo, inquit *Barbosa*, De offic. et potest. Episc. All. LXVIII cum *Riccio*, Praxis rerum fori eccl., tota causae iustitia in Episc. arbitrio resideat, poterit ipse sine maioris partis parochorum consensu circa separationem agere.

(3) *Bened. XIV*, de syn. l. IX, c. 7.

(4) Religiosi quibus est incorporata parochia sine Episcopi consensu non possunt diminuere portiones assignatas ipsorum Vicariis; bene vero cum consensu Episcopi ex iusta causa. *Schmalzgr.* tom. III, p I, de praeb. n. 201.

(5) C. 3, « *Ad audientiam* » X, III, 48. Consensus patroni necessarius esse videtur si nova parochia dotanda sit ex bonis ecclesiae matricis ab eo dotatae. *Schmalz.* III 48, n. 18.

149. **Diminutio** beneficii contingit quum beneficium vel beneficiatus aliquo onere reali vel personali gravatur; aut collatione pars redituum beneficialium novo beneficiario subtrahitur.

Onera personalia possunt esse *spiritualia* ut v. gr. si iubetur adiuvare parochum in concionibus, catechesibus etc.; vel *temporalia*, si praestare iubetur partem fructuum sed ad dies vitae, quin obligentur successores. Secus onus erit reale afficiens ipsum beneficium (1).

Inter onera realia praecipuum locum tenet *Pensio.*

150. **Pensio** definitur: ius alicui concessum percipiendi portionem aliquam fructuum ex alieno beneficio, ad tempus vel in perpetuum. Romanus Pontifex quascumque pensiones imponere potest, sive temporales sive perpetuas in omnia eccl. beneficia absque ulla exceptione (2).

Quoad vero potestatem Episcopi hac in re distinguendae pensiones *temporales a perpetuis*, pensiones *ad vitam gravati vel ad vitam pensionarii.*

Pensiones *perpetuas* imponere nequit, quia non afficiunt personas, sed beneficium, ideoque ipsum minuunt contra C. *ut nostrum* quo statuitur beneficia sine diminuitione esse conferenda (3).

Temporanea et pensiones *ad vitam gravati* imponere potest tuta conscientia et auctoritate sua ordinaria (4).

Ad pensiones autem *ad vitam pensionarii* quod attinet, quaestio est inter Canonistas.

Alii tenent Episcopum ordinaria potestate nec pro

(1) Cfr. *Aichner*, p. 227; *Wernz*, II, n. 320.

(2) *Leurenius*, Pars III, sect. I, c. IV, sess. 443. Item *Barbosa*; Card. *De-Luca*; *Garcias*, etc.

(3) Decret. l. III, de praebendis 5, c. XXI; Const. *S. Pii V.* « *Intolerabilis* »; S. Congr. Conc. in Leod. Cfr. *Manacorda*, op. cit. n. 594.

(4) *Schmalzgrueber*, tom. III, p. I, tit, XII, n. 6; *Sebastianelli*, II, n. 243.

bono pacis posse pensiones reservare ad vitam pensionarii, quia dicunt, in iure habentur quasi perpetuae (1).

Contrarium habent alii (2).

Hic tamen notandum quod pensiones quas Episcopus imponit debent esse moderatae ut beneficiario sustentatio congrua remaneat integra (3).

Pensiones extinguuntur morte pensionarii, voluntaria susceptione status militaris, dimissione habitus clericalis, perpetratione criminum etc. (4).

151. **Suppressio** beneficii idem est ac cessatio tituli beneficii seu praebendae a legitima auctoritate inducta ob iustam causam et servatis de iure servandis, ita ut beneficium desinat esse, eiusque fructus seu reditus, si qui sint, aliis applicentur beneficiis seu locis piis (5).

Legitima auctoritas in suppressione Episcopatus est S. Pontifex. Canonicatus, non vero dignitates, supprimere valet et Episcopus (6). Auctoritati vero civili nulla concessa est

(1) *Fagnanus*, lib. III, Decr. C. « *Nisi essent* »; *Antonellus*, De regimine Ecclesiae, lib. III, cap. XI; *Reiffenstuel*, l. III, tit. 12, n. 6.

(2) *Garcias*, P. I, C. V, n. 339; *Barbosa*, lib. III, c. XI, n. 56; *Gonzales*, in Reg. VIII Concell. Gloss. V, § V, n. 27.

Practice vero concludit *Manacorda*, l. c. c, XXX, n. 598, aestante dubitatione opinamur standum esse quantum fieri potest, stylo Rom. Curiae, qui est iuris communis fidelis interpres. Et cl. *Wernz*, l. c. p. 423 addit: « Praxis hodierna tolerata est mitior ».

(3) *Ben. XIII*, Const. « *Quanta* » vetat ne ecclesiae parochiales ullo pensionum genere gravarentur ut parochus integros habeat reditus pro pauperibus.

(4) *Schmalzgr.* l. c. n. 41, 42, 43.

(5) *Manacorda*, op. cit. n. 685, *Lotterius*, l. II, quaest. VIII, n. 85 seqq. et *Corradus*, l. II, c. VIII, n. 74 dividunt suppressionem in *extinctivam tituli* et non *extinctivam*. Prima ex. gr. habetur quando extinguitur ecclesia parochialis ad effectum ut in collegiatam erigatur; in hoc casu tollitur a rerum natura titulus ipse collativus, idest denominatio, essentia et natura ecclesiae parochialis. *Non extinctiva* dicitur dum beneficium ita alteri unitur ut si dissolvatur unio, beneficium reviviscat.

(6) Cfr. *Aichner*, p. 280.

potestas (1), nisi concordatis vel ex legitima consuetudine ab Ecclesia aliquis civilis interventus sit permissus (2).

Causae suppressionis esse possunt paucitas incolarum, diminutio redituum talis ut non possit persona sustentari.

Inter solemnitates ergo est primo loco recensenda haec causarum inquisitio ab Episcopo instituenda nec non vocatio illorum quorum consensus requiritur, aut consilium est audiendum (3).

In specie si agatur de suspensione canonicatus in ecclesia collegiata, exigitur consensus Capituli collegiatae et consensu Capitulis cathedralis (4).

152. **Translatio** beneficii qua titulus illius alio transfertur non habet rationem suppressionis (5) immo stricte loquendo neque innovationis, quia iura, proventus et obligationes ob mutationem loci non immutantur.

Ius habet transferendi, cui competit ius erigendi; requiritur tamen iusta causa, uti *necessitas* vel *evidens utilitas.* Solemnitates autem servandas statuit Conc. Trid. *(6)*: « Episcopi etiam tamquam Sedis apostolicae delegati transferre possint beneficia simplicia etiam iuris patronatus ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel cappellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus, prioribus ecclesiis impositis. »

(1) Contra suppressionem beneficiorum a gubernio civili in Italia perpetratam vide Alloc. *Pii IX*, 20 Sept. 1867. Cfr. *De-Angelis* op. cit III, tit. V, n. 28.

(2) Cfr. *Nussi*, Conventiones etc. pag. 106.

(3) *Leuren*. l. c. q. 968 seqq.

(4) Trid. sess. XXIV, c. 15 de ref.; *Manacorda*, op. cit. e. c n. 698.

(5) Nisi in Episcopatibus, in quibus titulus eccl. cathedr. prioris a S. Sede supprimi et alia ecclesia in alio loco in cathedralem erigi solet. Cfr. *Aichner*, op. cit. p. 280, not.

(6) Sess. XXI, c. 7, de ref.

Translatio vero parochiae ad aliam ecclesiam difficilius a S. Sede conceditur.

Interdum ecclesia derelicta et diruta in profanos usus non sordidos converti poterit, erecta ibi cruce (1).

ARTIC. III.

De beneficiorum provisione

Provisio seu concessio beneficiorum triplici modo fieri solet: *a*) *electione*; *b*) *collatione*; *c*) *institutione* cui connectitur *ius patronatus.*

§ I.

De electione.

153. Electio definitur: « *Personae idoneae ad ecclesiam seu praelaturam vacantem vocatio ab iis quibus ius est canonice facta a superiore confirmanda* ».

Dicitur *a*) *personae idoneae*, nullo nimirum impedimento canonico laborantis et insuper positivis qualitatibus praeditae scilicet, *aetatis maturitate* pro diversate graduum, officiorumque ecclesiasticorum, *ordine praescripto*, *litterarum scientia*, *legitimis natalibus* (2), *b*) *ad ecclesiam seu praelaturam vacantem;* quia quaelibet electio ante vocationem peracta est ipso iure nulla (3); *c*) *ab iis quibus ius est* seu a legitimis electoribus. Legitimi electores habentur iure ordinario qui proprie et stricte sunt de ipso corpore collegii cuius praelatus est eligendus, dummodo facti non sint ex aliquo defectu vel delicto inhabiles ut sunt v. gr. furiosi, amentes, suspensi, privati voce activa, infames etc. (4). Iu-

(1) Cfr. S. C. C. 4 Sept. 1869; Acta S. Sedis, II, 464, V, p. 189.

(2) Cfr. *Santi,* I, tit. V; *Wernz,* II, n. 362; *Aichner*, p. 282.

(3) C. 1, 2, 7, tit. *De Concess. praeb.* et C. 4, *De Donat.*

(4) Cfr. *Passerini,* de elect. canon. n. 11, 64, 87.

re autem extraordinario (1) etiam extranei; *d*) *canonice facta*, quatenus scilicet servantur leges et conditiones, iure canonico constitutae; *e*) *a superiore confirmanda*, quia electio non confert electo plenum ius assequendae praelaturae.

154. Forma seu modus electionis triplex esse potest.

I. *per quasi inspirationem* seu *acclamationem* quando electores, in loco electionis congregati, nullo praevio tractatu, uno ore absque contradictione et haesitatione in eamdem personam consentiunt. In tali enim unanimi consensu praesumitur specialis afflatus Spiritus Sancti qui unitatis et concordiae est auctor (2).

II. *per scrutinium* quod sub praeside sic instituitur:

Eliguntur a capitulo tres scrutatores ad quos singuli electores vota sua deferunt sive ore prolata sive (quod usitatius est) scripta et clausa, quae dein adnotantur in protocollo. Vota dantur secreto et singillatim. Postea fit publicatio scrutinii quae duos actus continet: nam *a*) publicantur vota cunctorum in scriptis redacta in communi a scrutatoribus et comparatur numerus votorum cum numero eligentium; *b*) cognito suffragiorum legitimo numero in aliquem concurrente, decretum de peracta electione scribitur et solemniter publicatur. Si cui vota non tantum relative, sed absolute maiora faveant (3) i. e. si eorum ultra dimidium aliquis obtinuerit, ille canonice electus consetur, et qua talis coram collegio pronuntiatur (*publicatio electionis*). Deficientibus votis absolute maioribus, scrutinium tamdiu

(1) Ius extraordinarium ex quadruplici causa oriri potest: *a*) ex consuetudine legitima; *b*) privilegio R. Pontificis; c) communicatione facta unanimi consensu a legitimis electoribus (qui tamen ex privilegio tales non sint). Cfr. *Reiffenstuel*, de elect. n. 160 et seqq.; *d*) denique pacto fundationi adiecto. Cfr. *Schmalzgr.* tit. de elect. 7.

(2) Cfr. *Passerini*, l. c. c. 23 iunct. cap. cap. I, n. 54 seqq.

(3) Cfr. *Giraldi*, Exp. iur. pontif. pars I, lib. I, sect. 46, p. 29, tom. I; *Devoti*, Inst. can. tom. I, sect. I, § XVIII.

iterandum erit donec vota absolute maiora obtineantur, aut ad viam compromissi transeundum est (1).

III. *per compromissum* denique fit quando ii, quibus ius eligendi competit, communi consensu facultatem eligendi praelatum committunt aliis viris idoneis, sive ex eorum coetu sive etiam extraneis, ut nomine et vice omnium eum eligant (2).

Etiam in electione per compromissum requiruntur vota absolute maiora.

155. *Qualitates* electionis hae sunt:

Electio *a)* debet esse prorsus libera; *b)* actus collegialis; *c)* debet celebrari loco, tempore et modo singulis constitutionibus praefinito (3).

Electio invalida est *a)* si admittantur personae laicae ad suffragium ferendum; *b)* si eligatur scienter indignus; *c)* si non observetur in parte substantiali forma electionis praescripta, vel non compleatur intra tempus a iure definitum (4).

§ II.

De postulatione

156. Subsidiaria electionis est *postulatio*, petitio scilicet competenti superiori ecclesiastico ab iis qui eligendi ius habent (5) praesentata ut ad prelaturam ecclesiasticam di-

(1) Cfr. *Aichner*, p. 288; *M. De-Luca*, I, n. 161.

In electione S. Pontificis datur etiam *accessus* qui consistit in facultate Cardinalibus concessa accedendi, publicatis a scrutatoribus in schedis suffragiis, scripto suffragio in nova scheda, in electionem illius qui aliquod saltem per scrutinium suffragium tulerat ita ut binas tertias partes referat. *Greg. XV* in const. « *Aeterni Patris* ». Cfr. *Icard*, I, n. 74; *Ios. Ferrari*, II, n. 482, not.

(2) Cap. 42, de elect. Glossa in CC, de elect. in 6; *Barbosa*, Collect. in Decr. C. 42.

(3) Cfr. *Sanguineti*, op. cit. n. 302; *Zallinger*, tit. de elect. n. 276.

(4) Cfr. *Santi*, I, tit. VI, n. 23 et seqq.

(5) Ius postulandi competit etiam illis extraneis qui consuetu-

gnetur admittere illum qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest.

Postulatio alia est *solemnis*, alia *simplex*.

Solemnis dicitur illa cui convenit definitio super allata; simplex quando petitur tantum licentia et consensus superioris postulati qui assumi non posset absque consensu proprii superioris, ut contingit v. gr. in Cardinalibus Curiae si ad sedem episc. non suburbicariam eligendi sint vel in Religiosis si velint promoveri ad Episcopatum (1).

Requisita postulationis sunt: *a*) iusta causa, scilicet Ecclesiae necessitas vel utilitas (2); *b*) ut impedimentum sit dispensabile, i. e. ut dispensari super eo possit et soleat (3).

157. Forma postulationis tutior est per scrutinium; ac ut in electione requiritur maioritas votorum.

Attamen si postulatio concurrit cum electione, scilicet si una pars capituli eligit, et alia postulat, postulatus reportare debet duas tertias partes suffragiorum (4).

Effectus postulationis sunt: *a*) ut postulatio, ante superioris admissionem, nullum ius tribuat postulato, ideoque possint postulantes variare a sua postulatione et etiam recedere; *b*) ut ius plenum conferat post admissionem, cum admissio vim habeat confirmationis (5).

dine vel privilegio in aliquo collegio electorum ius eligendi obtinuerunt. Cfr. *Nussi* l. c. p 39.

(1) Cfr. *Passerini*, De postulatione, v. 1, 2, 2, 4, 5, n. 64 seqq.; *Santi*, op. cit. I, tit. V, n. 3 et seqq. Postulatio vero solemnis non intrat in electionibus superiorum regularium. Cfr. *Giraldi*, ad cap. 6 Conc. Trid. sess. XXV, de reform.

(2) *Schmalzgr.* tit. de post. n. 5.

(3) Non possunt dispensari infantes, mulieres, amentes, furiosi etc.; non solent bigami, spurii etc.

Qui scienter postulant indignos vel impostulabiles ex defectu corporis, ea vice iure eligendi et postulandi privantur. Cfr. *Wernz*, II, n. 392, 393.

(4) *Aichner*, p. 289; *Zallinger*, h. t. § 261.

(5) *Schmalzgr.* l. c. n. 3; *Sanguineti* op. cit. tit. IX n; II.

§ III.

De Collatione.

158. **Collatio** definitur: « *Vacantis beneficii ecclesiastici ab eo cui tale ius competit libere facta idoneae personae concessio* ».

Potestas ordinaria conferendi beneficia tota residet ex iure communi in R. Pontifice qui omnia beneficia eccl. in universa Ecclesia libere conferre valet.

Romanus Pontifex uti potest plenitudine suae potestatis in libera collatione beneficiorum:

a) *iure praeventionis*, quum nempe praeveniendo vacationem beneficii mandat illud conferri, aut ipse eo tunc iam confert certae personae postquam vacaverit; vel quum confert gratiam expectativam ad beneficium vacaturum (1).

b) *iure concursus* quando vi Primatus concurrit cum ordinario collatore, scilicet cum confert beneficium vacans cuius collatio proprio iure ad alium spectabat (2).

c) *iure devolutionis*, supplendo scilicet negligentiam ordinarii collatoris (3).

d) *iure reservationis*. Reservatio definitur: Avocatio beneficii vacaturi a collatore ordinario ad superiorem qui potestatem habet ad id iure agendum. Hoc iure praeter beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam (4) eidem S.

(1) *Reiffenstuel*, heic 152 et *Pichler*, Ius can. practice explicatum. De Concess. praeb. n. 42.

(2) Cfr. *Riganti*, in Reg. XVII Cancell.; *Leuren.*, l. c. P. II, q. 514 seqq. ; *Ferrari*, v. *beneficium* VIII, et seqq.

(3) *Santi*, vol. III, tit. V, n. 47.

(4) *Riganti*, Reg. Cancell. § I, n. 38 seqq.; *Garcias*, de beneficiis, P. V, c. 1. § 1. Haec reservatio non afficit beneficia duplicia maiora nec beneficia litigiosa, nec electiva, nec parochialia, si haec vacantia extiterint, Sede Apostolica suo Praesule destituta existente; et durat per unum tantum mensem computandum a beneficii va-

Pontifici reservantur praesertim *a*) beneficia propter simoniam confidentialem (1); *b*) beneficia collata contra formam praescriptam a Conc. Trid. (2).

Reservata pariter manent beneficia quae recensentur in Regulis Cancellariae Apostolicae (3), inter quas memorare sufficiat nonam qua ad S. Pontificem competit collatio beneficiorum mensibus Ian. Febr. Apr. Maii. Iul. Aug. Oct. Nov. vacantium (4). Episcopi vero obtinere possunt a Dataria Apost. ut beneficia conferre valeant mensibus Febr. Apr. Iun. Aug. Oct. Dec. (5).

Denique *e) iure affectionis*, quum scilicet R. Pontifex manifestat suam auctoritatem interponere velle in collatione aliquorum beneficiorum. Differt a reservatione quia reservatio fit verbis, affectio inducitur facto: reservatio habet effectum successivum, affectio autem pro una tantum et prima vice beneficium S. Pontifici addicit (6).

159. Post S. Pontificem, collatores ordinarii beneficiorum sunt: *a)* Episcopi in propria dioecesi, sive soli, sive una cum Capitulo: *b*) ipsum Capitulum sive collegialiter, sive per turnum, sive titulo singulari (7); *c)* Praelati *nullius* in

catione, ita ut eo transacto cesset reservatio et fiat locus collationi Ordinariorum. Cfr. *Sebastianelli*, n. 194 vol. II.

(1) Const. *S. Pii V* « *Intolerabilis*, 12 Ian. 1569.

(2) Cfr. etiam Const. *S. Pii V*, « *In conferendis* » 18 Martii 1567.

(3) *Riganti*, l. c. proem. n. 26 seqq, 73, seqq.; *Devoti*, Inst. can. lib. I, tit. V, sect. III, § 35.

(4) Haec tamen reservatio cessat per id tempus quo Sedes Apost. vacat. *Devoti*, l. c. § 40; nec locum habet adversus collatores ordinarios qui sint Cardinales. *Ferraris*, v. *beneficia* a. 3, n. 38.

(5) Hae reservationes non vigent iis in locis ubi per concordata cum S. Sede collatio beneficiorum alio modo constituta sit. Cfr. *Reiffenstuel*, De praeb. n. 425; *Nussi*, Conventiones etc. p. 134 et seqq. de reserv. vig. in Hispania, Austria etc. *Sebastianelli*, II, n. 194.

(6) *Vecchiotti*, op. cit. II, c. II, n. 23; *M. De Luca*, I, tit, XII, n. IV.

(7) *Sanguineti*, op. cit., n. 314.

suo territorio quoad beneficia non curata (1); Cardinales in suis titulis vel episcopatibus suburbicariis (2).

Iure extraordinario beneficia conferre possunt *Substituti* (3) in casu devolutionis ob negligentiam ordinarii collatoris; et Legati S. Pontificis.

Privilegio autem, vel consuetudine vel praescriptione immemoriali vel ex lege fundationis etiam Praelati inferiores (4).

160. Qualitates collationis ad validitatem numerantur: I. *quoad personas*: *a*) ut habeat aetatem praescriptam (an. 30 compl. ad episc.; 25 incompl. ad benef. cur.; 22 ad dignit. capit; 14 ad benef. simpl.) (5); *b*) legitimos natales; *c*) adscripta sit ad statum clericalem cum ordine a beneficio requisito et coelibatum servet; *d*) integritate morum gaudeat; *e*) scientia sufficienti polleat.

II. *quoad formam: a*) ut beneficium sit vacans; *b*) collatio gratuita scilicet non simoniace facta; *c*) ut fiat intra tempus statutum a iure i. e. pro beneficiis maioribus intra trimestre: pro minoribus intra semestre ab habita notitia vacationis; *d*) iuxta praxim communem.

161. Ex praxi communi beneficia liberae collationis quae curam animarum adnexam habent (6) conferenda

(1) *Ben. XIV*, de syn. l. 2, c. 11, 5, 6.

(2) Hoc tamen ex indulto a Pontifice singulis Cardinalibus Reg. 8 Canc. Ap. concessum, est repetendum. Cfr. *Wernz*, II, n. 348.

(3) Substituti ad quos devolvitur collatio beneficii sunt ordinarie qui immediate praesunt. Hinc in Dioecesi est Episcopus qui supplet negligentiam aliorum collatorum; negligente autem Episcopo, beneficium confert Metropolita. Cfr. Decret. I, tit. X, *De supplenda negligentia* etc. Si vero agatur de ecclesiis exemptis deque beneficiis earum, ius devolutionis in casu negligentiae ad Rom Pontificem spectat. C. 32 de Praeb. in 6°. Cfr. *Santi*, I, tit. X.

(4) *Leuren*. l. c. P. II, q. 718, 720, 735; *Santi*, lib. III, tit. V, n. 56.

(5) *Sanguineti*, op. cit. n. 293; *Lombardi*, op. cit. vol. II, p, 276; *Manacorda*, op. cit. cap. VIII.

(6) Beneficia simplicia, voluntate superioris conferuntur absque ulla speciali forma, sed simplici assignatione. In Italia et insulis

sunt *per concursum* iuxta decreta Conc. Trid. (1) ad formam praescriptorum a S. C. Concilii (2) confirmata a Bened. XIV (3).

« Vacante itaque ecclesia parochiali, quae conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec, quae sequuntur ex S. C. sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur:

« 1. Primum nempe, ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii, super quo sermonis aliquid praescribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

« 2. Alterum, ut casus et quaestiones resolvendae dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus eodem tempore textus Evangelii tradatur.

« 3. Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant.

« 4. Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde, quamdiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.

« 5. Quintum, ut omnes sua quisque manu responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

« 6. Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur.

« 7. Postremum ut unumquodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur non solum ab eo qui scripsit, atque a Cancellario con-

adiacentibus requiritur concursus etiam pro consequendis duabus praebendis canonicalibus, theologali scilicet et poenitentiaria. Cfr. *Sebastianelli*, II, n. 256.

(1) Sess. XXIV, c. 18, de ref. Cfr. *Barbos*. De offic et potest. paroch. P. I. C. II. n. 124.

(2) Decl. « *Quo parochiales* » 10 Ian. 1721.

(3) Const. « *Cum illud* » 14 Dec. 1742.

cursus, verum etiam ab Examinatoribus et ab Ordinario, vel eius Vicario, qui concursui interfuerint subscribatur ».

Postquam vero, pergit Bened. XIV (l. c.), Examinatores diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque ore tenus aliquo ecclesiastica doctrinae capite vel a SS. Patribus, vel a S. Concilio Tridentino, vel a Catechismo romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint, qua quisque polleat gravitate sententiarum, elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel alteri dato themati accommodata: parem ni forte maiorem solertiam, Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisce omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiciant, et idoneos Episcopo renuntient ».

162. Forma *per concursum* requiritur etiam si collatio beneficii spectet ad R. Pontificem iure reservationis vel affectionis. Concursus indicitur et perficitur ab Episcopo absque licentia S. Sedis.

Quod si beneficia reserventur ratione mensium, Episcopus ex lege ordinaria eligere debet magis idoneum et eum praesentare Datariae Apostolicae quin mittat actus concursus nisi requirantur. Si autem reservatio ex alio capite procedit, ad Episcopum non pertinet eligere et praesentare magis idoneum, sed transmittere debet acta concursus ad Datariam quae per seipsam videbit cuinam conferendum sit beneficium curatum (1).

163. Lex Tridentina de concursu exceptiones admittit, quarum aliae in iure expressae inveniuntur, aliae ab Auc-

(1) *Santi*, lib. III, tit. V, n. 61.

toribus numerantur (1). Ita ex. gr. concursus non indicitur cum cura animarum adnexa est monasteriis regularium, quo in casu monasterium praesentat Episcopo religiosum virum (2), Item si ecclesia est iuris patronatus laicalis vel mixti (3), et generaliter quoties beneficia curata in nimia degent paupertate vel adest periculum gravis scandali, vel damni animarum, si diutius sine rectore relinquerentur, vel agitur de permutatione parochiae cum alia pari vel fere (4). In his omnibus casibus tamen persona idonea in examine reperta esse debet ab examinatoribus synodalibus (5).

§ IV.

De institutione et iurepatronatus.

164. **Institutio collativa tituli** (6) definitur: « *Concessio ordinaria beneficii vacantis a competente superiore* (7) *alicui*

(1) Apud *Barbosam*, in tract. de offic. et potest. Episcopi. Alleg. 6, p. III, n. 18 et seqq. In aliquibus nationibus, ut in Imperio austriaco ac germanico concursus non fit in singulis vacationibus beneficiorum parochialium; sed eius loco fit concursus generalis quolibet anno vel semestri in quibus renunciantur idonei ad parochiale officium, et vacante parochia unus ex iis instituitur. Cfr. *Sebastianelli*, II, n. 255.

(2) Const. 47 *S. Pii V*, « *Ad exequandum* » § 4. 5.

(3) S. C. C. 5 Febr. 1628; *Bened. XIV*, De syn. l. IV, c. 8. In parochialibus vero iuris patronatus eccl. forma concursus servanda est, non obstante contraria consuetudine. *Pitonius,* De controv. Patr. tom. I, Alleg. V.

(4) *Manacorda*, op. cit. c. IX.

(5) Conc. Trid. l c.; *De Angelis* l. III, tit. V, n. 22.

(6) Dicitur *collativa tituli* ut distinguatur ab institutione auctorizabili quae nihil aliud est quam approbatio Episcopi qua cura animarum exercenda committitur clerico ad officium curatum dioeceseos ab alio inferiore Praelato per institutionem collativam tituli promoto.

Nec non ab institutione reali seu investitura de qua mox. Cfr. *Leuren.* II, p. 259; *Wernz,* II, n. 442.

(7) Competens superior quoad beneficia maiora est solus R.

clerico idoneo canonice facta ad nominationem vel praesentationem patroni ».

Cum igitur institutio supponat ius patronatus, primum agendum de iurepatronatus.

Iuspatronatus est *ius seu facultas ab Ecclesia concessa praesentandi clericum instituendum ad beneficium vacans* (1).

Iuspatronatus multiplex est:

A) *Ecclesiasticum, laicale, mixtum.*

Ecclesiasticum est illud quod adnexum est alicui Ecclesiae, vel officio sacro in cuius favore beneficium institutum est ex bonis eccl.; et competere potest personae eccl. sive phisicae, sive morali, et extraordinarie etiam laicis (2).

Laicale quod ex titulo civili ex gr. ex patrimonio, ex successione in aliqua familia, vel ex alio titulo, saeculari alicui sive laico sive clerico competit.

Mixtum quod simul competit ex titulo ecclesiastico et ex titulo laicali, v. gr. si fundatione ex bonis eccl. et civilibus ortum est; vel quod a patrono ecclesiastico et laico in solidum possidetur ut v. gr. si ad aliquod beneficium ius habeat nominandi parochus alicuius ecclesiae et individua alicuius familiae.

165. B) *Personale et reale.*

Personale dicitur quod patrono competit independenter a

Pontifex; quoad minora Episcopus, vel ipsius Vic. gen. etiam sine mandato speciali, et sede vacante Capitulum et suo tempore Vicarius Capit. Item Praelatus *nullius* salvis iuribus Pontificis.

(1) *Devoti,* l. c. § 48. Ad originem et progressus *iurispatronatus* quod spectat vid. *Wernz,* II, n. 406; *Aichner,* p. 313; *Manacorda,* c. XII.

Haec definitio pertinet ad iuspatronatus *activum. Passivum,* enim quod est ius certis personis (de aliqua familia vel loco) competens, quo, beneficio vacante, aliis exclusis, ipsi sunt praesentandi ne iurispatronatus quidem nomine donari potest, nam ut ait *Berardi,* Ius eccl. univ. Tom. II de iurepatr. c. II, non ex privilegio nec iure singulari canonum conceditur, sed totum pendet a fundatoris voluntate.

(2) *Schmalzgr.,* tit. de. iurep. 7.

re aliqua temporali aut iurium universitate, seu cohaeret personae fundatoris, vel eius haeredi ubicumque is existat.

Reale quod alicui competit ratione rei temporalis legitime possessae, vel certi iuris realis cui ius patronatus inhaeret. Ex gr. si adnexum sit castro, villae, fundo etc. vel officio alicui.

C) *Haereditarium*, *familiare*, *gentilitium*, secundum quod relinquitur haeredibus quibuscumque, vel iis qui a fundatore descendunt per personas masculini sexus, vel omnibus fundatoris agnatis etiam collateralibus (1).

D) *privatum* et *regium*:

Privatum quod hominibus privatis ab Ecclesia est concessum; *regium* quod regnantibus competit (2).

166. Iuspatronatus acquirendi capaces sunt omnes qui vivunt in communione christiana. Excluduntur ergo iudaei, pagani, infideles et haeretici. Attamen inducta civili tolerantia pacis Westphaliae an. 1648, obtinuit ut etiam protestantes iuspatronatus reale exercerent in ecclesias et beneficia a catholicis obtenta et viceversa, quod hodie quoque servatur (3).

Modi acquirendi iuspatronatus alii *originarii* sunt, alii *derivati*.

(1) « Res tota, ait *Engel*, Lib. III, tit. XXVIII de iure patr. ex prima constitutione iurispatronatus dependit. Est enim in fundatoris potestate sibi, vel familiae suae iuspatronatus reservare, vel aliis etiam donare haeredibus ».

(2) Quoad *regium patronatum* vide *Leonis XIII* epist. ad Card. Segr. Status 27 Aug. 1878, in Actis S. Sedis, XIX, 351 et seqq. Cfr. quoque *Friedberg-Ruffini*, « Trattato del Diritto eccl. » § 123. « Il Diritto patronato de' sovrani » ubi not. 7, fuse et sinistre agit de iurepatronatus regio in Italia. Cfr. *Wernz*, II, n. 401. Speciale institutum sunt *Beneficia palatina*; censentur enim capellaniae regiae laicales, quorum etiam collatio ad principem spectat. Cfr. *Nasoni*, op. cit. II, p. 256.

(3) Ita in Bohemia haeretici 50 iuspatr. obtinent, quin Ecclesia catholica, pro bono pacis, reclamet. Cfr. *Schulte*, Compendium I, E. p. 270; *Sebastianelli*, II, n. 213.

Originarii autem esse possunt vel *ordinarii* vel *extra-ordinarii.*

Ordinarii vulgato exibentur versiculo:

« *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus* »

Dos quae fit per assignationem sufficientis reditus annui ad celebranda divina et ad congruam sustentationem beneficiati.

Aedificatio quando scilicet quis suis sumptibus cum consensu Ordinarii ecclesiam construit (1).

Fundare demum ecclesiam dicitur qui gratuito dat fundum seu solum sufficiens in quo aedificetur ecclesia.

Extraordinarii sunt: *privilegium apostolicum* (2) et *legitima praescriptio* (3).

Derivati autem modi vocantur illi quibus ius patronatus in aliam personam capacem transferri potest. Praecipua sunt: *successio haereditaria* (4), *donatio* (5), *emptio-venditio* (6), *permutatio* etc. (7).

(1) Si unus incipiat aedificare et alius perficiat, hic posterior fit patronus. Cfr. *Aichner*, p. 321.

(2) Can. Trid. sess. XXV, cap. 9 de ref. omnia privilegia iurispatronatus abrogavit, exceptis tantum privilegiis super ecclesiis cathedralibus et aliis quae ad supremos principes pertinerent et quae in favorem studiorum generalium essent concessa. Hoc privilegium non possunt concedere Episcopi. Cfr. *Wernz*, II, n. 415.

(3) Conc. Trid. sess. XXV, c. 9.

(4) Si iuspatronatus sit familiare, extincta familia, iuspatronatus non transit ad haeredes, sed beneficium eccl. fit liberae collationis. Cfr. *Wernz*, l. c. n. 420.

(5) Patronus laicus non potest laico vel clerico ut personae privatae sine consensu Episcopi donare suum iuspatronatus, nisi donatio fiat compatrono aut agatur de iure patronatus reali. *Ferraris*, v. *iuspatronatus* n. 25, 26, 27, 30, 31. Potest tamen donari libere Ecclesiae, monasterio vel alteri loco religioso. Cfr. *Sebastianelli*, II, n. 210. Patronus autem eccl. sine licentia R. Pontificis laico iuspatronatus eccl. donare non potest. *Ferraris*, l. c. n. 29.

(8) Iuspatronatus *personale* neque vendi neque emi potest. *Ferraris*, l. c. n. 51, 59.

(7) Iuspatronatus personale ex consensu competentis auctori-

167. Iuspatronatus amittitur:

a) *ex voluntate patroni* quatenus eidem renunciaverit, vel permiserit ecclesiam fieri collegiatam, vel neglexerit, suo iure uti absque legitima ratione saltem duabus vicibus (1).

b) *ex facto patroni*, scilicet si ita delinquat ut delicto poena amissionis patronatus sit imposita; ita v. gr. si in haeresim prolapsus sit, si occiderit vel mutilaverit rectorem ecclesiae vel alium clericum, vel id fieri mandaverit; si bona et iura Ecclesiae sibi usurpaverit (2).

c) *ex natura rei*, nimirum si extinguitur linea successorum quibus competere de iure poterit iuspatronatus, vel si ecclesia diruta sit, vel beneficium collapsum. In hoc casu imminet patrono obligatio ecclesiam vel beneficium restaurandi (3).

167. Iura et officia patroni sunt vel *honorifica*, vel *onerosa*, vel *utilia* (4).

Praecipuum inter honorifica est ius praesentandi clericum idoneum ab Episcopo vel ab alio competenti Praelato in beneficio vacante, necessario instituendum. Praesentatio iuxta aliquas leges fieri debet. Et *imprimis*: patronus esse debet habilis et competens. Quod si praesentatio pertinet ad plures per modum collegii, unus est designandus qui praesentetur per vota absolute maiora (5). *Secundo*: praesentanda est persona sufficiens, idonea, vita probata, discreta,

tatis eccl. cum alio iure patronatus personali. permutari potest; non vero cum re vel iure temporali. C. 9, X de rerum permut. III, 19. Cfr. *Santi*, III, tit. XXXVIII, 12 et seqq.; *Aichner*, p. 323; *Wernz*, l. c. n. 421; *Manacorda*, c. XVI; *M, De Luca*, I,n. 177.

(1) *Reiffenstuel*, tit. de Iurepatr. et *Schmalzgr*. h. l.

(2) Cfr. *Devoti*, Inst. can. I, Tit. V, sect. IV. § 58.

(3) Trid. Sess. XXI, c. VII, de ref.

(4) His versibus communiter exprimi solent:
Patrono debetur honos, onus utilitasque,
Praesentet, praesit, dependat, alatur egenus.

(5) C. 28, 32, X, de elect. l. 6; S. C. C. 19 Ian. 1790; *Pichler*, op. cit. h. t. n. 7.Quando quidem vota sint paria Episcopo arbitrio

modesta etc. atque perita ad officium assequendum (1). Casu contrario, si patronus est ecclesiasticus, amittit pro ea vice ius praesentandi, nisi ignoranter id fecerit; laico vero conceditur ut infra tempus legitimum novum clericum praesentet. *Tertio*: quoad tempus utile ad praesentandum, patronus eccl. habet semestre, laicus quatuor menses ab habita notitia vacationis. Si patronatus est mixtus utrique patrono conceditur semestre (2). Elapso tempore, beneficium pro ea vice redditur liberae collationis (3). *Quarto*: patronus se ipsum ad beneficium praesentare non potest, neque per procuratorem: potest tamen illud acceptare si ab Episcopo illi vel sponte, vel interpositis praecibus, conferatur, vel praesentationi suae a compatrono factae consentire (4). Item potest praesentare filium, vel nepotes et parentes, si tamen idonei sint (5).

168. *Honorifica* sunt: Sedes specialis in navi Ecclesiae (6), praecedentia prae laicis in publicis processionibus, ius apponendi stemma gentilitium in ecclesia patronatus, thurificatio etc. (7).

permittitur inter duos aut plures quem maluerit gratificandi et praeelegendi. Cfr. *Vecchiotti*, op. cit. II, § 34; Card. *De-Luca*, Dis. 32 de Iurepatr.

(1) Clementina, C. *Datum*, De sepulturis, lib. III. tit. VII, c. II. Patronus laicus habet etiam *ius variandi* i. e. praesentandi alios, sed tamen cumulative cum iam praesentatis, non vero prioribus exclusis C. XXIV, X h. t.

(2) C. 22, h. t. et c. un. eod. in 6°; c. 3 et c. 27, h. t. et c. un. eod. in 6°.

(3) Tempus tamen hoc non decurrit legitimo impedito, et esse debet continuum seu computari de die in diem. Cfr. *Santi*, III, tit. XXXVIII, n. 35.

(4) Cfr. *Aichner*, p. 327; *Sebastianelli*, II, n. 215.

(5) *Schmalzgr.*, l. I, Decr. tit. VI, c. XXXVIII; *Manacorda* c. XII, n. 173.

(6) Non tamen in choro neque in presbyterio, nisi forte adsit alicubi legitima consuetudo. *Sanguineti*, op. cit. n. 318; *Pignatelli*, Consult. can. tom. IV, consult. 16.

(7) *Schmalzgr.*, n. 94; *Reiffenstuel*, n. 110. Alii tamen dicunt

Ad *utilia* spectat ius patroni percipiendi ex bonis ecclesiae patronatae alimenta pro se, uxore et filiis si ad inopiam veram, non culpabilem vergat (1).

Ad *onerosa*: *a*) cura providentialis relate ad beneficium ne videlicet eius bona male dissipentur (2); *b*) obligatio quaedam reparandi et reaedificandi ecclesiam patronatam forte collapsam, et dotem restaurandi si prima defecerit (3).

169. Ius dandi institutionem collativam tituli, si de beneficiis maioribus agitur, habet solum R. Pontifex; si de minoribus Episcopus (4) in sua dioecesi, vel sede vacante Vicarius Capitularis; et Praelatus *nullius* (5).

Institutio fieri debet *a*) intra *legitimum tempus* quod quamvis in genere non sit in iure definitum tamen quoad beneficia parochialia non extenditur ultra duos menses (6); *b*) post *examen* ab Ordinario institutum, quo praesentati idonei reperti sint. Si Episcopus institutionem clerici praesentati recuset, causam patefaciat oportet patrono vel alii personae ad nominationem competenti (7).

Patronus autem vel appellare, vel alium clericum praesentare potest dummodo inter tempus definitum id faciat (8).

ius thurificationis nulli laicorum nisi regnantibus competere, citantes decretum in Neapol. 8 Iun. 1635 apud *Gardellini*, tom. III, n. 110.

(1) *Schmalzgr.* n. 105 et seqq.; *Leuren.* l. c. q. 100 et seqq.

(2) Nulla vero administratio bonorum eccl. patrono competit, nec ulla ingerentia in rebus spiritualibus.

Trid. sess. XXIV. c. 3 de ref. XXV, c. 9 de res.; *Aichner*, p. 331,

(3) Cfr. *Wernz*, II, n. 433.

(4) Etiam non consecratus, C. 3, X, h. t. 7; *Leuren.*, l c. P. II. q. 169, 177.

(5) *Schmalzgr*, n. 10, h. t.

(6) Const. *Pii V*, « *In conferendis* », 18 Martii 1567, § 4.

(7) Cfr. *Wernz*, II, n. 445.

(8) *Leuren.*, l. c. P. II, q. 153.

§ V.

De investitura et vacatione beneficii.

170. **Investitura** est *actus quo quis post collationem in possessionem beneficii solemni modo immittitur.*

Olim ad Archidiaconos pertinebat institutio illa corporalis tam super beneficiis quam etiam dignitatibus (1). Hodierna aetate Episcopi ad hoc officium deputare solent Vicarios generales, vel foraneos (2).

Forma investiturae in iure sancita non est, sed pro varietate locorum et beneficiorum varia est. Possessio corporalis ordinario accipitur per introductionem in locum beneficii cum traditione clavium vel alio ritu qui officium et iura beneficiati significet. Possessio apprehendi potest per se vel per procuratorem cum mandato speciali (3).

Effectus possessionis sunt: *a*) ius officium spirituale exercendi cum iurisdictione adnexa et percipiendi fructus beneficii; *b*) ut acquirantur favores Reg. Cancell. 35 de *annuali possessione* quae ius ei tribuit in casu quo competitor idem beneficium obtinuisse praetendit, in sua possessione manendi, donec lis dirimatur: et favores Reg. Cancell. 36 de *triennali possessione* qua statuitur si quis per triennium beneficium pacifice cum titulo colorato posseder it non amplius possit in ius vocari suaque possessione exturbari (4).

Effectum eumdem parit ac praescriptio quadragenaria (5) tum in foro interno, et probabilius externo (6).

(1) Cap. *Ad haec*, 7, De offic. Archid.

(2) Cfr. *Icard*, II, n, 609.

(3) C. 24, *De praebendis*; *Leuren.* l. c. n. § 10, *Rebuff.*, op. cit. n. 26.

(4) *Riganti*, l. c. Reg. Conc. 35, 36; *Sebastianelli*, II, n. 225.

(5) Cfr. *Molin.*, de Iust. et Iure, tom. 2, disp. 80; *Lugo*, de Inst. et Iure, VIII, 104.

(6) *Reiff.* in l. I de Reg. Iur. in 6°, n, 26; *Sanchez*, de Decal. d. 25.

Obligationes autem quibus post possessionem, beneficiati adstringuntur sunt particulares et generales. Primi generis, tabulis fundationum statuuntur et variae sunt, ideoque nequeunt regula aliqua generali determinari. Secundi generis, fere omnes et singulos beneficiatos respiciunt et reduci possunt ad quatuor:

a) Beneficiati tenentur adimplere officium beneficio adnexum. Ratio est quia, ut diximus, beneficium datur propter officium.

b) Beneficiati tenentur divinum officium recitare. Hoc statuitur ex lege Ecclesiae (1), sub poena amittendi, post sex menses, fructus beneficii pro rata temporis omissionis officii (2).

c) Beneficiati tenentur emittere fidei professionem (3).

d) Beneficiati tenentur residere in ecclesia vel in loco beneficii (4).

171. **Vacatio** — Beneficium ordinario vacat:

a) per mortem naturalem beneficiati dummodo beneficium non sit unitum, vel de mensa communi vel ecclesia non sit numerata (5).

b) per depositionem aut privationem ipso iure aut per sententiam iudicis factam ob crimen admissum ex gr. ob haeresim, homicidium, simoniam realem, etc.

(1) C. 9, h. t. ubi *Inn. III*, praecipit in virtute sanctae obedientiae ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum studiose celebrent pariter et devote. Cfr. *Santi*, III, tit. XLI, n. 8.

(2) Const. *S. Pii V*, « *Ex proximo* » 12 kal. oct. 1571.

(3) Cfr. Trid. in cap. 2, sess. XXV de refor. Item Const. *Pii IV* « *Iniunctum* » et « *Sacrosanta* ». Beneficiati tamen minores ex iure communi non tenerentur facere professionem fidei; possunt vero obligari ad eam edendam ex iure particulari. Cfr. *Sebastianelli*, II, n. 273.

(4) De residentia iam locuti sumus ubi de obligationibus peculiaribus.

(5) *Manacorda*, op. cit. c. XXIII, n. 374.

c) per iberam renunciationem seu resignationem ex legitima causa (1) factam et a superiore acceptatam (2).

d) per licitam et validam permutationem quae aliud non est nisi reciproca duorum beneficiorum resignatio ad finem factam ut quilibet resignans alterius resignantis beneficium obtineat (3).

e) per translationem ad aliam ecclesiam ex causa gravi et auctoritate illius superioris eccl. cui beneficium subiicitur (4).

f) per professionem solemnem in Ordine religioso.

g) per matrimonium contractum de praesenti, non vero per sponsalia.

h) per legitimam assecutionem alterius beneficii incompatibilis.

(1) Legitimae causae ad episcopatuum renunciationem his versiculis numerantur:

« Debilis, ignarus, male conscius, irregularis
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit ».

Cfr. l. 10 Decret. (l. 9).

Pro inferioribus beneficiis eaedem fere causae, quamvis non eodem gradu, exiguntur prout a *Pio V* definitum est. Cfr. Const. « *Quanti ecclesiae* », 1 Apr. 1568.

(2) Superior legitimus est Papa pro beneficiis ipsi reservatis, etiam pro iis in quibus collatio vel institutio spectat ad inferiorem. *Reiff.* ad tit. 9, lib. I, n. 4; *Schmalzgr.* eod. tit. n. 22; C. *De-Luca*, Benef. disc. 80, n. 21; *Pyrrus-Corradus*, op. cit. l. V, n. 20; *De Angelis*, tom. I, n. 181.

(3) Permutatio ut licita et valida sit fieri debet ex iusta causa et cognita ab Ordinario, in manus ipsius Ordinarii cui beneficium subiectum est, et cum consensu eorum qui eligendi vel praesentandi ad beneficium permutandum ius habent. Cfr. lib. III, Decret. tit. XIX, *De rerum permut.*, cap. V; *Sebastianelli*, II, n. 311.

In beneficiorum parochialium permutatione concursus requiri videtur. S. C. C. 28 Nov. 1884.

(4) Episcopi et Praelati *nullius* nonnisi a S. Pontifice transferri possunt. *Minorum* autem translatio duplicis generis est: altera quae irrogatur per modum poenae, et altera propter bonum publicum per modum provisionis administrativae.

Cfr. *Aichner*, p. 340; *Sebastianelli*, II, n. 312 seqq.

i) per assumptionem status militaris.

l) per alienationem rerum ecclesiae, sive beneficii sine debita solemnitate factam (1).

172. Vacante autem sede episcopali, vidimus iam ad quem devolvitur administratio dioeceseos.

Si praelaturae Regularium vacantur, via ordinaria eorum administratio ad priorem et conventum spectat.

Ad vacationem parochiarum statutum est a Conc. Trid. (2) ut vicarius idoneus in iis ab Episcopo constituatur donec de rectore provideatur.

Vacante denique beneficio simplici, ei deputari solet aliquis ex clericis.

Fructus beneficii vacantis qui ex iure Decretalium (3) in ecclesiae beneficialis utilitatem expendi debebant, vel conservari pro successore in beneficio ad cameram apostolicam de spoliis ex recentiori iure pertinent (4).

(1) Cfr. *Rebuff.*, op. cit. De modis amittendi beneficium; *Manacorda*, l. c.

(2) Sess. XXIV, de ref. c. 18.

(3) C. 4, Decret. (I, 31).

(4) Vi Constitutionum *Pii IV*, *Sixti V*, *Greg. XIII*, etc. fructus omnium beneficiorum vacantium ad S. Sedem seu ad Rom. Cameram spoliorum pertinent, quae per constitutos collectores (oeconomos) colligit eosdem fructus ad erogandos in necessitates missionum pro fidei propagatione. (Acta S. Sedis, III, 146). Sed hae leges non ubique receptae esse videntur. Ita ex. gr. in Italia oeconomi vel suboeconomi pro singulis dioecesibus constituuntur ab auctoritate civili et mandatum habent possessionem assumendi bonorum vacantium; eorum curam diligentem gerendi; eorumdem praediis, quatenus reparationibus indigeant, providendi, praesertim sequestratione bonorum beneficiati defuncti; in illorum possessionem ad civiles effectus de beneficiis provisos introducendi postquam *regium placet* aut *exequatur* obtinuerint; vigilandi super bona beneficiorum etiam non vacantium etc. Hoc institutum ut viget, ab Ecclesia approbatum non fuit, et hi oeconomi vel suboeconomi licentiam ab auctoritate eccl. ad munus gerendum si velint propriae conscientiae providere, petere tenentur. Cfr. *Nasoni*, op. cit, I, p. 220, 221.

173. Scholion. — **De alienatione bonorum ecclesiasticorum.**

Alienationis nomine intelligitur quilibet actus quo aut dominium transfertur, ex. gr. vendere, permutare, in emphyteusim concedere; aut ius aliquod reale ab Ecceletia decedit (1); vel reale onus imponitur rebus Ecclesiae ex. gr. census, servitus, usufructus, census vitalitius ac demum locatio ultra triennium.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum ex propria auctoritate semper prohibita est non solum ex canonibus sed etiam legibus civilibus. In iure romano habemus constitutiones imperatorum Leonis, Anastasii et Iustiniani (2) vetantes alienationes absque solemnitate et legitima causa factas. In iure autem canonico sunt decreta S. Pontificum et Conciliorum (3).

Hodie ex Const. « *Apostolicae sedis* » n. 3 inter excommunicationes l. s. n. r. est illa contra « Alienantes et recipere praesumentes bona eccles. absque beneplacito apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosae* » (4).

Praeter hanc excomunicationem, ex decretal. Pauli II, omnes inferiores Praelati, commendatarii, ecclesiarum rectores, beneficiati atque administratores in genere bonorum

(1) Quaestio est utrum sola omissio aut repudiatio lucri v. gr. legati vel haereditatis pertineat ad actus alienationis. Probabilior videtur sententia negativa, quia non acquirere non est amittere ius quod possidetur. Cfr. *Schmalzgr.* h. t. 13 seqq.; *Aichner*, § 226, p. 822; *Sebastianelli*, II, n. 404. Nota tamen non licere legata repudiare sine causa. *De Angelis*, tom. II, p. 273.

(2) Cfr. Legg. 14, 17, Cod De Eccl.; Novell. 7 et 120. Etiam iure civili in Italia alienatio nulla permittitur bonorum eccl. absque civilis magistratus licentia. Cod. civ. a. 434.

(3) Cfr. Const. *Pauli II*, « *Ambitiosae* » un., in Extrav. Comm. in tit. *De rebus Eccl. alienandis vel non* III, 4; Conc. Trid. sess. XXV, c. 11 de ref.; Instr. S. C. de prop. Fide 30 Iulii 1867.

(4) Iuxta hanc Extrav. excomunicati dicuntur alienantes non fulgentes dignitate episcopali aut abbatiali. Hinc hodierno iure Episcopi et Abbates absque solemnitatibus bona eccl. alienantes nullam incurrunt censuram. Cfr. *Sebastianelli*, II, n. 403.

ecclesiasticorum, alienantes res ecclesiarum absque beneplacito Apostolico eo ipso privantur beneficiis et administrationibus, ita ut aliis ab eo ad quem pertinent, conferri possint. Animadvertendum tamen quod ad has poenas incurrendas requiritur *a)* ut alienatio procedat ex temeraria praesumptione; *b*) ut sit completa et perfecta (1).

Spectato autem obiecto Extrav. *Ambitiosae* vetantur alienationes omnium rerum et bonorum eccl. et recepta ab omnibus sententia est, his verbis significari tantum immobilia et mobilia pretiosa. Immobilia autem sunt praedia, fundi, domus etc. (2); nec non iura rebus vel personis cohaerentia; sive pertineant ad ecclesias regulares, sive ad saeculares; ita et census annui si ex fundatione vel aliunde constituti sint in perpetuum pro sustentatione ministrorum ecclesiae; item usufructus (3). Res autem mobiles pretiosae dicuntur quae sunt de thesauro Ecclesiae (4), vel quae propter artem, raritatem, antiquitatem vel perfectionem operis aut celebritatem arteficis singularem splendorem ecclesiae conferunt, ut sunt vasa aurea, argentea vestae pretiosae, gemmae, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum, et similia excedentia iuxta declarationem S. C. C. valorem 25 ducatorum aurorum de camera, (scilicet 220 libell. ital.) (5); item insignes reliquiae, quia etsi pretio non aequentur, sunt tamen supra omne pretium (6).

174. Alienatio autem licite fieri potest accedente iusta causa ut esset ex gr. Ecclesiae necessitas, utilitas, pietas; et servatis debitis solemnitatibus, scilicet obtento beneplacito Apostolico et consensu eorum quorum interest (7).

(1) Cfr. *Sebastianelli,* II, l. c.

(2) Cfr. *D'Annibale,* in Const. *Pii IX,* iam cit. n. 166.

(3) Cfr. *Pignatelli,* op. cit. tom. I, const. XVIII, 32; *Suarez* de legibus, l. VI, c. II,

(4) *Engel,* lib. III, tit. XIII; *Ferraris,* v. *alienare.*

(5) Cfr. *Pennacchi,* comm. etc. II, p. 149; *Sanguineti,* n. 440.

(6) *Pignatelli,* tom. IV, cons. CVII.

(7) At aliter atque aliter huiusmodi consensus necessarius est,

Beneplacitum Apostolicum semper ad alienationis validitatem requiritur, praeterquam in casibus in quibus ex iuris dispositione aut *a) solius Episcopi consensus sufficiens est*; aut *b) nulla omnino licentia requiritur.*

Sufficiens est consensus Episcopi quando agitur *a)* de locatione-conductione non ultra triennium; *b)* de alienatione rei quae sine damno servari non potest; *c)* de alienatione rei mobilis non pretiosae, aut etiam immobilis exigui valoris (1); *d)* de alienatione boni immobilis donati monasterio quod non est capax acquirendi res immobiles, ut sunt Cappuccini (2); *e)* de rebus in feudum vel emphyteusim dari solitis (3).

Nulla requiritur licentia si agatur de rebus carentibus omni pretio vel de iis quae servando servari non possunt (4).

Alienatio denique non rite facta duplici modo reparari potest: I *per actionem* contra male alienantes vel successores, vel etiam contra possessores rei male alienatae (5);

pro diversa ratione bonorum quae alienantur. Nonnumquam enim synodus provinciales, nonnumquam capitulum vel collegium, aliquando etiam clerus universus consensum suum dare debet. De his singillatim agunt DD. ad hunc titul. (III, 13). Cfr. nominatim *Pirhing*, Ius can. h. t. sect II; *Giraldi*, Exp. iur. pontif. sect. 444. Hae tamen solemnitates suppleri possunt, si deficiant, a suprema auctoritate. Cfr. *Petra*, Comm. tom. 2, 53.

(1) C. *Terrulas*, 58, l. 12, q. 2.

(2) Cfr. *Petra*, comm. tom. IV, p. 100, n. 8.

(3) Cfr. *Vecchiotti* l. II, § 44; *Trombetta*, Praxeos regulae circa contractus etc.; *M. De-Luca*, II, n. 400.

(4) Cfr. *Ciolli*, Comm. pratic. delle censure c. V, n. 163; *Manacorda*, n. 755 et seqq.

(5) Cfr. *Soglia*, Inst. iur. eccl. v. 2, § 115; *Santi*, III, tit. XIII, n. 18, seqq.

Contra eos qui acquirunt bona eccl. illegitime alienata est excommunicatio. Cfr. S. C. S. O. 23 Aug. 1873. Sacra tamen Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate concedit Ordinariis facultatem admittendi Christifideles:

Qui bona immobilia aut census aut iura ecclesiae erepta sine eiusdem ecclesiae venia acquisierunt;

II. *per restitutionem in integrum* si Ecclesia damnum passa sit (1).

175. Scholion. — **De peculio Clericorum.**

Ex bonis beneficialibus quae vere et proprie in se sunt *bona ecclesiastica*, cum in dominio Ecclesiae existant, distinguitur peculium clericorum. Quo nomine proinde intelligitur « Quidquid Clericus habet in bonis distinctum a bonis Ecclesiae » (2). Ex hoc concepto sequitur peculium clerici non subiici dispositioni tit. « *De rebus Ecclesiae alien. vel non* » (3).

Quadruplex est peculium clericorum scilicet, *patrimoniale*, *quasi-patrimoniale*, *parsimoniale*, *beneficiale*.

Patrimoniale quod clericis obvenit ex titulo mere civili et profano v. gr. haereditate, legato, donatione, contractu etc.

Quasi-patrimoniale quod complectitur omnia bona quae citra reditus beneficii sui et absque intuitu beneficii proveniunt ut merces vel stipendium ex functione vel ministerio ecclesiastico, ex gr. concionari, canere in ecclesia, legere Missas, exequi funeralia, administrare sacramenta; quo re-

vel acquisita alienaverunt;
vel acquisierunt per emphyteusim;
vel acquisita per emphyteusim liberaverunt;
qui tamquam patroni vindicarunt beneficia eccl. et capellanias;
qui redemerunt legata pia aut canones, aut iura irredimibilia;
vel ex redemptione iurium natura sua redimibilium cum damno ecclesiae lucrati sunt;
qui decimas non solverunt;
et praedictorum omnium haeredes et quoscumque successores, ad compositionem quae aequa videatur, servatis praesertim nonnullis conditionibus et regulis. Cfr. Decl. 24 Ian. 1890 et 15 Apr. 1892.

Circa fundos vero seu iura quorum valor excedit triginta libellarum millia, recurrendum est ad S. Sedem in singulis casibus. Decl. cit. Cfr. *Monitore eccl.* Vol. VI, p. II, p. 30; vol. VII, p. II, p. 52.

(1) C. I Decret. *de rest. in integro* (I, 41); C. 1, 2, in 6° (I, 21). Cfr. *Aichner*, p. 827; et infra « De iudiciis ».

(2) Cfr. l. III, t. 25 de pecul. cleric. X. In iure romano L. 5, § 3 D de pecul. XV, 1. « Peculium dictum est quasi pusilla pecunia sive patrimonium pusillum ».

(3) Cfr. *Santi*, op. cit. III, tit. XXV, n. 1.

feruntur reditus stolae, et forte etiam distributiones quotidianae (1).

Parsimoniale quod resultat ex reditibus mere ecclesiasticis ad honestam sustentationem (2) competentibus et quod clerici parcius vivendo sibi substrahunt et congregant.

Beneficiale quod comprehendit omnia bona ex titulo beneficii velut ex fundis dotalibus ecclesiae vel ex decimis acquisita, tum *necessaria* ad congruam sustentationem tum *superflua* ultra competentem quantitatem.

176. His declaratis tenendum est clericos dominium habere *a) bonorum patrimonialium* quia per clericatum non amittunt iura civilia ideoque incapaces dominii non redduntur; *b) bonorum quasi patrimonialium* quia considerantur uti merces et stipendium laboris; *c) bonorum parsimonialium* quia si iure potuissent ea bona in proprios usus absumere eo ipso censentur haec bona in dominium transiisse clericorum. Ceterum caveant clerici ne parsimoniale augeant, atqua abiectione et sordibus vilescant.

De *bonis autem beneficialibus* (quoad reditus) (3) distin-

(1) Hoc pecunium respondet peculio *castrensi* vel *quasi-castrensi* romanorum. Romani quoque distinguebant quadruplex pecunium, nempe *castrense,* quod ex militia armata vel ex castris militaribus; *quasi-castrense,* quod ex militia togata sive ex exercitio liberalium artium ut est iurisprudentiae et medicinae; *adventitium,* quod ex bonis maternae successionis vel alterius personae; et *profectitium,* quod ex bonis paternis vel patris contemplatione acquisitis, provenit, sive componitur.

(2) Ad honestam et congruam sustentationem computandam regula generalis proponi non potest. Prae oculis tamen haberi debet dignitas personae, eius gradus seu civilis origo, scientia et aliae qualitates personales quae maiores vel minores exigentias secumferunt, nec non respicienda est 1° temporis locique ratio; 2° moderata hospitalitas non solum pauperum de qua in Trid. sess. XXIV, c. 8, de ref. sed etiam consanguineorum, et extraneorum paupertate non laborantium; 3° honesta recreatio; 4° probabile periculum si adsit venturi morbi, sterilitatis etc. In genere attendi debet in hac computatione prudens agendi ratio et usus clericorum proborum, qui in eadem conditione versantur. Cf. *Santi,* l. c. n. 5.

(3) Dicitur *quoad reditus* quia quoad *substantiam* ius dominii

guendum est: *a*) *bonorum necessariorum* domini sunt ut aperte traditur ab Inn. III in c. 18 *de praeb.* quia habetur loco rigorosae mercedis et stipendii laboris personalis quem pro Ecclesia clerici exercent. Confirmatur a Trid. sess. XXII c. l. § *Si quis autem* ubi statuit beneficiarios non residentes pro rata temporis absentiae fructus suos non facere. Idem sess. XXV c. 12 de reform. ubi de provisis ad beneficia curata, canonicatus, dignitates ecclesiae Cathedralis intra bimestre professionem fidei non emittentibus statuit, « *fructus non faciant suos* ». Ergo qui resident et professionem emittunt fructus faciunt suos saltem ad congruam sustentationem necessarios;

directi, beneficiati non habent, quamvis per institutionem canonicam verum *ius in re* intuitu beneficii adipiscantur. Cfr. *Aichner*, op. cit. § 232. Porro beneficiatus fit *tutor*, *curator* et *administrator* beneficii cum obligatione resarciendi ex propriis omnem deteriorationem bonorum beneficiariorum. C. 2 X de donat. III, 24. Ad explendum tum defensionis, tum administrationis officium traditur beneficiato ingredienti *inventarium* quo omnia beneficii bona, addita appretiatione et natura, recensentur.

Quoniam autem beneficium post obitum beneficiati redit ad Ecclesiam, locationes ultra dies vitae beneficiati non sunt obligatoriae, nisi locationis contractus ad longius tempus legitime fuerit initus. Multo minus locationes, si anticipatis solutionibus fiant in praeiudicium successorum valide existunt. Cfr. Trid. sess. XXV, c. 11, de reform.; *Bened. XIV.* Const. « *Universalis* » 29 Aug. 1741; *Devoti*, l. c. l. II, tit. 19 de rebus eccl. non alien. § 6; *Pennacchi*, l. c. t. II, p. 187 seqq.; *Wernz*, l. c. n. 185.

Praeter bona beneficialia, existere aliquando possunt alia bona propria ecclesiae distincta a dotatione beneficii et aliis piis fundationibus quae ad cultum divinum inservire debent. Haec spectant ad fabricam ecclesiae (vulgo *fabbriceria*), quae est institutum quoddam ecclestasticum sive persona iuridica, capax idcirco dominii. Administratio bonorum fabricae ecclesiarum vel collegiatarum sive saecularium sive regularium spectare solet ad capitula illarum ecclesiarum. Fabricae autem ecclesiarum parochialium sunt sub administratione parochi; sed quandoque in ipsa administratione admittuntur et laici; tunc vero Episcopus ius habet eos nominandi vel saltem approbandi, removendi et universum negotium administrationis ordinandi. Cfr. S. C. de P. F. 21 Iul. 1856; *Wernz*. III. l. c. n. 192.

atqui facere fructus suos est consequi eorum dominium, ergo etc. *b*) *bonorum superfluorum* quaestio fit. Veteres fere omnes Canonistae (1) docuerunt horum bonorum beneficiatos verum dominium non habere; recentiores (2) tamen communius tenent etiam horum dominos esse cum onere tamen ea impendendi in pias causas (3).

177. Controversia viget inter DD. ex quanam causa talis obligatio oriatur. Praeferenda videtur sententia iuxta quam clerici tenentur ad superflua eroganda in operas pias *non ex iustitia* (ut habent Reiffenstuel l. c. n. 52, Aichner op. cit. § 232, not. 14 et alii); *non ex virtute charitatis aut Religionis* vel *strictae iustitiae* (De Lugo, De iust. et iure disp. 4, sect. 2, n. 16); sed solum ex *praecepto ecclesiastico* i. e. ex Trid. sess. XXV C. I. de Ref. ubi *clericis omnino* interdicit *ne ex reditibus Eccl. consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et apostolorum canones prohibeant* ne res ecclesiasticae quae Dei sunt, consanguineis donent. Unde si clerici bona ista ad causas profanas convertant, non peccant quidem contra iustitiam, adeoque non tenentur onere restitutionis sed peccant contra praeceptum Ecclesiae. Cfr. *Schmalz.* III. t. 25, n. 34. *Santi* l. c. n. 10; *M. De Luca* l. c. n. 334.

178. In causa mortis clerici possunt utique testamentum facere, vel donationes mortis causa de triplici peculio *patrimoniali, industriali et parsimoniali.* De bonis autem ex reditibus beneficialibus acquisitis, ex iure antiquo haec libertas testandi ne ad pias quidem causas fuit concessa (4):

(1) *Van-Espen,* I. E. U. P. II, Tit. XXXII; *Berardi,* in Com. ad I. E. U. P. III, Diss. VI, c. 3. « *De beneficiis eccl.* ».

(2) *Wernz,* III, tit. VI. n. 180; *Sebastianelli,* II, n. 267, 268.

(3) Causae piae *generatim* sunt, quae serviunt ad cultum divinum, vel cedunt ad solatium pauperum; speciatim vero sunt 1 opera misericordiae spiritualia et corporalia; 2 pauperes; 3 consanguinei indigentes; 4 nepotes in studiis alendi si negligant parentes etc. Cfr. *M. De-Luca,* op. cit. Vol. De rebus, tit. XX, n. 334.

(4) C. 1, 7, 9, X de test.; *Thomass.* l. c. P. III, l. II, c. 38 et seqq.

sed ad Ecclesiam revertebantur. Hodie tamen *consuetudine privilegiisque* R. Pontificum non amplius clerici de his bonis ad causas pias a testamentis condendis prohibentur (1) imo et obligantur in foro conscientiae atque in foro externo Ecclesiae, salvis limitationibus circa quaedam obiecta iure communi vel particulari v. g. pro Episcopis et Cardinalibus statutis (2).

PARS III.

DE IUDICIIS.

CAPUT I.

De potestate iudiciali.

Ecclesiae catholicae potestatem iudiciariam competere iam vidimus in iure publico ubi demonstravimus Ecclesiam ius proprium habere ferendi sententias quae suum effectum sortiantur in foro tam contentioso quam voluntario, reo etiam invito.

Hic circa modum huius iudiciariae potestatis exercendae, aliquas normas subnectimus.

(1) Cfr. *Pii IX* Const, « *Cum illud* » 1 Iun. 1847; *Lucidi,* De vis. sacr. lim. P. I, vol, I, n. 59 seqq.; *Wernz,* III l. c. n. 186.

(2) Neque obstat quod leges civiles testandi libertatem viris ecclesiasticis concedant, Cfr. *Aichner,* op. cit. §. 233.

ARTIC. I.

De notione iudicii.

179. **Iudicium** definitur: *Legitimae controversiae quae inter actorem et reum est, per iudicem competentem, cognitio, discussio ac definitio* (1).

Iudicium differt *a*) a *quaestione* quae est ipsa res vel ius controversum quod nondum in iudicium deductum est, sed deduci potest; *b*) a *causa* quae est ipsa quaestio in iudicium deducta; **c**) a *lite* cuius nomine plerumque venit actio qua causa controversa deducitur in iudicium sive in rem, sive in personam; *d*) ab *instantia* quae ipsum actionis iudicialis exercitium denotat a litis contestatione usque ad sententiam definitivam (2).

180. Iudicium distingui potest *a*) ratione causae efficientis in *ecclesiasticum* vel *saeculare*, prout a iudice eccl. vel saeculari qua tali exercetur; *b*) ratione materiae, est *spirituale* si in eo de re spirituali vel spirituali adnexa tractatur; *temporale* in quo de re temporali et profana agitur; *possessorium* si de sola possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda contenditur; *petitorium* in quo de dominio vel de alio iure seorsim a possessione disputatur (3).

(1) Cfr. *Devoti*, Instit. can. Tom. III, Tit. II; *Lega*, De iudiciis eccl. lib, I, vol. I, c. III, n. 38; *Aichner*, op. cit. p, 756 § 215; *M. De-Luca*, Lib. de Iudiciis, tit. 1, n. 1, seqq.; *Ios. Ferrari*, Inst. tom. II, *Lombardi*; vol. III, p. III; *Sanguineti*, op. cit. p. 393, § 535 et seqq.

(2) Instantiae iure romano erant in genere triennales in causis civilibus, biennales in criminalibus. Ita in l. *Properandum*, 13, § 1, c. *De iudiciis.*

Iure canonico perdurare possunt etiam per triginta annos. Cfr. *Santi*, op. cit. lib. II, tit. I, n. 5.

(3) Possessione alicui data, victus in petitorio ius suum ostendere debet, quod nisi praestiterit, melior est conditio possidentis. Cfr. Lib. II, Decret. tit. I; *Zallinger*, h. t.; *Aichner*, l. c.

c) ratione formae, est *ordinarium* seu *formale* et *extraordinarium* seu *summarium*: *ordinarium* si servantur omnes iuris positivi praescriptiones et solemnitates; *summarium* quod procedit de plano sine strepitu et figura iudicii, servatis tantummodo iuris divini et iustitiae requisitis (1).

d) ratione finis est *civile* vel *criminale*. In iudicio civili intenditur principaliter privatum commodum actoris, ita ut etsi agatur de crimine, intendatur damnum actori ex hoc crimine illatum; et hinc de criminibus agitur civiliter (2); in criminali agitur ad publicam vindictam seu ad publicum bonum (3).

181. Personae necessariae ad iudicium constituendum sunt: *iudex*, *actor* et *reus*.

Iudex est persona publica a legitima auctoritate constituta ut controversiam de iure exortam inter partes dirimat vel de crimine admisso et poena crimini infligenda cognoscat (4). Iudex est vel *ordinarius* qui ex proprio officio, vel *delegatus* qui ex commissione vel ipsius iuris vel alterius hominis, ideoque alterius vice et auctoritate ius dicit (5).

(1) In iure assignantur causae in quibus summarie procedi potest et sunt causae urgentes et parvi momenti. Cfr. cc. *Dispendiosam* 2, De iudiciis (II, I) in Clem.; *Saepe contingit*, De verborum significatione (V, 11) in Clem.; et l. *Nequiquam* § *De plano* ff. De offic. procons.

(2) *Lega*, l c. n. 49.

(3) « Omnia iudicia, ait Card. *De Luca*, (De iud. dis. I, n. 1) aut dirimendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa comparata sunt ».

Aliae divisiones iudiciorum proponuntur ab Auctoribus. Cfr. *Maranta*, speculum aureum p. 4; *Scoccia*, Tract. de iud. c. 2, etc.

(4) A iudice parum discedit *arbiter*. Hoc nomine venit qui vel conventione partium, vel dispositione legis et decreto iudicis constituitur, ut controversiam inter partes dirimat,

Genus iudicum sunt *iurati*. Hi sunt cives lege designati ad iudicandum quibusdam causis, num is qui criminis postulatus est, reapse deliquerit. Nomen est a iuramento quod praestare debent de munere fideliter exequendo Cfr. *Piscetta*, n. 37. Tract. IV, vol. I.

(5) Delegatio fieri potest vel ad *universalitatem causarum*, vel

Sunt iudices ordinarii in Ecclesia Episcopi et Praelati *nullius*; delegati illi qui mandatum acceperunt a S. Pontifice (1) vel ab Episcopo.

Actor est qui petit aliquid, seu poenam rei ut in criminalibus, seu ius ut in civilibus (2).

Reus (a re) est a quo quid petitur; in criminali dicitur quoque *accusatus*.

Personae autem minus principales quae ad iudicium interveniunt sunt: *assessores*, *notarii*, *referendarii* etc. Horum omnium officium et obligationes vide in Theol. Mor. Tract. De obligationibus peculiaribus (3).

ARTIC. II.

De foro competenti.

182. **Forum competens** est tribunal iudicis in quo causa tractanda est ut legitime finiatur; et iudex competens ille dicitur qui pollet iurisdictione ad instaurandum iudicium circa quaestionem promotae actionis.

Fori competentia e regula generali (4) determinatur

ad *speciales causas*, vel ad *generalitatem*, secundum quod demandantur causae omnes, vel plures, vel omnes sed inter determinatas personas Cfr. *Lombardi*, III, pag. 167.

(1) Quoad facultates a S. Sede Episcopis seu Ordinariis delegatas vide Decreta nuperrima S. Officii 24 Nov. feria IV; 20 Apr. 1898 fer. IV; 22 iun. 1898 fer. IV; 14 decemb. 1898 fer. IV; 3 maii 1899 fer. IV; 20 dec. 1899 fer. IV; 8 sept. 1900 fer. IV.

(2) In civilibus nomine actoris vel rei saepe agunt *procuratores* et *syndici*, ex. gr. capitulorum; iisdem assistunt *advocati*.

(3) Cfr. *Piscetta*, l. c.

(4) Dicitur ex regula generali, quia criterium ordinarium determinandae competentiae est ipsum ius controversum. Per exceptionem vero aliquando assignantur *directe* competentiae iudici non iura controversa, sed certae personae, edicendo ut quaecumque agatur quaestio pertinens ad has personas, istae causae iudicandae sint ab illo iudice. Ut ecce si decernatur milites, quamcumque hi habeant controversiam, iudicandos esse a militaribus; vel clericos

a) *ratione domicilii; b*) *ratione contractus*; *c*) *ratione rei sitae*; *d*) *ratione criminis* (1).

1) Domicilium in genere est locus in quo quisque moratur; et esse potest *proprie dictum* si quis alicubi sedem suam ponit cum intentione illic stabiliter commorandi; et *improprie dictum* seu *quasi domicilium* quod acquiritur facto habitationis, cum animo degendi per tempus diuturnum, puta per maiorem partem anni (2).

Per utrumque autem domicilium forum competens sortiri potest (3).

2) Nomine *contractus* hic venit omnis obligatio quae sive ex *contractu*, sive *ex quasi-contractu* oritur. Et regula est: « ut quocum aliquis contraxit, si eo loco de contractu conveniatur, ibi se defendere debeat (4) ».

3) Tertia ratio est *rei sitae*. « In locis in quibus res propter quas contenditur, constitutae sunt, iubemur in rem actionem adversus possidentem moveri » (5). Et hoc valet

item nonnisi apud iudices eccl. quacumque in lite contendere iudicio posse. Tunc attenditur qualitas personae, quae fit exceptio regulae generali et *illi ordini* personarum comparatur privilegium: en fundamentum privilegii fori ecclesiastici. Cfr. *Lega*, op. cit. l. c. n. 32.

(1) *Schmalzgr.* tit. De foro in competenti, n. 8, 16; *Reiffenstuel.* De foro competenti, n. 67, 74 etc.

(2) Et aliud domicilium datur quod dicitur *legale*, et est locus quem lex assignat iis qui ratione conditionis aut status sui alicubi manere censentur, etiamsi reapse ibi non commorentur, ut v. gr. clericis beneficiariis, religiosis etc. Et hi conveniri possunt in loco beneficii vel monasterii. *Icard*, III, n. 654; *Pirhing*, h. t n. IX.

(3) *Schmalzgr.* h. t. n. 17.

(4) Ita ex leg. « *omnem obligationem* » ff. de iudiciis.

Haec tamen regula urgeri non potest quando partes in ipso contractu designarunt locum solvendae obligationis quemadmodum in praxi communiter observatur. Cfr. *Santi*, l. c. n. 13.

(5) In l. 3. C. *Ubi in rem actio.* Et ius can. hanc dispos. acceptavit. c. 20, h. t.

sive res sit mobilis, sive sit immobilis, etiamsi reus in loco rei sitae non reperiatur (1).

4) Denique *ob delictum* fit competens iudex loci in quo delictum patratum fuit, non solum quia ibi melius acta iudiciaria compleri possunt, sed etiam quia congruum est ut ordo laesus per crimen restituatur per exemplum et poenam in eodem loco ubi laesionem passus est. (2) Hac ratione clericus, qui alia in dioecesi deliquerit, poterit, si gravitas delicti hoc postulet, etiam beneficio privari a iudice illius loci ubi crimen patravit (3). Executio tamen sententiae ad Episcopum proprium beneficii pertinet.

183. Praeter hos modos communiores, quidam sunt modi accidentales sortiendi forum. Huc pertinent 1. *privilegium* quo omnes Christi fideles Romam venientes veluti habentes Romae domicilium possunt conveniri ibidem in causis eccl. quia Romana Ecclesia est omnium Ecclesiarum mater et magistra (4); 2. *prorogatio competentiae* quae est extentio iurisdictionis iudicis de consensu partium facta ultra limites inter quos ceteroquin esset constricta. Prorogatio fieri potest de persona ad personam, de re ad rem, de loco ad locum, de tempore ad tempus, scilicet iudici non suo quis se submittere potest; potest res submitti, vel potest permitti ut iudex in territorio non suo vel ultra

(1) *Schmalzgr.*, h. t. n. 53 contra *Barbosam*, in C. ult. C, *Ubi in rem actio*, n. 15, 16.

(2) C. 13, 14 et 20 de foro competenti.

(3) Hoc certum est si criminosus reperiatur adhuc in territorio, vel ante egressum fuerit legitime citatus; aliter expediendi negotii melior videtur via ut a proprio Ordinario ad effectum iudicium subeundi, requiratur. *Ios. Ferrari*, Inst. II, n. 766 not.; *M. De-Luca*, lib. de iudic. tit. II, n. 36.

(4) In cap. ul. h. t. Iure Decretalium monachi, regulares, ecclesiae multae et multa item capitula canonicorum Sedis Apost. privilegio, vel omnino, vel ex parte ab Episcopi iurisdictione substracta sunt. Itaque horum causae aut a S. Sede Apostolica. aut ab eo iudice cui sunt addictae, cognoscuntur. Cfr. *Fagnan.* in C. *Cum dilectus* 8 de relig. dom. n. 17, et in cap. *Tantum*, n. 18 de

tempus determinatum ius dicat (1). 3. *connexio causarum.* quae communem habent discussionem et definitionem. Connexio oriri potest: *a*) *ratione personarum* ut habetur ex. gr. quando reus reconvenit actorem, vel si promoveretur eadem causa adversus plures personas; *b*) *ratione dependentiae* ita ut una sine altera cognosci et definiri non possit; uti v. gr. causa possessionis et proprietatis (2); *c*) *ratione actionis*, quoties diversae res et diversae causae continentur sub una generali actione ex. gr. tutelae (3).

ARTIC. III.

De ordine servando in iudiciis seu de processu.

184. **Processus** si *obiective* spectatur (procedura) definiri potest: *Complexus legum quibus determinatur modus cognoscendi et definiendi causas apud iudices ecclesiasticos.*

Subiective autem (ius processuale): *Complexus actuum quibus actor, reus et iudex legitime et respective in tribunali eccl. incumbunt in causarum agitationem et definitionem.*

Ad proceduram ergo spectat determinare in primis quonam ordine diversae controversiae in causam principalem forte incidentes definiendae sint; tempus i. e. ferias et dilationes; locum, quantitatem etc.

Quoad ordinem cognitionum hae regulae dantur:

1) *Quaestiones in idem iudicium incidentes eo ordine cognosci debent, et servato earumdem nexu logico, ut ea ante cognoscatur cuius conclusio inservit ad aliam definiendam* (4).

2) *Si vero quaestiones incidentes nexu logico inter se non*

privil. Cfr. *Devoti,* Instit. tom. III, tit. IV. De foro competenti § XVII.

(1) Ex cap. 1 et 2. De iudiciis. Cfr. *Lega,* l. c. n. 343.

(2) Ex L. 10, C. De iudiciis; et C. I de causis possessionis et propriet.

(3) *Santi,* l. c. n. 21 seqq.; *M. De Luca,* l. c. n. 38.

(4) Arg. cc. 19 De Iudic. X (II, I) et 12, De sent. excom. in 6°, (V. 11).

connectantur, tunc servetur ordo chronologicus seu ordo praesentationis; quia qui prius appellat, prior agat; quae prius esset praeposita, prius foret tractanda (1).

Et de exceptionibus peremptoris: (2)

Cum, exceptione probata, quaestio principalis perimatur, ante est agnoscendum de ipsa quam ad definitionis articulum procedatur » (3).

185. Ad tempus quod attinet memorandum est praeceptum *ut in diebus festis seu feriatis quiescat strepitus forensis* (4).

Feriae aliae sunt *sacrae*, aliae *profanae* pro diversa origine et fine. Tum sacrae, tum profanae aliae sunt *ordinariae*, aliae *extraordinariae. Ordinariae* quae certo nempe spatio quotannis recurrunt; *extraordinariae* quae subito pro re nata

(1) Ex c. 2, h. t. X.

(2) Exceptio est *assertio rei contra factum vel ius actoris ad retardandam vel elidendam intentionem actoris eiusdem.* Aliae sunt *peremptoriae*, aliae *dilatoriae.* Primae actionem perimunt et perpetuo excludunt; ut sunt v. gr. exceptiones rei iudicatae, pacta de non petendo in perpetuum, transactiones etc. Secundae tantum actionem differunt, vel ad tempus suspendunt; quarum praecipuae sunt exceptiones solutionis, compromissi etc. Cfr. *M. De-Luca*, l. c. tit. XI.

Inter exceptiones adnumerandae sunt *recusatio* et *praescriptio.*

Recusatio est actus per quem iudicem eiusque iurisdictionem declinamus eo quod suspectum illum in iure dicendo legitime habeamus. Nam « ipsa ratio, ait *Celestinus III*, in C. XXI, Tit. XXVIII (Lib. II Decret. Greg. IX), dictat, quia suspecti et inimici iudices esse non debent ». Recusatione autem coram iudice ipso suspecto proposita, eligendi sunt arbitri iuris qui de ipsa cognoscant. Cfr. *Lombardi*, III, o 208.

Praescriptio sumpta pro exceptione qua perimitur ius alienum per lapsum temporis lege statutum, definiri solet communiter: *Modus adquirendi a iure approbatus, quo per possessionem debito modo et tempore continuatam obtinetur ius vel liberatio aliqua.* De eius natura et normis videre est quoad civilia apud Theologos; in criminalibus cfr. Resp. S. C. EE. et RR. 22 mart. 1898.

(3) Ex c. I, h. t.

(4) Ex c. ult. De feriis X (II, 9).

indicuntur, ex. gr. propter inaugurationem, seditionem, pestem etc. ideoque et *repentinae* vocantur (1).

Dilationes communiter definiuntur: ***Iustum temporis intervallum, ad aliquem actum iudicialem, commodius expediendum, actori vel reo, vel iudici concessum.***

Dilationes esse possunt: *legales*, *iudiciales*, *conventionales.*

Dicuntur *legales* si a lege vel a consuetudine forensi conceduntur; *iudiciales* si a iudice; et ex diversa parte iudicii dividuntur in *citatorias*, *deliberatorias*, *probatorias*, *definitorias*. *Conventionales* si ex mutuo consensu cum approbatione saltem iudicis procedunt.

186. De *loco* regulam habemus: *Cum Episcopus in tota sua dioecesi iurisdictionem ordinariam censeatur habere, dubium non existit, quia in quolibet loco ipsius dioecesis non excepto, per se vel per alium possit pro tribunali sedere* (2).

Quoad denique *quantitatem* videndum est ne praeter ea quae iure permittuntur plus ab actore petatur contra reum. Huc revocantur quae *plus petitiones* appellantur (3).

Quadruplici modo potest actor ultra debitum petere: *re, loco*, *tempore*, *causa*. *Re*, si in quantitate seu in summa sibi debita plus petat; *loco* plus petit si exigit ut res sibi in commodiori loco praestetur cum nullus fuerit designatus; *tempore* si ante diem statutum; *causa* cum aliquid petit determinate in individuo, quod solum in specie vel aequipollenter ei reddendum est.

Contra plus petentes in iure romano statuta erat poena caducitatis actionis (4). Iure can. plus petentes *tempore*, duplicatas inducias in poenam sustinere debet. Si plus petant *re*, *loco*, *causa* damnantur in expensas et ad interesse (5).

187. Ad acta processus nunc devenientes, distinguamus

(1) Cfr. *Santi*, tir. IX; *Lega*, l. c. n. 360; *M. De-Luca*, l. c. n. 92.

(2) C. 7, De off. Ord.

(3) Cfr. tit. XI, lib. II Decret.

(4) Cfr. *Iustin*. De act. § *Si quis agens*.

(5) Cfr. *Santi*, l. c. tit. IX, n. 7; *Sanguineti*, op. cit. n. 583.

in primis oportet *acta causae* ab *actis iudicii.* Acta causae sunt quae respiciunt meritum causae sive quaestiones; acta iudicii quae ponuntur ut instantia iudicialis exigatur ad normam legum processus « Magni ponderis est haec distinctio, ait Lega (1), quia acta iudicii quae proprium constituunt processum, finita aut quocumque modo perempta instantia, pereunt et nullum habent valorem; dum e contra actus causae seu probationes in processu efformatae ad litem definiendam, et iudicis sententiae de merito causae decernentes, supersunt iudiciali instantiae et vim habent inter easdem personas in eadem causa seu quaestione » (2).

His praemissis, in processu (subiective sumpto) quinque stadia (fasi) consideramus: *praeparationem*, *inchoationem*, *continuationem*, *consummationem*, *correctionem*.

Ad praeparationem pertinent *oblatio libelli* et *citatio.*

Ad inchoationem *contestatio.*

Ad continuationem, *probationes.*

Ad consummationem, *conclusio in causa* et *sententia.*

Ad correctionem *appellatio* aliaque remedia ab iure proposita.

Cum autem processus esse possit civilis et criminalis, ita de singulis separatim agemus.

A) De processu civili ordinario.

§ 1.

De Libello.

188. Quamvis ex praxi civili hodierna libellus idem sit ac citatio, quia in libello continetur implicite intentio actoris et mandatum iudicis quo reus citatur, distinguuntur tamen inter se: libellus enim respicit reum, et citatio actorem vel accusatorem.

(1) Op. cit. l. c. n. 387.

(2) *Reiffenstuel,* De iud. n. 185 seqq.

Libellus iuxta sensum Decretalium definitur:

Brevis scriptura exprimens claram et explicitam intentionem actoris vel accusatoris. Haec intentio autem continere debet *a*) factum; *b*) quid et quantum petat actor; *c*) causam seu titulum ex quo petat (1).

Libello plerumque addi solet clausula quae dicitur salutaris scilicet: « Super his omnibus peto mihi ius et iustitiam administrari omni meliori modo et forma quà de iure, statuto et consuetudine fieri potest » (2).

Praecipuus effectus libelli est implorare iudicis ministerium ad experiendum ius in iudicio.

Actori facultas conceditur libellum retrahendi, mutandi, vel corrigendi; ita tamen ut maneat libelli substantia (3), et dummodo hoc faciat ante citationem (4).

189. Est autem citatio: *Actus legitimus quo quis ex mandato iudicis vocatur in iudicium iuris experiendi causa.* Necessitas citationis est ex ipso iure naturali et civili; quia civilis et naturalis ratio vetat damnari aliquem qui auditus ac defensus non sit (5).

Citatio alia est *ab homine* si ex iudicis mandato procedit; *a iure* cum lex ipsa tempus determinat quo aliquis se sistere in iudicio debet; *personalis* si in faciem denunciatur; *edictalis* si per edictum in publicis locis affixum; *verbalis* quae fit per nuncium seu apparitorem vel per litteras iudicis; *realis* si per capturam personae citandae: *simplex* quae non reddit reum contumacem prius quam tribus

(1) Una cum oblato libello, notat *Devoti*, (Inst. can. III, tit. 5, n. 9) in actis exiberi debent probationes quibus petitio innititur, quibusque perpensis iudex decernit utrum instantia admittenda sit.

(2) Cfr. *Pellegrini*, in prax. civ. § II, sect. I, subs. l. n 7.

(3) *Schmalzgr.*, h. t. n. 8, 13.

(4) *Lega*, n. 402.

(5) Non requiritur citatio quando reus se offert coram iudice, actori responsurus; nec quando crimen est notorium quod nulla possit tergiversatione celari. Cfr. *Leuren.* h. t. n. 211; *Schmalzgr.*, De lib. obl. n. 15 seqq.; *Bouix*, de iudiciis, II, p. 159.

vicibus repetita sit; *peremptoria* quae ex intentione iudicis aequivalet trinae citationi ad effectum reddendi reum contumacem (1).

Citatio ut legitima sit debet exprimere 1. nomen iudicis (2); 2. nomen et cognomen rei citandi; 3. nomen et conditionem actoris, nec non eius intentionem; 4. tempus dilationis citatoriae simplicis aut peremptoriae, item diem, horam et locum comparitionis.

Et praeterea ex parte nuncii seu cursoris ad validitatem requiritur *a)* ut ipse citet seu exequatur citationem; *b*) quod faciat relationem executionis quam ipse signet (3).

190. Effectus citationis praecipui sunt:

1) astringit citatum ad comparendum sub poena contumaciae.

2) inducit litem pendentem, et *lite pendente* nihil innovandum (4).

3) firmat et perpetuat iurisdictionem in iudice delegato.

4) facit rem litigiosam ita ut alienari nequeat.

5) inducit praeventionem in favorem iudicis citantis ita ut ille possit decernere in causa prae aliis iudicibus (5).

6) interrumpit praescriptionem (6).

191. Scholion. **De contumacia.**

Contumacia generatim in iudicio canonico definitur: *Omnis inobedientia erga iudicem legitime iubentem commissa* (7).

(1) *Leuren*, h. t. n. 218. *Lombardi*, III, pag. 199.

(2) Et si iudex delegatus sit, de proprio legitimo mandato reum certiorem reddere debet inserendo litteras delegationis. Cfr. *Pellegrini*, l. c. subs. 2, n. 25.

(3) *Pellegrini*, l. c. subsec. 2, n. 18

(4) Clem. II, *Ut lite pendente*.

(5) Cfr. *Engel*. De foro competenti, § 11; n. 67.

(6) Cfr. *Sanguineti*, op. cit. n. 560; *Vecchiotti*, op. cit. II, c. III, § 81; *Icard*, III, n. 664.

(7) « Potest pluribus modis, ait *Reiffenstuel*, h. t. n. 45, ac praesertim sequentibus modis (contumacia) contingere; videlicet in

Vere contumax ille ergo habetur qui tribus edictis vel uno peremptorio vocatus et nulla iusta causa impeditus iudici obtemperari non vult. Contra reum contumacem remedia statuuntur: I ut ipse privetur iure producendi rationes suas ad sese tuendum, nisi expensas refecerit et idoneam cautionem praestiterit se a iudicio non recessurum (1); II ut actor mittatur in possessionem rei litigiosae, ex primo decreto, vel custodem (2); ex secundo decr. ut legitimum possessorem (3). III sequestratio fructuum usque ad exitum iudicii (4).

Si autem contumax esset actor, rescinditur effectus citationis et ipse actor ad aliam citationem non admittitur nisi expensas refundat et cautionem de se iudici sistendo praestet. Et insuper potest reus exposcere ut iudex testes audiat et sententiam definitivam etiam lite non contestata pronunciet (5).

non veniendo, in non respondendo, in respondendo obscure, in recedendo absque licentia infecto negotio, in non iurando, in non exhibendo; utpote non restituendo pignus aut non edendo rationes ad mandatum iudicis et huiusmodi ».

(1) Cap. *Quoniam*, 10. *Ut lite contestata.*

(2) Tit. 15, Lib. II. De eo qui mittitur in possessionem causa rei servandae.

(3) C. *Quoniam*, iam cit. In nonnullis tamen causis immissio in possessionem non conceditur, ex. gr. in causis beneficialibus, *ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus.*
Innoc. IV, C. Un. *De eo qui mittitur* etc.

(4) C; 25, *De rescriptis*, *Lombardi*, III, pag. 226, 227.

(5) C. 3, *De dolo et contumacia.* Cfr. *Santi*, l. c. XIV, n, 5 seqq.; *Ios. Ferrari*, Tom. II, n. 787.

§ 2

De litis Contestatione.

192. **Contestatio** litis definiri solet: *petitio actoris in iure proposita et congrua relativa responsio rei* (1) *facta animo litigandi.*

Contestatio inducitur ergo per affirmationem actoris et negationem saltem partialem rei. Notandum tamen quod si reus paratum se exiberet ad satisfaciendum intentioni actoris, contestatio non induceretur, quia tunc frustra susciperetur iudicium. Nec si reus simpliciter responderet *articulis* ab actore propositis in quibus assertiones ad factum et non ad ius attinentes proponuntur; assertio enim facti non importat necessario concessionem iuris (2).

Litis contestatio dicitur apud Canonistas basis et fundamentum iudicii in causis civilibus solemnibus. Eius necessitas in processu ordinario repetitur ex iure positivo can. non ex iure naturae. Iudex tamen, lite non contestata, nequit testes audire et sententiam proferre, (3) nisi admittendae sint exceptiones (4).

Litis contestatio praetermitti potest: *a*) in iudiciis summariis; *b*) in causis appellationis si in prima instantia locum habuerint; *c*) in causis notoriis, atque in omnibus causis in quibus non requiritur libellus (5).

(1) Actoris vel rei partes agere possunt etiam procuratores, tutores, ipsique advocati nomine procuratorio. Cfr. *Leuren.* h. t. n. 254.

(2) Cfr. Tit. VI, Decret.: *Ut lite non contestata* etc.

(3) Cfr. l. *Quoniam*, iam cit.

(4) *Schmalzgr.* h. t.

(5) Neque sufficienter fit contestatio litis per simplicem et puram exceptionem, ut v. gr. si tu a Titio ex mutuo conventu, exceptionem excomunicationis contra eum proponeres.

Bene vero si conceptio adiunctam habet negationem oppositam intentioni actoris, vel si ipsi exceptioni replicaret actor. *Lombardi,* III, p. 202.

Ex contestatione varii effectus profluunt quorum praecipui:

I. Constituitur iudicium et eius natura determinatur.

II. Litigantes obligationem contrahunt ex *quasi contractu* litis prosequendae.

III. Iudex amplius recusari nequit.

IV. Interrumpitur praescriptio longi temporis seu 10 vel 20 annorum.

V. Post litem contestatam fit locus iuramento calumniae aut de veritate dicenda.

193. *Iuramentum calumniae* illud est quo partes protestantur se in iudicio instaurando et in eo prosequendo absque fraude processuras esse (1).

Iuramentum de veritate dicenda tunc habetur, quando partes expresse fatentur se non allaturas probationes et nihil asserturas esse nisi omnia veritate nitantur (2).

Iuramentum calumniae differt a iuramento de veritate, quia illud est de credulitate, hoc de veritate et scientia (3). Iuramentum calumniae in foro ecclesiastico non amplius solet exquiri (4).

Viget vero et iuvat iuramentum veritatis testibus delatum quia est determinatum ad certos articulos de quibus testari debent (5).

§ 3

De Probationibus.

194. **Probatio** in genere definitur: *Rei dubiae et controversae apud iudicem per legitima argumenta facta ostensio.*

(1) Cfr. leg. 2 Cod. Iustin. De iureiur. propter calumniam.

(2) C. 1, h. t. in 6°.

(3) Datur etiam *iuramentum malitiae* pro casibus particularibus, scilicet quando iudex dubitat actorem vel reum aliquid ex fraude agere vel omittere. C. C. 2, h. t. in 6, § 2.

(4) Cfr. *Lombardi*, III, pag. 212.

(5) Cfr. Card. *De-Luca*, De iudic. dis. 25; *Lega*, l. c. n. 378.

Probatio praecipue dividitur in *plenam* et *semiplenam*. Probatio plena rem evidentem ostendit et iudici fidem facit iuxta quam procedere debet usque ad sententiam. Semiplena aliquam facit fidem, non ita tamen concludens est ut iudex possit ex illa ad sententiam devenire.

Et brevius: probatio plena nos ad certitudinem ducit; semiplena ad probabilitatem.

Animadvertendum tamen quod duae semiplenae probationes, si coniunguntur et ad unum eumdemque finem tendant, quandoque dare possunt moralem certitudinem, ac proinde aequiparari probationi plenae. Onus probandi reguläriter incumbit actori, eoque non probante, reus absolvitur; sed etiam reo, si excipiat.

Probatio plena requiritur in causis criminalibus et etiam in civilibus quae sunt in praeiudicium alterius (1).

Fontes praecipuae probationis sunt: *confessio*, *testes*, *instrumenta*, *praesumptiones*, *iuramenta*.

In concursu autem probationum hae regulae sequendae sunt:

I. Si probationes inter se conciliari possint, conciliari debent propter bonam fidem litigantium.

II. Si vero contrariae sint, tunc vel inaequales vel aequales sunt; si *inaequales* praeferenda potior; si *aequales* mutuo collisae censendae sunt (2), nisi agatur de causis privilegiatis quibus favendum est (3).

195. **Confessio** est *facti sibi adversi* (4) *manifestatio ab ipso reo facta* (5).

(1) *Icard*, III, n. 670; *Ricci*, Delle prove.

(2) At etiam in casu aequalium probationum contrariarum, locum habet principium « Reo nempe favendum ». Cfr. *Santi*, II, tit. XIX n. 24 seqq.; *Lombardi*, III, pag. 240.

(3) Causae privilegiatae sunt v. gr. quae versantur circa vinculum matrim., circa libertatem etc. Cfr. cap. 3 h. t. et cap. ult. *De sent.* et *re iudic.*

(4) Confessio omnino contraria intentioni adversarii et exinde favorabilis confitenti, nihil valet, sed factum assertum probari debet. *Lega*, l. c. n. 451.

(5) Cum ad simplicem actoris petitionem, sive rei exceptionem,

Confessio esse potest *iudicialis* si fiat in iudicio coram iudice competenti; *extraiudicialis* si aliter facta sit, etiamsi coram iudice ut privata persona.

Confessio ut legitima sit, fieri debet *ex certa scientia plenaque rei cognitione, sponte* atque *libere* (1).

Positis his conditionibus si confessio est *iudicialis* vim plenae probationis habet ita ut altera pars eximatur prorsus ab onere probandi suam intentionem. Si *extraiudicialis* et emissa sit praesente adversario cum adiectione causae ex gr. debendi, in civilibus habetur loco probationis plenae (2), si vero facta sit illo non praesente producit tantum praesumptionem et semiplenam probationem (3).

196. **Testes** sunt *personae quae de re seu de facto aliquo dubio et controverso ad eius fidem faciendam in iudicio vocatae adhibentur.*

Testes ut adhiberi possint debent esse idonei, scilicet a iure non exclusi. Prohibentur absolute:

a) *iure naturali*, infantes, furiosi, amentes, fatui, ebrii etc.

b) *iure can.* pupilli, impuberes, infideles, haeretici, apostatae, excommunicati vitandi, infames, criminosi etc

Relative autem ad causam quae agitur:

a) Litigantes ipsi vel eorum advocati et procuratores;

b) parentes per filios et vicissim;

adversarii confessio nequit obtineri, instituta sunt media quaedam indirecta ad eam eliciendam. Huc pertinent eae quae dicuntur *positiones* quae sunt breves quaedam assertiones facti alicuius ad causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi affirmando vel negando. Cfr. *Schmalzgr.*, in tit. de confess.; *Ios. Ferrari*, II, n. 796; *Sanguineti*, op. cit. n. 592.

(1) Minores ergo et pupilli non habentur capaces confessionis. Cfr. *Santi*, l. c. tit. XVIII, n. 3.

(2) Cfr. C. *Cum de indebito* ff. de Prob.; C. 10 de Prob. et gloss. In can. Test. caus. 3, q. 9; *Maranta*, Par. 6 speculi de conf. circa init.

(3) Species confessionis extraiudicialis est confessio sacramentalis. Haec tamen in iudicio vocari nequit, nec poenitente quidem consentiente. Cfr. S. Rotae 1834-35; *Santi*, l. c. n. 25; *Lega*, l. c. n. 453.

c) domestici pro dominis et vicissim; socii pro sociis etc. (1).

Iure ordinario ad plenam probationem sufficiunt duo testes omni exceptione maiores (2). Aliquando vero requiruntur plures ut ex. gr. in causa nullitatis matrimonii, ad clericos condemnandos etc. (3).

Et etiam fides unius testis plene probare potest si est qualificatus, scilicet si ratione sui officii deponit, ut medicus, chirurgus, etc.; vel si de causa levis momenti agitur, vel nullius praeiudicii tertio, utpote ad probandum aliquem fuisse baptizatum, esse clericum etc. (4). Si testis sit varius, contrarius, vel vacillans nulla vi gaudet, vel parvi fit (5).

Productio testium fieri potest verbis vel scripto. Tam actori quam reo facultas conceditur suis sumptibus testes producendi; et ex iure ordinario regulariter admittitur secunda et etiam tertia testium productio, dum elapsum non sit tempus ad testes producendos constitutum.

Notandum tamen quod ex regula generali testes non cogendi sed potius monendi sunt ad testificandum, idque ne periculum subsit minus aequi seu veracis testimonii. Diximus *ex regula generali*, quia aliquando eos compellere poterit iudex ad testificandum adhibitis etiam censuris: ex gr. quando odio aut gratia testimonium ferre recusant, aut etiam si secus cum iustitiae detrimento probationum copia deesset (6).

Testes iurare debent se dicturos solam veritatem et

(1 L. 10 *Nullus* ff. de test. et can. 3 *si testes*.

(2) Ex cc. 4. 10, 23 h. t. Decret.

(3) Cfr. *Lombardi*, III, pag. 251.

(4) Ex c. 22, h. t.

(5) Aliquando et plures testes fieri possunt singulares, si eorum attestationes in idem non concordent; quum plures testes non idem factum sed diversi diversa facta testantur. Cfr. *Schmalzgr*. h. t. n. 105. Et regula generalis est, testes singulares non probare. Cfr. l. 32 h. t. Decret.

(6) Tit. XXI, lib. II, Decret. *Greg. IX*; Cfr. *Lombardi*, III, 253.

totam veritatem (1). Deinde a iudice vel ab eius delegato, notario praesente et regulariter in loco iudicii examinari debent supra *articulos probatorios* qui proponi possunt a parte quae testes producit, nec non iuxta *articulos interrogatorios* a parte adversa propositos. Interrogationes faciendae esse debent sufficientes et carentes fallaciis; alioquin contra ipsas a reo excipi potest. Depositiones testium ab iisdem recognitae et per subscriptionem confirmatae publicandae sunt; et contra eas partes adversae excipere possunt (2).

Publicatis attestationibus, alii testes produci non valent super iisdem articulis (3).

197. **Instrumenta** sensu proprio et stricto definiri possunt: *scripturae quae de aliqua re fidem faciunt.*

Instrumenta dividuntur in *publica* et *privata.*

Publica dicuntur quae conficiuntur a persona publica sub certa forma; privata quae a persona privata absque solemnitatibus iuris (4).

Tum autem publica, tum privata, esse possunt *originalia* vel *exemplaria*, secundum quod primitus confecta vel ex originali transcripta.

Instrumenta publica a publico notario conscripta plenam fidem faciunt adversus omnes donec contrariis probationibus impugnentur et destruantur (5).

Instrumenta privata subscripta, plenam probationem

(1) Iuramentum remitti potest ex consensu partium, nisi quaestio afficiat ius tertii. Ita C. 39 h. t.

(2) Cfr. *Zallinger*, in h. t. n. 255; *Gonzalez* ad cap. 17 de Testib. n. 3.

(3) C. 17, Clem. 2 eod. et 42 eod.; Cfr. *Lega*, l. c. n. 484; *M. De-Luca*, de iud. n. 206 seqq.; *Sanguineti*, n. 603.

(4) Privatum instrumentum authenticum fieri dicitur cum publico sigillo munitur, vel magistratus aut principis auctoritate publicatur. Cfr. *Santi*, tit. XXII, n. 1.

(5) Ex. c. 10, *De fid. inst. et de prob.* X. Instrumenta multiplici ex capite impugnari possunt, ex. gr. ex defectu notarii, formae etc. Cfr. *Lombardi*, III, pag. 256.

faciunt in iudicio adversus eos qui illam subscripserunt (1), donec subscriptio legali modo non fuerit reprobata (2).

Productio instrumentorum regulariter facienda est post litem contestatam usque ad conclusionem in causa (3), etiamsi testium depositiones iam fuerint publicatae (4).

198. **Praesumptio** definitur: *Coniectura ex aliquo signo seu iudicio orta et aut a lege allegata, aut a iudice assumpta ad destruendam rei dubiae fidem* (5).

Tres communiter assignantnr species praesumptionis; scilicet *iuris*, *hominis*, et *iuris de iure.*

Praesumptio *iuris* illa est quam lex ipsa ex certis factis deducit, ideoque ab ipsa lege firmatur, eiusque munitur auctoritate. Haec praesumptio probationem facit quamdiu contrarium non probetur (6).

(1) Si quis producat privatam scripturam a se subsignatam sibique favorabilem, nihil probat quousque adversarius hanc uti veram et genuinam esse probet. Cfr. *Lega*, n. 513. At libri mercatorii qui rite sint instructi secundum leges et consuetudines locorum, habent vim probandi simpliciter, scilicet in favorem etiam scribentis. Item dicendum de libris redituum et onerum monasterii, parochiae, et piorum institutorum. Cfr. *Ios. Ferrari*, II, tit. VIII n. 803; *Sanguineti*, n. 604.

(2) Ar. 615 Cod. Greg.; Cfr. Card. *De-Luca*, De iur. dis. 29, n. 20.

(3) Sed si praesentetur etiam post conclusionem in causam recipiuntur a Cancellario, non ad probationem. *Pellegrini*, l. c. p. 2, sect. 2, subs. 5, n. 13.

(4) Ex. c, 3, h. t.

(5) Praesumptio non est confundenda cum *iuris fictione*. Haec quippe tunc proprie obtinet quum lex ut aliquem finem consequatur, aliquid esse fingit seu supponit. In iure Romanorum plana exempla habemus *iuris fictionis;* ita ex. 30. in Lege Cornelia Cfr. F. VI, §§ 12, D. De iniust. rupt. irr. test. (XXVIII, 3). In iure canonico, ubi agitur de residentia in loco beneficii, et in choro. Cfr. *Lombardi*, III, pag. 258.

(6) Exempla iuris tantum habentur in cap. fin. *De presbyteris non baptiz.* X (III, 43), ubi praesumitur baptizatus qui inter christianos natus et educatus est. Item ex c. un. *De desp. impub.* in 6° (IV 2).

Praesumptio *hominis* est ea quae non determinatur a lege, sed prudentis iudicis arbitrio relinquitur; et esse potest *levis* seu *temeraria*, vel *probabilis*, vel *violenta*, prout innititur levissimis, vel gravibus, vel gravissimis indiciis. Prima nullius vis est; secunda gignit probabilitatem; et tertia *in civilibus* veram probationem affert et concludere facit in causa (1).

Praesumptio *iuris et de iure* est illa super qua legislator tamquam in re sibi cognita et certa fundat suam legem (2); dicitur *iuris* quia a lege inducta est et firmatur, et *de iure* quia super hac stabilitur ius.

Haec praesumptio plenae probationis vim habet, et contrariam directam probationem excludit (3).

199. **Iusiurandum** est: *invocatio divini nominis in testimonium alicuius rei.*

De praecipua iurisiurandi divisione i. e. in *promissorium* et *assertorium*, nec non de eius qualitatibus scilicet de *veritate*, *iudicio* et *iustitia* agunt Theologi (4). Hic loquimur de *iudiciali*, quod in iudicio alter litigantium alteri defert, iudice non cogente sed approbante (5).

Iusiurandum iudiciale aliud est litis *decisorium*, aliud *suppletorium*, aliud *purgatorium* in litem et *aestimatorium*.

Decisorium dicitur quando ad habendam citius litis decisionem, omissis aliis probationibus ab una parte alteri defertur.

Suppletorium quod iudex ob defectum plenae probationis defert vel actori ut plene probet actionem, vel reo ut probet exceptionem (6).

(1) C. *veniens*, 3 de presbyt. et c. 12 h. t. Exemplum huiusmodi praesumptionis affertur in c. 2 h. t. deducto ex iudicio Salomonis.

(2) Exemplum habemus in c. 30 *De spons. et matr.* Cfr. *Santi*, l. c. tit. XXIII, n. 12; *Vecchiotti*, II, c. III.

(3) Admittit vero probationem contrariam indirectam..
Cfr. *Schmalzgr*, h. t. n. 42; *Reiffenstuel*, h, t. n. 53 et seqq.

(4) Cfr. *Piscetta*, III, c. III, n. 239.

(5) *Devoti*, Inst. III, tit. IX § XXIV.

(6) Qui recusat iuramentum suppletorium habetur ut confessus:

Purgatorium reo datur ad se purgandum ab aliqua suspicione vel praesumptione criminis.

Aestimatorium denique quod a iudice actori defertur ut declaret quanti aestimet rem quae ei debetur et de qua controvertitur (1).

§ 4.

De litis consummatione.

Ad consummationem iudicii pertinet *conclusio in causa, sententia*, et *res iudicata.*

200. **Conclusio in causa** est: *actus iudicialis quo utrique parti ulterior probationum seu exceptionum productio interdicitur* (2).

Conclusio in causa in civilibus ordinario conceditur ad instantiam unius vel utriusque partis, quae dum petunt ut in causa concludatur, iam praesumuntur renunciare iuri suo offerendi scilicet alias probationes.

Aliquando tamen iudex *ex officio* ordinare potest conclusionem in causa ad amputandas omnes occasiones fraudis et impediendum quominus una pars ad infinitum causam protrahat (3).

Hodie quia in curiis solemnitates iudiciales parum attendi possunt, conclusio in causa, tacite non expresse attendi solet (4).

si tamen iuramentum delatum sit debitis regulis. Cfr. cap. 2, De prob. X; *Lega*, n. 460, 461.

(1) *Schmalzgr.*, h. t. n. 65 seqq.; *Pichler*, h. t. nn. 19-30.

(2) Excipiuntur nonnullae causae in quibus etiam post conclusionem in causa probationes afferre licet, ut causae matrimoniales quae vinculum attingunt, quum agatur de iure natur. divino.

Cfr. *Lombardi*, III, p. 268.

(3) Cfr. *M. De-Luca.* l. c. n. 223; *Sanguineti*, n. 625; *Ios. Ferrari*, II, n. 844.

(4) *Lega*, l. c. n. 542.

201. **Sentenția iudicialis** definitur: *Pronunciatio legitima iudicis super re a litigantibus proposita.*

Sententia iudicialis esse potest: *definitiva* vel *interlocutoria.* Est *definitiva* si in causa principali edicitur et ex parte iudicis toti controversiae finis imponitur vel per condemnationem vel per absolutionem. *Interlocutoria* quae pronunciatur super aliqua quaestione incidenti et ideo inter principium et finem ut ecce quae pertinet ad quaestiones praeiudiciales, v. gr. de admittenda vel non exceptione declinatoria fori; aut vel negotia in iudicio ipso praestanda, v. gr. quoad instrumenta exhibenda (1).

Ad sententiae validitatem requiruntur quaedam solemnitates *extrinsecae* et *intrinsecae.*

Extrinsecae sunt: *a*) ut ultra debitum tempus non pronuncietur; *b)* ut recitetur e scripto a iudice pro tribunali sedente, citatis et prasentibus partibus die non feriato (2).

Intrinsecae sunt: *a*) ut sit declaratio positiva et absoluta facti; *b*) ut causam iudicii seu motivum exprimat; *c*) ut artic. legis vel can. citet quibus innititur; *d*) ut poenam designet (3).

202. **Res iudicata** nihil aliud est quam *ipsa iudicis sententia a qua non fuit appellatum intra tempus a iure praefinitum.*

Iure canonico statuuntur decem dies a publicatione et intimatione.

Res iudicata constituit praesumptionem *iuris et de iure*, i. e. pro veritate habetur adeo ut causa maneat iudicata etiamsi novae in contrarium probationes producantur; et sententia executioni mandanda est.

(1) Cfr. *Lombardi*, III, p. 228.

(2) *Icard*, III, n. 677

(3) *Lega*, l. c. n. 611, 612. Et hic adnotandum quod Congregationes romanae non tenentur exhibere rationem decisionis, quia, ut iam dictum est, constituunt tribunal Pontificis, et decreta instar egis edunt; legislator autem non tenetur exprimere motivum legis lsuae. Cfr. *Santi*, tit. XXXVII, n. 11; *M. De-Luca*, n. 225.

Nonnullae tamen sententiae non transeunt in rem iudicatam; ita ex. gr. *a)* causae matrimoniales (1) quae spectant valorem vinculi matrimonialis; *b)* causae beneficiales (2); *c)* causae falsis arguemntis innitae vel contra legem aut canones etc.

His enim in casibus, quovis tempore agnoscitur errorem irrepsisse in iudicio, retractari debet (3).

§ 5.

De iudicii correctione.

Remedia ad iudicium corrigendum alia sunt ordinaria, alia extraordinaria (4).

Remedium ordinarium contra sententiam prolatam est *appellatio.*

203. **Appellatio** definitur: *Provocatio ab inferiori ad*

(1) Quoad formam iuridicam pertractandi causas matrimoniales vide Const. *Ben. XIV*, « *Dei miseratione* », 3, Nov. 1741. Cfr. *Munerati*, Theol. Sacramentariae Elementa.

(2) Causae beneficiales illae dicuntur quae ad proprietatem beneficii, vel ad eiusdem possessionem acquirendam, vel ad eam retinendam, vel denique, si per iniuriam fuerit amissa, recuperandam pertinent. Oritur ergo iudicium *petitorium* si agitur de proprietate, *possessorium* si de possessione. Ad iudicium possessorium revocatur *restitutio spoliatorum*, seu actio quae in id competit, remedium scilicet recuperandae possessionis ad hoc ut ante quamcumque iudicialem actionem quis in pristinam possessionem rei immobilis restituatur a qua iniuste deiectus fuit. Cfr. Lib. II, Decr. tit. 13; *Santi*, h. t.; *Sanguineti*, n. 644.

(3) Cfr. *Schmalzgr.*, « De sententia et re iudicato » nn. 64-70; *Reiffenstuel*, h. t. n. 120 seqq.: *Pirhing*, h. t. n. 60.

(4) Remedia extraordinaria sunt: *a) querela nullitatis* qua quis contendit sententiam prolatam nullam esse quippe vitio substantiali laborantem; *b)* remedium *restitutionis in integro*, quo ministerio iudicis ob laesionem res in pristinam reducuntur conditionem in qua fuerant ante ipsam laesionem; *c) recursus ad principem*; *d) beneficium novae audientiae* apud eundem iudicem qui sententiam tulit, eo consilio ut sententiam corrigat, aut confirmet. Cfr. *Santi*,

superiorem iudicem ratione gravaminis illati vel inferendi (1).

Appellatio est *iudicialis*, vel *extraiudicialis*. Dicitur *iudicialis* quando provocatur ab actu iudiciali scilicet a sententia vel iudicis decreto; *extraiudicialis* quando provocatur a mandato quovis vel ab actu regiminis ecclesiasiici utpote a decreto Episcopi super praesentatione vel collatione beneficii.

Omnes generatim (2) possunt appellare qui aliquo modo se gravatos contra ius per sententiam sentiunt vel per se vel per procuratorem et etiam quorum interest sententiam reformari.

Legitimus superior ad quem appellari potest ordinario est proximus, non vero mediatus, omisso medio (3).

Potest tamen a quocumque iudice appellari ad Papam et hinc etiam ad Congregationes romanas nomine et auctoritate Pontificis iudicantes (4).

lib. I, tit. *de in integrum restitutione*; *Lega*, tom. I, n. 652 et seqq. *Pichler* in tit. De appell. *Zallinger*. in eod. tit.

(1) Cum appellatione non est confundenda *relatio*, quae est consultatio a iudice inferiori missa ad R. P., ut dubium iuris causam aliquam pendentem attingens auctoritate sua resolvat.

Relationum usus hodie haud frequens est, quum innumerae iuris quaestiones vel ex authentica vel ex usuali interpretatione satis solutae fuerint. Cfr. *Lombardi*, III, p. 230.

(2) Excluduntur a beneficio appellationis *a*) contumaces donec obtemperaverint iudicis citationi; *b*) illi contra quos tres sententiae in eadem causa prolatae sunt conformes; *c*) qui sententiam approbarunt vel appellationi renuntiarunt; *d*) iudicialiter confessis aut convictis per evidentiam; *e*) notorie criminosi. Cfr. *Icard*, l. c. n. 699.

(3) Trid. sess. XXII, c. 7, de ref. et sess. XXIV, c. 20 de ref.

Praeteriri potest gradus intermedius, quando iudex intermedius factus sit inhabilis sive positive sive moraliter. Cfr. *Santi*, tit. XXVIII, n. 9.

(4) Exemplum varii modi, quo temporum et locorum varietate appellationis ius iu actum deducitur patet ex litt. *Trans Oceanum*, 18. Apr. 1897, quas edixit *Leo XIII* quoad Americam latinam

A sententia vero Papae appellari non potest ad futurum universale Concilium sub poena excommunicationis sp. modo S. P. r. (1).

Neque a tribunali S. Congregationum admittitur provocatio ad aliud tribunal vel ad aliam S. Congregationem; et tantum conceditur iterum fieri examen eiusdem quaestionis, additis vel minus, novis allegationibus, quod novum examen appellatur *beneficium novae audientiae* (2). Dummodo tamen non fuerit opposita clausula *et non amplius* (proponantur) (3).

Nota. Inter religiosos si quis vult appellare a decreto

« Mandamus, edicimus.... Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, e sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum, si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae, sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes quas vim rei iudicatae habere volumus is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam sedem etiam omisso medio, sive post sententiam iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, non huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1. Ut in singulis causis salva maneat cuique litigandi facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2. Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3. Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4. Quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Costitutione Benedicti XIV, cuius initium *Dei miseratione*, praestituta sunt ».

(1) Cfr. Const. « *Apostolicae Sedis* » n. 4; Const. « *Pastor aeternus* » c. III Conc. Vaticani.

(2) Cfr. *Lega*, Lib. I, vol. II, P. II, Tit. II. § 1, n. 105.

(3) Cfr. *Ursaya*, Disc. 12, tom. 2, p. 2, n. 168.

legitimi superioris prius opus est oboedientiam praestet, et postea provocet (1).

204. Effectus appellationis est duplex, *suspensivus* et *devolutivus*. Ex primo, *pendente appellatione*, suspenditur vis iuridica sententiae et iudicis competentia, adeo ut hic nequeat sententiam exequi, nec aliquid innovare in re litigiosa *contra ius appellantis*. Ex secundo iudici ad quem appellatur, devolvitur non tantum cognitio appellationis nempe *an bene appellatum sit*, sed etiam meritum causae seu *an bene iudicatum* sit (2).

Plures tamen dantur causae in quibus appellatio *in suspensivo* prohibetur. Ita nequeunt suspendi sententiae superiorum regularium ad correctionem et punitionem religiosi prolatae. Non servatur in suspensivo appellatio a censuris iam inflictis et modo absoluto (3); nec a decretis Episcopi in visitatione dioecesis circa cultum et correctionem morum, vel a suspensionibus *ex informata conscientia* etc. (4).

205. Ad appellationem referuntur etiam *apostoli* et *fatalia*.

Apostoli seu missi dicuntur illae litterae quibus causa de uno ad aliud tribunal transfertur.

Fatalia autem sunt quidam termini statuti temporis intra quod appellatio interponenda, prosequenda et finienda est. Fatalia ad inchoandam appellationem sunt decem dies ab intimatione sententiae. Fatalia ad prosequendam ex iure can. statuuntur a iudice *a quo;* ex civili, semestri absolvuntur. Ad finiendam denique conceditur annus integer; ex causa tamen necessaria biennium (5).

(1) Decr. S. C. R. 11 Iun. 1754.

(2) *Lega*, vol. I, n. 625 et seqq.

(3) Cfr. *Pacific. Pierantonelli*, Praxis fori eccl. tit. VI, n. 33; *Schmalzgr.*, h. t. n. 109 reqq.

(4) Conc. Trid. sess. XXIV, c; 10; *Bened. XIV.* Const. « *Ad militantis* » 30 Mart. 1742; *Fagnan.* in cap. « *Ad nostram* » et « *Super eo* », De appell.; *Ferraris*, v. *Appellatio.*

(5) *Devoti*, Tom. III, tit. XV, § 13; *Santi*, l. c. n. 25 seqq.; *Ios. Ferrari*, Inst. n. 872 seqq.; *M. De Luca*, n. 241; *Vecchiotti*, II, c. III, de iud. § 47; *Lega*, I, n. 644 seqq.

B) De processu criminali.

206. Iudicium criminale illud est, ut iam diximus *in quo criminalis causa vertitur ut reus ad bonum publicum publica vindicta coërceatur.*

Potest et hoc esse *ordinarium* vel *extraordinarium* prout omnes iuris solemnitates vel tantum substantiales servantur.

Processus ordinarius instituitur *accusatione*, *denuntiatione*, *inquisitione* (1).

207. **Accusatio** est *delatio criminosi ad competentem iudicem ad publicam vindictam facta, assumpto onere probandi.*

Ad constituendam proprie dictam accusationem requiritur ut accusator proferat libellum quo accusati nomen, criminis speciem, locum et tempus quo patratum asseritur, designet cum sua subscriptione; et insuper invocet articulum legis in quo decernitur poena applicanda (2).

208. **Denuntiatio** definitur: *Alicuius delicti manifefestatio superiori facta, non assumpto onere probandi.* Hinc patet discrimen inter accusationem et denunciationem.

Denunciatio alia est *charitativa* si fiat superiori ut reum paterna admonitione corrigat; *iudicialis* si ut reum puniat pro ratione delicti ad publicam vindictam.

Denunciatio iudicialis iuxta formam accusationis confici debet, omissa subscriptione, ut iudex diiudicare valeat an admittenda vel reicienda denunciatio (3).

(1) Cfr. *Santi*, Lib. V, tit. I; *M. De-Luco*, De iudiciis, tit. XIX; n. 339.; *Ios. Ferrari*, II, tit. XVI; *Sanguineti*, n. 634 seqq.

(2) A pluribus saeculis accusationes criminales in desuetudinem abierunt. Moribus hodiernis, ministro publico officium prosequendi vindictam criminum ad tuitionem ordinis publici demandatur. Privati, tantum ad reparationem sui damni partes contra reum sustinere solent. Cfr. *Van-Espen*, Ius eccl. p. 3, tit. 8, c. I; *Icard*, III, n. 660.

(3) *Pellegrini*, Praxis criminalis sect. I, n. 23.

Effectus denunciationis sunt: 1.° ut iudex ex officio inquirere debeat utrum crimen revera existat nec ne, et processum incipere citando et examinando testes (1); si tamen delictum non sit occultum quo in casu abstinere debet nisi damnum afferat societati; 2° ut denunciator teneatur designare nomina testium et suggerere media probationis (2).

A simplici denunciatione distinguitur specifice *querela* quae intendit praeter *vindictam* publicam, privatam indemnitatem, satisfactionem ex ipsa poenae luitione, et maxime habet locum cum publica auctoritas non persequatur certa crimina nisi ad instantiam partis laesae (3).

209. **Inquisitio** est *legitima criminis investigatio ab iudice facta.*

Tres species inquisitionis distinguuntur: *generalis*, *specialis*, *specialissima.*

Generalis consistit in vigilantia assidua auctoritatis ad crimina praevenienda.

Specialis habetur quando ex officio vel ad alicuius querelam seu denuntiationem, iudex de aliquo crimine patrato inquirit quis illud commiserit nulla expressa in particulari persona.

(1) *Schmalzgr.*, in tit. I lib. V. Decr. n. 125.

(2) Denunciatio iudicialis a privatis facta moribus absolevit eadem fere ratione qua accusatio. Nemo hodie partes assumit denunciandi reum et causam coram iudice prosequendi in materia criminali, praeter officialem publicum qui vulgo *Promotor* fiscalis dicitur. Cfr. *Icard*, l. c. n. 661.

(3) Cfr. *Lega*, op. cit. lib. II, vol. IV, n. 110. Atqui canonistae ut *Bouix*, De iudiciis p. 35, putant agere *civiliter de crimine* et movere *querelam de crimine* idem esse, quippe querela sit denunciatio in privatum interesse. Sed alii, ut *Pellegrini* et *Lega* l. c. hos conceptus distinguunt, quia, aiunt, ista delicta etsi compescenda tantum ad querelam privatorum non sunt delicta privata sensu iuris romani (apud romanos, crimina privata aestimabantur laesiones non egredientes sphaeram iurium privatorum, quorum persecutio relicta erat exclusive privato homini laeso) quippe eiusmodi crimina veluti calumniae, diffamationes, sed eorum criminali persecutioni non fit locus nisi ad querelam partis.

Specialissima cum de certo et determinato delicto contra certam et determinatam personam investigatio instituitur (1).

Quum autem iudici constet de crimine patrato et de eius auctore, contra ipsum procedit, primum per mandatum citationis verbalis ad comparendum personaliter ante iudicem (2); deinde in examine reus ut dicitur *constitutus* a iudice vel a procuratore fiscali interrogatur de nomine, familia, patria etc. nec non de factis, personis, circumstantiis delicti (3).

210. Post *constitutum*, si reus confitetur, iam iure damnatus est (4); si commissum crimen negat, fit litis contestatio, auditio testium, documentorum (5), exhibitio et iuxta seriem processus ordinarii iuramenti propositio (6).

(1) Cfr. *Lega*, op. cit. II, vol. IV, n. 113. In causis criminalibus notoriis non requiritur praevia inquisitio. *Schmalzgr.*, tit. I, l. V. nn. 1, 20.

Si inquisitio fit contra regularem solum ad correctionem et poenam regulae, servandus est modus procedendi praescriptus in particularibus religionum constitutionibus; in poena tamen publica ex. gr. in remotione a dignitate, ab officio etc. servandum C. *Qualiter* 24 h. t.; *Sanchez, Krimer* etc.

(2) Olim fieri etiam poterat citatio realis per capturam rei, vel praeventivam detentionem. *Lombardi*, III, 358.

(3) Cfr. *Ios. Ferrari*, II, n. 895; *Pellegrini*, p. 3, sect. 9, n. 58.

(4) Tamen et post confessionem privari nequit reus iure defensionis; potest enim et etiam contra propriam confessionem excipere, illam demonstrando falsam, erroneam vel absurdam. Cfr. *Lega*, op. cit. I, n. 447. Est insuper advertendum quod confessio in ipsa tortura atque inter tormenta emissa, pro nulla habetur.

(5) Documenta in criminalibus sunt quae instrumenta in civilibus. Verum magis patet documentum quam instrumentum, quia dum instrumentum est scriptura ordinata ex ipsa intentione partium, quarum interest, ad rei probationem, documentum habetur, quavis ratione confectum, si aliquam contineat facti attestationem. Cfr. *Lega*, l. II, vol. IV, n. 212 seqq.

(6) Hic tamen quaestio fit an reo deferendum sit iuramentum. Porro *Pellegrini*, l. c. n. 13 — in summario — asserit « Iuramen-

Est tamen notandum prae civilibus quod in criminalibus *a*) duae probationes semiplenae, etiam si sese coniungantur ad eumdem finem, moralem certitudinem non praestant; *b*) probationes factae in iudicio civili, in criminali valent tantum ad inquirendum; *c*) praesumptio gravissima seu violenta et iuris et de iure non excludunt defensionem; *d)* non admittitur iuramentum suppletorium; *e*) causae criminales non transeunt in rem iudicatam (1).

Quod si in iure reus convincatur (2), sententia inferenda et poena infligenda est nisi (infra decem dies) appellatio interposita sit (3), vel alia remedia praesta sint.

211. Scholion. **De processu summario.**

Processus summarius ille est in quo omittuntur ad citius expediendam causam plures solemnitates iudicii ordinarii, retentis solummodo quae a iure determinantur, aut ex natura rerum reputantur necessariae ad legitimam litis discussionem, i. e. ad cognoscendam veritatem.

Modus procedendi in iudicio summario determinatus est Constitutione S. Pontificis Clementis V « *Saepe contingit* » 2 De verborum postulatione: « Hac in perpetuum valitura constitutione sancimus ut iudex, cui totaliter cau-

tum est quaedam tortura spiritualis »; et explicat praxim deferendi iuramentum tunc communem utpote conformem iuri decretalium arg. cap. *Ex litt. De iuram.* X (II, 24). Nostra aetate in scholis et apud curias civiles non minori detestatione condemnatur usus torturae quam mos iuramenti reo delati. Quae ratio etiam in curiis eccl. hodie adamussim servanda est, proscripto more deferendi iuramenti reo in causis criminalibus. Cfr. *Lega*, l. c. n. 226.

(1) Cfr. *Pellegrini*, p. 4, sect. 3, n. 80; *Icard*; III, n. 668; *Bouix*, de iur. p. 335 tom. I.

(2) Reus convictus dicitur I qui in flagranti crimine deprehensus est; II cuius crimen manifestum est; III cuius crimen saltem ex testimonio duorum probatum est.

(3) Denegatur appellatio reo in flagranti crimine deprehenso, vel cum rescriptum a R. P. impetratum est cum clausula « omni appellatione remota »; quo tamen in casu datur recursus ad ipsum S. Pontificem. Cfr. *M. De-Luca*, l. c. n. 362.

sam committimus necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, in tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum, a iure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem quantum poterit faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et frustatorias repellendo, partium, advocatorum contentiones et iurgia refraenando. Non sic tamen iudex litem abbreviet quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur. Citationem vero ac praestationem iuramenti de calumnia, vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi... Interrogabit etiam partes, sive ad earum instantiam, sive ex officio, ubicumque hoc aequitas suadebit. Sententiam vero definitivam citatis ad id licet non peremptorie partibus in scriptis, et prout sibi magis placuerit stans vel sedens proferat... Quae omnia etiam in illis casibus in quibus per aliam constitutionem nostram vel alias procedi potest, simpliciter et de plano et sine strepitu et figura iudicii volumus observari ».

Hodie praecipue, ait Lega (1), ob temporum conditiones fere ubique Ecclesiae potestati infestas in negotiis cuiuscumque generis expediendis adhibentur formae processus summarii (2). Quantum vero conveniant foro ecclesiastico formae procedendi summarie, docet praxis curiae romanae in qua iampridem Pontifices statuerunt processus conficiendos esse forma summaria, adeo ut non attenderentur exceptiones nullitatis nisi *ex defectu citationis*, *ex defectu iurisdictionis*, *ex defectu mandati*... Ita enim expostulantur ex iure naturae, siquidem sine citatione non instauratur *contentio iudicialis*, sine iurisdictione non habetur iudex; deficiente mandato, quotiescumque quis agit nomine alterius, deest vel actor, vel reus.

(1) Op. cit. Vol. II. n. 361.

(2) Cfr. Litt. Clem. VIII « *Litium dispendiis* » 9 Sept. 1593. *Icard.* de iud. n. 381 seqq. Vide in Appendice, Instruct. S. C. EE; et RR. de modo quo oeconomice procedere debent curiae eccl. in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

Nota. Praeter viam quam explicavimus resolvendi lites sc. *publica auctoritate per iudicia*, alius datur modus pacificae litium compositioni, scilicet *privata auctoritate per transactiones* et *arbitros* prout edicunt tit. 36 et 43 lib. I, Decretalium. De his tamen vide apud Theologos (1).

CAPUT II.

De delictis et poenis in genere.

ART. I.

De delictis.

212. **Delictum** seu crimen (2) definitur: *iniusta actio vel omissio auctori suo imputabilis quae ordinem socialem turbat* (3).

Plurimae dantur delicti divisiones; at praecipuae sunt *ratione reatus*, *ratione effectus*, *ratione fori*.

I. *Ratione reatus* delictum distinguitur in *verum et quasi-delictum.*

Verum dicitur illa legis violatio unde *ob dolum* (4) delinquentis, damnum infertur societati et privatis.

(1) Cfr. *Piscetta*, op. cit.

(2) Hic indiscriminatim usurpantur vocabula, *crimen* et *delictum*. *Delictum* vocabulum est significatione universalius et communius; *crimen* etiam sensu verbali significat factum accusatione et damnatione dignum. Cfr. *Lega*, n. 16, not.

(3) Crimen et peccatum in eo differunt quod omne quidem crimen est etiam peccatum, sed peccatum tum tantum est crimen quando externum est, legibus humanis prohibitum et ipsum ordinem socialem perturbat. Cfr. *Aichner*, op. cit. § 216.

(4) *Dolus* est « *deliberata voluntas delinquendi* ». In iure romano distinguitur dolus *bonus* et *malus*. *Bonus* est honesta calliditas, seu peritia et prudentia in negotiis peragendis, *malus* est calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Ex leg. I, § *De dolo malo*.

Quasi-delictum est factum inconsultum quo alteri nocetur iniuste; scilicet quod provenit non *ex dolo*, sed *ex culpa* (1) delinquentis ob mentis inadvertentiam, imprudentiam etc. ut si mater inter dormiendum filiolum in suo lecto recumbantem opprimeret (2).

213. II. *Ratione effectus* in *consummatum* et *non consummatum* quod dicitur *conatus* (3).

Delictum *consummatum* consistit in plena legis violatione; *non consummatum* seu *conatus* habetur quando actus executivi aut non omnes aut nonnulli non sufficienter efficaciter positi sunt ad delictum perficiendum (4).

Conatus externus ad delictum, cum tranquillitatem ordinis socialis turbet, est verum delictum licet consummato multo levius (5). Pro gravitate ergo laesionis ordinis socialis vel punitur uti delictum sui generis, vel aliqua poena a iudice pro rei gravitate inferenda (6).

214. *Ratione fori* in *ecclesiastica*, *civilia*, *mixta*. *Ecclesiastica* sunt per quae violantur leges ecclesiasticae, scilicet directe offendunt fidem, religionem vel disciplinam canoni-

(1) *Culpa* in quasi-delicto est « voluntaria (seu culpabilis) omissio debitae diligentiae in aestimandis effectibus facile secuturis ex aliquo facto ». Cfr. *Carrara,* Programma del Corso di Diritto Criminale § 80.

(2) A delicto et quasi-delicto differt *transgressio* quae est violatio legum poenalium quae magis bonum societatis et singulorum civium tuentur. Cfr. *Lega,* III, n. 37 seqq.

(3) Alii distinguunt etiam delictum *praetergressum* seu *frustratum* quod habetur v. gr. cum adversarius utpote gladio oppressus mira dexteritate ictum voluit devitare. Cfr. *Romagnosi,* in oper. « Genesi del diritto penale »; *Carrara,* op. cit. Sed hoc reduci potest ad species conatus.

(4) *Conatus* definitur a *Carmignani* (Iur. crim. elem.): « Actio eius qui crimen moliturus actus crimini opportunos et efficaces conficit quique sint directi ad legem laedendam, si tamen eius actus excipias qui in criminis consummatione consistunt ».

(5) Cfr. *Tarq.* Lib, I, n. 25, d.

(6) *Thesaurus,* De poenis P. I, c: 8; *Schmalzgr.* De poenis, § 26.

cam; et possunt esse *communia* scilicet quarumcumque personarum, et *propria* scilicet certarum personarum ut Praelatorum, Clericorum, Religiosorum.

Civilia quae leges civiles violant.

Mixta quae utriusque legibus adversantur.

Delicta *ecclesiastica* castigationi Ecclesiae obnoxia sunt; Ecclesiae enim ut demonstravimus in lib. primo ut societati natura perfectae competit ius criminosos coërcendi.

Delicta *civilia*, si criminosi sunt laici, reipublicae coërcitioni subsunt; si clerici ad forum ecclesiasticum pertinent. Hodie tamen sulummodo crimina quae ipsorum *statui* vel *suscepto officio eccl.* repugnant, in foro Ecclesiae iudicari solent, ceterorum vero omnium criminum inquisitio instituitur in foro civili. Quod nisi cum venia Sedis Apost. fiat prout in novissimis concordatis (1), contra ius et cum Ecclesiae despicientia fieri, in iure publ. iam vidimus.

Mixta autem sunt communis competentiae et in his datur locus praeventioni (2).

ARTIC. II.

De poenis.

215. **Poena** est *malum passionis, aut privationis delicti causa etiam in invitos auctoritate publica inflictum, ut omnes a perturbando societatis ordine deterreantur* (3).

(1) Cfr. *Nussi*, op. cit.

(2) Hodie vero de criminibus mixtis Ecclesia dumtaxat in foro interno regulariter iudicare solet, fori externi potestate unice ad rempublicam civilem pertinente. Cfr. *Aichner*, § 216; *Icard*, III, n. 717; *M. De-Luca*, l. c. n. 23.

(3) *Tarquini*, l. c. n. 25. Hinc patet quidnam discriminis existat inter poenam et poenitentiam; haec enim principaliter ad emendationem peccatoris sponte eam suscipientis dirigitur et definitur: *Alicuius laboriosi operis frequentatio ab Ecclesia imposita illis qui post delictum vel peccatum admissum volunt iterum assequi iura quae amiserunt.*

Poena est, ait cl. Tongiorgi, (1), malum sensibilem inflictu malis moralis causa; videl. ut inordinatione, quae per malum morale effecta est sublata, ordo in integrum restituatur.

Iamvero crimen triplicem ordinem laedit: 1. *ordinem individualem* in ipso delinquente, cuius voluntas sensile bonum bono rationis praefert; 2. *ordinem sociale externum*, nam crimen est iniuria alteri illata ac demeritum in illum vel demeritum in societatem; 3. *ordinem internum iudiciorum*, qui est ordinis externi fundamentum, pravum enim exemplum sensim facit, ut delictum parvipendatur, praesertim si in delinquentis utilitatem cedere perspiciatur.

Poena igitur hunc triplicem ordinem restaurat. Restaurat ordinem individualem; quia voluntatem, quae bonum sensile, a quo se abstinere iuxta rationem debebat, prosecuta est, privat sensili bono, quo iuxta rationem frui poterat. Restaurat ordinem socialem externum: nam eum, qui malum alteri intulit, cogit malum pati. Restaurat denique ordinem iudiciorum, quia manibus manifestam facit delicti informitatem, omnibusque, suadet illud utile non esse; quo pacto impulsum omnem ad crimen elidit, atque adeo a peccando homines deterret.

216. Poenae dividuntur: *a*) *ratione finis* in *medicinales* et *vendicativas*, prout in primis emendationem delinquentis, aut vindictam criminis respiciunt (2).

b) *Ratione obiecti* in *temporales* et *spirituales*. Temporales dicuntur quae bonis temporalibus privant, spirituales quae bonum aut eius aliquod spirituale adimunt.

(1) Phil. moral. n. 457.

(2) Verum quidem est quod finis principalis quam Ecclesia intendit in persequendis criminibus, est sontis emendatio, tamen inficiendum non est dari et poenas vindicativas ad scandalum et mali exempli lucem arcerdam. Conc. Trid. sess. 24, c. 8, de reform.

Cfr. Epist. B. Pauli *ad Romanos*, c. 13. Cfr. *Zallinger*, ad lib. V, tit. I, § 17; *Aichner* § 217; *M. De-Luca*, l. c. 31; *Icard*, III, n. 775 et seqq.

Ratione modi vel sunt *a iure*, vel *ab homine.*

Sunt *a iure* seu per modum legis quando omnibus et perpetuo vetatur aliquid; *ab homine* si pro aliquo casu particulari in lege poenali non comprehenso feruntur (1).

217. Quoad autem poenarum inflictione haec adnotamus:

I. Servanda est inter delicta et poenas debita proportio. Ideoque poenae imponi possunt soli homini delinquenti, a iudice competenti iuxta delicti quantitatem dimetiendam in ratione composita doli delinquentis et damni societatis (2).

II. In quaestionibus criminalibus hoc principium ante omnia tenendum: *nulla poena sine lege*; quare si legis textus poenam non decernat, vel in *dubio iuris*, ex verbis legis ambiguis, poenam inferre iudici non fas est (3).

In *dubio facti*, nempe si dubitetur an crimen patratum sit et an fuerit consummatum, poena edicenda non est; nam poena ex dubio delicto non oritur (4).

III. Poenae licet in bonum commune ferantur, semper ut evidens est, sunt quoad singulos odiosae. Ideoque, iuxta principium quod solemne est in iure poenali stricte sunt interpretandae (5).

(1) Canonistae passim asserunt poenas *ab homine* ferri ad instar praecepti; et hinc resolvi vel suspendi resoluto vel suspenso iure ferentis, nisi iam fuerint incursae. Cfr. *Suarez*, de legibus, lib. I, cap. 10; *D'Annibale*, I, 301. Haec doctrina quamvis dicatur communissima reicitur a cl. *Lega*, l. c. o. 64 seqq.

(2) Cfr. *M. De-Luca*, l. c. tit. X.

(3) *Thesaurus*, op. cit. P. I, c. 16.

(4) *Suarez*, De cens. l. X, sect. 6, n. 5; et lex 5 ff. de Poen. monet « *satius esse impunitum relinqui facinus nocentis quam innocentem condemnari* » Cfr. *Lega*, l. c. n. 75.

(5) Regulae communes sunt: ex leg. 198 ff. De reg. iur. « *In poenalibus causis benignius interpretandum est* »; et ex 49 reg. iuris in 6°: « *In poenis est benignior interpretatio facienda* ». Cfr. *Lega*, l. c. 75; *Lombardi*, III, p. 47.

CAPUT II.

De delictis et poenis in specie.

ART. I.

De poenis.

218. Poenae ecclestiasticae temporales sunt: *a*) multae; *b*) carcer; *c*) exilium aut relegatio; *d*) et caeterae poenae corporis afflictivae citra tamen sanguinis effusionem a quo abhorret Ecclesia.

De his omnibus scribit Latini (1): « Neque hae poenae, prout nonnulli effutiunt, recens in Ecclesiam invectae sunt. Enimvero nonne ab ipsis Ecclesiae incunabulis, poenitentibus imponebatur eleemosynarum elargitio, cui successit multa pecuniaria? Nonne Ischyrionem presbyterum in vinculis detinuit Athanasius? *Sozomen. Hist. eccl. L. 2, C. 5.* Nonne monachos et moniales castitatis votum violantes in ergastulis includi iussit Siricius? *ep. 1*, C. 5, *apud Constant.* Nonne perpetuo ergastulo retineri presbyterum, qui causam sanguinis agitasset, praecepit *Syn. Tolet. II, C. 6, apud Labb. tom. 7, coll. 566*? Nonne exilium memoratur *in act. 4 Conc. Chalced. apud Labb. t. 4 col. 1422*? et prout ostendit *Morinus, de sacramento poenitentiae III. 27.* Nonne persaepe sontibus imponebatur abscessus a patria? Quid dicam de fustigatione, quam subibant Clerici immorigeri? Quid de Secretariis et Catechumeniis quibus detinebantur? Quid de ieiuniis, vigiliis, orationibus quibus sua peccata expiare oportebat? Poenae corporales adeo antiquae sunt in Ecclesia, ut antiquius nil reperiatur ».

At istae et caeterae eiusmodi poenae, exceptis multis pecuniariis, quae etiam hodie, poenae nomine, utiliter ma-

(1) Inst. L. I, p. 2, Tit. VII, n. 5.

xime in clericos ferri valet et quorum proventus piis locis applicantur, in praesens moribus obsoleverunt (1).

219. Poenae spirituales sunt duplicis speciei, aliae quae simul censurae, et aliae simpliciter spirituales.

Censurae definiuntur: ***Poenae spirituales medicinales per quas homini baptizato delinquenti et contumaci aufertur ab Ecclesia usus quorumdam bonorum spiritualium donec a contumacia recesserit*** (2).

Numerantur tres censurae:

Excommunicatio quae ***est censura qua quis privatur communione Ecclesiae.***

Suspensio quae ***est censura qua clericus privatur usu potestatis ecclesiasticae*** (3).

Interdictum quod ***est censura qua prohibetur usus divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum (Euch. Extr. Unct. Ordinis Sacri) et sepulturae ecclesiasticae*** (4).

(1) Cfr. *Lega*, l. c. n. 170; *M. De-Luca*, l. c. tit. VIII, n. 41, seqq.

(2) De censuris vide apud Theologos. Cfr. *Piscetta*, vol. III, tr. VI.

(3) Singularis quaedam suspensionis species est illa quae dicitur « *ex informata conscientia* » qua nimirum Episcopus ex causis in sua conscientia perpensis clericum extraiudicialiter ob occultum crimen, arcet vel ab ordinibus suscipiendis, vel illum ab ordinibus susceptis et officiis suspendit. « Cum honestius ac tutius, ait Trid. sess. XIV, I, de ref., sit subiecto debitam Praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo, graduum altiorum appetere dignitatem; ei cui assensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a suis ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines gradus et dignitates, sive honores, restituendo suffragetur » Nec tenetur Episcopus causam suspensionis subdito revelare. Poterit tamen subditus ad Sedem Apostolicam recurrere cui Episcopus tenebitur causam revelare. Cfr. *Piscetta*, l. c. n. 104; *Aichner*, § 219,d.; *Pierantonelli*, op. cit. tit. VII, p. 231 e seqq.; *Pallottini, De Angelis, Santi, Lega* etc. nec non opusc « L'origine e l'equità delle sospensioni *ex informata conscientia* ».

(4) Interdicto affinis est *cessatio a divinis* quae est *prohibitio*

219. Inter praecipuas secundae speciei recensemus:
I. *inhabilitatem* ad officia et beneficia ecclesiastica (1);
II. *privationem* officii aut eccl. beneficii;
III. *privationem vocis activae et passivae;*
IV. *depositionem* clerici;
V. *degradationem* e statu clericali;
VI. *privationem sepulturae ecclesiasticae* (2).

1. **Inhabilitas** *est poena quae aufert ob aliquod crimen, capacitatem iuridicam a subiecto aliunde iure naturali et divino habili quod exinde fit ineptum ad recipienda officia, beneficia eccl.* « Haeretici autem statuitur in § 2 c. 2 De haer. in 6° (v. 2), credentes, receptatores, defensores, fautores eorum ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum eccl. beneficium aut officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. »

2. **Privatio** officii aut beneficii duobus modis potest induci, scilicet ipso iure (3) et per sententiam condemnatoriam (4) pro gravitate delictorum. Ad privationem tandem deveniendum non est, nisi aliae poenae pro emendatione delinquentis adhibitae sint, ad praescriptum Conc. Tridentini (5). Et insuper gravissima causa requiritur; nec licet eam indicere per sententiam *ex informata conscientia.*

facta clericis obeundi divina in aliquo loco sacro. Cfr. *Piscetta*, l. c. n. 118; *Lega*, III, n. 152.

(1) In his tamen spectari debet pars spiritualis tantum simul cum iure spirituali percipiendi fructus, non ipsa praebenda, quae pars materialis est in ipso beneficio.

(2) Quoad *infamiam* et *irregularitatem* vide apud Theologos in in tract. De ordine. Cfr. *Munerati*, De ordine.

(3) Ipso iure privantur: *a*) rei simoniae realis confidentialis, in adeptione aut permutatione beneficii; *b*) rei homicidii qualificati, nempe patris, matris, Episcopi, clerici; *c*) usurpantes iura, bona, iurisdictionem ecclesiarum; *d*) falsificantes litteras apostolicas; *e*) alienantes bona sui beneficii etc. Cfr. *Icard*, III, n. 833.

(4) Per sententiam iudicis privantur: *a*) qui schismatis convicti sunt; *b*) qui violaverunt sigillum confessionis; *c*) rei adulterii, concubinatus etc. Cfr. *Aichner*, § 220.

(5) Sess. V, c. 8, de ref.

3. **Privatio vocis activae et passivae.** *Vox activa* est ius in capitulo eligendi et decernendi; *vox passiva* est iuridica habilitas ut quis possit eligi ad munia, ad officia et ad beneficia ecclesiastica (1).

Quando ergo aliquis voce activa et passiva privatur, nec dare nec referre suffragium potest; antequam tamen quis teneatur subesse eidem poenae, requiritur sententia declaratoria, excepto casu criminis publici et notorii (2).

4. **Depositio** est *poena ecclesiastica qua clericus in perpetuum privatur usu potestatis tum ordinis, tnm iuridictionis, omnibusque beneficiis nec non omni iure ad beneficia valide possidenda* (3).

5. **Degradatio** est *poena quae clericum perpetuo privat ecclesiastico ministerio, officio et beneficio et ipso fori et canonis privilegio* (4), *ut praeterea brachio saeculari tradatur* (5), *solo remanende charactere ordinis indelebili.*

6. **Privatio sepulturae ecclesiasticae.** Nomine *ecclesiasticae sepulturae*, non tantum locus sacer, verum etiam pulsatio campanarum, missae, aliaque similia in Ecclesia catholica pro defunctis fieri consueta intelliguntur; propterea cui prohibitum unum aut permissum, et alterum permissum aut prohibitum esse censetur (6).

(1) Privatio vocis passivae ita tamen intelligenda « ut eligi quis non possit ad officia honoris et praeminentiae; nam ad munera onerosa eligi poterit, ut ad officium lectoris, sacristae, oeconomi, magistri novitiorum ». Secus enim reus commodum reportare posset ex suo delicto. Cfr. *Thesaur.* P. I, ar. 29, q. III.

(2) Cfr. Lib. I, Decret. tit. VI; *Ferraris*, v. *Lex* ar. 2, n. 25, seqq.

(3) Eadem fere crimina pro decernenda depositione Auctores adducunt, quae alias requiri creduntur pro beneficii privatione. Cfr. *Aichner*, l. c.; *Devoti*, I, sect. IV, § XXIII.

(4) Degradatio non infligitur ex omnibus criminibus,sed tantum ex gravioribus. *Devoti*, l. c. et *Aichner*, l. c.

(5) Hodie ob temporum conditionem mutatam non amplius tradi potest clericum degradatum, curiae saeculari.

(6) *Baruffaldi*, Comm. ad Rit. rom. tit. 34, n. 4. Privatio eccl. sepulturae, praeter censuram excommunicationis est veluti unica

220. Praecipua crimina ob quae contra catholicos haec poena decernitur indicantur in Rit. Rom. tit. « *De exequiis* ».

In casibus tamen quibus excommunicatus notorius aut publicus peccator in mortis articulo resipiscentiae signa dederit dari potest sepultura eccl., vitatis eccl. pompis et solemnitatibus exequiarum (1).

ARTIC. II.

De delictis in specie.

221. Delicta ecclesiastica communia praecipua numerantur: *apostasia*, *haeresis*, *schisma*, *simonia*, *blasphemia*, *periurium*, *sacrilegium* et *sortilegium*.

Propria praelatorum infra alia: *excessus iurisdictionis suae*.

Propria Clericorum: *pravum exercitium ordinum*, et *abusus sacramenti Poenitentiae*.

Propria Religiosorum: *inobservantia votorum*, *apostasia ab ordine*, *perturbatio episcopalis vel parochialis iurisdictionis*.

Delicta civilia sunt v. gr. *homicidium*, *duellum*, *furtum*, *peculatus*, *falsum* etc.

Delicta mixta: *usura*, *adulterium* etc.

Hic sermonem coarctabimus ad mere ecclesiastica; quoad alia ad Theologos remittimus.

222. Delicta propria:

1. **Excessus praelatorum** habetur quum Praelati limites potestatis suae in praeiudicium aliorum et contra leges excedunt. Poenae contra ipsos variae sunt pro casuum varietate (2).

poena proprie dicta qua Ecclesia hodie afficiat laicos, aliae enim poenae temporales eccl. a moribus nimis sunt alienae. Cfr. *Lega*, op. cit. III, n. 181.

(1) Cfr. *Gennari*, Consult. p. 618.

(2) Decret. V, tit. XXXI: *De excessibus Praelatorum* etc. Cfr. *Santi*, op. cit. h. l.

2. **Pravum exercitium Ordinum** (1) ut esset si clericus depositus auderet exercere ordinem a quo deiectus est, vel si excommunicatus aut interdictus actum poneret ordinis sui. In primo casu excommunicandus et si non resipiscat brachio saeculari tradendus; in secundo praeterquam ipso facto irregularis fit est deponendus et privandus omnibus beneficiis. (2).

3. **Abusus sacramenti Poenitentiae** sigillum sacramentale non servando, vel sollicitando ad turpia, vel complicem in peccato turpi absolvendo.

De hoc vide apud Theologos in sacramento de Poenitentia (3)

3. **Inobservantia votorum.** Regulares inobedientes plecti possunt a proprio Abbate excommunicatione (4); matrimonium attentantes incidunt in excommunicationem Episcopis seu Ordinariis reservatam (5); infringentes votum paupertatis privantur voce activa et passiva per biennium et certis in casibus sepultura ecclesiastica (6).

5. **Apostasia a religione.** De apostatis a religione iam egimus.

6. **Perturbatio episcopalis vel parochialis iurisdictionis.** De hac Clem. V (7): « in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione maledictionis aeternae » *regularibus in-*

(1) Exercitium ordinum non est confundendum cum usurpatione potestatis ordinis. Cfr. Decret. V, Tit XXVIII: *De clerico non ordinato ministrante,* ubi decernitur contra clericos poena excommunicationis ferendae sententiae et contra laicos poena gravissima. Utrique autem fiunt irregulares. Et hic consulendae binae constitutiones « *Sacerdos in aeternum* » 22 Apr. 1744 et « *Divinarum* » 2 Aug. *1757 Benedict. XIV.*

(2) Decret. V, XXVII; Cfr. *Santi,* h. l.

(3) Cfr. *Aichner,* op. cit. n. 221; *Lombardi,* III, pag. 108 seqq.; *Munerati,* de sacramento ordinis.

(4) Decr. C. X *De maioritate et obedientia.* Cfr. *Santi,* III, tit. XXXIII.

(5) Const. « *Apost. Sedis* ».

(6) *Lombardi,* III, p. 123.

(7) C. Clem. *De privileg.*; Trid. sess. XXIV, c. 1, De reform.; Const. Pii IX « *Apost. Sedis* ».

terdictis, adiectis gravibus poenis « ne in sermonibus suis ecclesiarum praelatis detrahant; aut etiam retrahant laicos ab ecclesiarum suarum frequentia vel accessu, vel indulgentias pronuncient indiscretas... nec etiam in casibus sedi apostolicae aut locorum Ordinariis reservatis quemcumque absolvere... praesumant »

223. Delicta propria:

I. **Apostasia** a divo Thoma (1) definitur: *defectio seu recessus a Deo.*

Triplex in s. canonibus distinguitur apostasia: 1. *Apostasia a fide* quae patratur quando quis a christiana religione per Baptismum suscepta recedit (2). 2. *Apostasia a religione* cuius rei fiunt qui temerarie recedunt a stato religioso cui per professionem sese obligarunt cum proposito non redeundi et sine intentione ingrediendi alium Ordinem. 3. *Apostasia ab ordine.* Apostata ab ordine dicitur qui in sacris (3) ordinibus constitutus privata auctoritate sacrum ministerium habitumque clericalem dimittit vel matrimonium attentat (4).

Poenae contra *Apostatas a fide* sunt eaedem ac poenae contra haereticos. Const. « *Apostolicae Sedis* » Sub. n. 1 excommunicationum *speciali modo* R. P. *reservatarum* comprehendit: « Omnes a christiana fide apostatas et omnes ac singulos haereticos quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores ».

(1) 2. 2, q. 12, ar I. Et *Halensis*: « Temerarius recessus a statu fidei, obedientiae et religionis ».

(2) In cod. *Theod. leg. 2 de Apost.* Apostatae dicti sunt etiam cathechumeni qui catechesim deserentes ad deorum templa redibant. Cfr. *Lega,* op. cit. l. II, vol. III, n. 325.

(3) Qui minoribus ordinibus insignitus, si beneficium eccl. possideat simulque ad nuptias vel statum laicorum propria auctoritate se conferat derelicto habitu et tonsura, apostata dici potest et beneficio privandus est. Cfr. Const. *Sixti V « Cum sacrosantum »*; *Pirhing,* tit. 9. n. 3.

(4) Cfr. *Schmalz.,* in h t. n. 11 seqq.; *Santi,* op. cit. V, tit. IX; *M. De-Luca,* lib. de delictis et et poenis tit. XIX.

De apostatis a religione iam locuti sumus ubi de religiosis.

Poenae contra *apostatas ab ordine* statutae, sunt:

I. Excommunicatio ferendae sententiae (1); II. excommunicatio latae sententiae si matrimonium de facto contraxerint (2): III. irregularitas; IV. infamia facti; V. amissio omnium privilegiorum clericalium etiam fori et canonis (3).

224. II. **Haeresis** est *error voluntarius pertinax contra veritatem fidei catholicae in homine baptizato qui se christianum profitetur* (4).

Haeresis alia est *interna*, alia *externa*; alia *occulta*, alia *notoria*.

Interna quae mente latet (5).

Externa, quam verbo vel signo eam clare manifestante patefacis.

Occulta est quae paucis nota est.

Notoria quae multis innotescit.

Nunc de poenis ab Ecclesia latis.

(1) Can. 3, Ca. 20, q. 3.

(2) Clem. un. de consang; Const.; « *Apost. Sedis* », n. 1, inter excom. l. s. Episcopis sive Ordinariis reservatas.

(3) Cap. I, de apost. ibiq.

(4) Ea vox, ab *αἱρέω eligo*, electionem significat. Proinde haereticus quasi male *eligens*. Volens namque haereticus adhaerere Christi testimonio et credere vera esse quae ille docuit voluntarie errat in *eligendis mediis* ad hunc finem (electio mediorum est, non finis); scilicet ut testimonio Christi inhaereat eique credat, assentitur non iis quae a Christo reipsa dicta sunt, sed iis quae sua ei mens falso suggerit, tamquam dicta a Christo. Vide *Angelicum* 2, 2, q. XI, a. 1.

(5) *Interna* non est externo foro subiecta in quo criminaliter punit Ecclesia. Bene vero externa et formalis quamvis forsan occulta. Cfr. *Lega*, l. c. n. 330. Unde recte *D' Annibale*, in Const. « *Apost. Sedis* », comm. n. 31: « Illud non interest, cum verbis eam prodidit. utrum aliquis audierit loquentem, an nemo, forte quia nemo praesens erat, si modo praesens exaudire potuisset: nec si eam prodidit facto, quo *facto* eam prodiderit; ut puta si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones (quae soli Deo patent) divinare conatus fuerit per Tabulas semet moventes, vel *Medium* vel *Crisiacos* (*Magnetizatos*) quos vocant.

Praeter excommunicationem, haereticus eisque credens, fautor, receptor, defensor, si notorium sit crimen, fit 1. irregularis (1); 2. fit inhabilis beneficiis obtinendis, obtentisque privatur (sed privatio post sententiam iudicis intelligitur); 3. sepultura christiana caret (2).

225. **Schisma** ex etymologia scissuram seu divisionem ac separationem significat; et *schismatici* dicuntur qui se separant ab unitate universalis Ecclesiae (3). Per se ergo schismatici non sunt haeretici; at nullum schisma est, si diu stet, quod in haeresim non incidat (4).

Poenae in schismaticos sunt: I. Excommunicatio latae sententiae R. P. s. r. contra: « Schismaticos et eos, qui a R. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter e subtrahunt, vel recedunt » (5) inhabilitas et amissio eccl. iurisdictionis.

Si vero schisma coniungitur cum haeresi, eaedem poenae statuuntur quae contra haereticos.

226. **Simonia** est *studiosa voluntas emendi, vel vendendi pro pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali adnexum.*

Simonia dividitur 1. in simoniam *iuri divini* (id est naturali lege prohibitam), et simoniam *iuris humani* (id est humana lege prohibitam). Illa fit emtione, venditione rerum spiritualium. Haec fit emtione et venditione quarumdam rerum temporalium spiritualibus adnexarum, et praeterea aliis actionibus quas Ecclesia prohibuit, quia simoniae periculum, vel speciem praeseferunt.

Simonia 2. alia est *mentalis*, alia *conventionalis*, alia *realis*.

Mentalis est datio, aut promissio rei spiritualis ex oc-

(1) Cap. 2 et et 15 *de haereticis* in 6°.

(2) Cap. 2. *de haeretic.* in 6°.

(3) *Reiffenstuel*, n. 2, de Schism. Consonat. *S. Thomas* 2. 2, q. 39 a. 1. Cfr. *M. De-Luca*, l. c. 145 tit. XXIII.

(4) Can. 26, c. 24, q 3, *Nicolaus Papa*. Cfr. *Lega* l. c. n. 334.

(5) Const. « *Apostolicae Sedis* », n. III.

culta intentione emendi spirituale; vel datio, aut promissio rei spiritualis ex occulta intentione eam vendendi. Dixi *datio*, *promissio*, nam sola voluntas emendi, aut vendendi, quamdiu ex ea non proceditur ad externam dationem vel promissionem, non solet appellari simonia, licet ei simoniae malitia inest, ut voluntati furandi malitia furti.

Conventionalis est cum ea voluntas emendi, vel vendendi, ultro citroque manifestatur *pacto*. Quod si neutra parte coeptum est servari, simonia dicitur *conventionalis* absque addito. Si vero alterutra pars pactum iam exequuta est, vel exequi coepit datione v. gr. rei spiritualis, vel datione pretii temporalis, vel partis pretii, dicitur *conventionalis mixta reali*, vel *semirealis*. Quod si utraque pars pactum emtionis, venditionis, exequuta est, vel exequi coepit, scilicet datum est hinc spirituale, hinc temporale, vel eius pars, simonia est *realis* (1).

Realis igitur est cum et pactum emtionis, venditionis interfuit, et hoc utrinque coeptum est impleri.

Species autem simoniae conventionalis est *confidentialis* quae locum habere dicitur quando quis alteri beneficium procuret ea lege, ut post certum tempus, vel certae conditionis eventum, detur ipsi procuranti, vel alii designato ab ipso ad idem beneficium accessus, vel ingressus, vel regressus, vel alii ex eodem beneficio fructus praestentur.

Confidentiam Pius IV et Pius V (2) severe coërcent. Id paulo fusius explicandum est et apprime definiendum.

227. Nota in primis simoniam confidentialem non committi nisi in beneficiis stricte sumptis. Igitur si quod simile pactum intersit in procurandis cappellaniis, vicariis amovibilibus, beneficiis manualibus (minus proprie vocantur beneficia; haec enim, ut vidimus, ex se perpetua sunt), pensionibus ecclesiasticis, simonia confidentialis non intelligitur.

(1) Cfr. *Piscetta*, II, n. 396.

(2) Bull. « *Romanum Pontificem* » et « *Intolerabilis* ».

Nota iterum ad simoniam confidentialem necesse est ut procurans beneficium reservet sibi, vel alii accessum, vel ingressum, vel regressum *ad idem* beneficium, vel fructus *ex eodem* beneficio. *Ad idem, ex eodem.*

Quare si tibi procuro beneficium A ea lege, ut mihi detur accessus ad beneficium B, vel eo pacto, ut detur nepoti meo pensio ex beneficio C, etsi rem prohibitam facio, (nisi intersit Episcopi auctoritas), non est simonia confidentialis.

228. Dixi *Accessum, ingressum, regressum, pensionem.*

Accedere ad beneficium dicitur is cui beneficium confertur. E. g. Ego patronus beneficii A velim id conferri Tullio nepoti, cui deest aetas. Cum autem oporteat modo aliquem praesentari, praesento te quocum paciscor, ut post tres annos beneficium resignes Tullio. Est *reservatio accessus.*

Ingredi beneficium is dicitur, qui beneficii sibi collati possessionem init. Collatum est mihi beneficium A; sed ante captam possessionem, alio migrandum est per aliquot annos. Resigno illud tibi ea lege ut mihi redeunti resignes. Est *reservatio ingressus.*

Reservat sibi *regressum* is cui beneficium iam possessum dimittit ea lege, ut sibi liceat post certum tempus iterum idem adipisci.

Pensionem reservare is dicitur qui beneficium mihi procurat ea lege, ut eiusdem beneficii fructus, vel eorum paralii praestetur. Itaque nisi aliquid horum reservetur, simonia confidentialis non est. Si v. gr. tibi beneficium procuraverim ea lege ut mihi vel Caio ius sit quotannis missam certis diebus canere, confidentia non intelligitur.

229. Nota tertio: illud non interest quo actu (modo sit aliunde validus) beneficium procures, praesentando, conferendo eligendo, renunciando, etc., excepta permutatione.

Dixi *modo sit aliunde validus*: nam cessat simonia confidentialis, cessant poenae, si actus quo mihi beneficium procuras, aliunde invalidus sit; e. g. si illud mihi resignes inscio Episcopo. Cum enim sine Episcopi auctoritate nulla

sit resignatio, non videris mihi beneficium *vere procurare*. Idem dic de praesentatione, vel electione aliunde invalidis.

Dixi *excepta permutatione*; nam simoniae confidentialis rei non sunt *permutantes inter se beneficium*, si quid praedictorum sibi reservaverint. Ratio est quod in Bullis Pii IV et Pii V sermo est de eo qui procurat beneficium *conferendo*, vel *resignando*, *renunciando*, *cedendo*, etc. Porro sub nomine resignationis, renunciationis, cessionis, vulgo non intelligitur permutatio.

Praeterea: Piana lex eo spectat, ne beneficia quasi hereditario iure transmittantur, quod potissimum locum habet cum ea resignantur in favorem tertii.

230. Nota quarto: de eo qui beneficium mihi procurat ea lege, ut *sibi* pensio ex eiusdem beneficii fructibus praestetur, lis est an simoniam confidentialem contrahat. Ratio dubitandi: Pius V cum loquitur de accessu, vel ingressu, vel regressu eum poenis coërcet qui haec reservaverit sibi, vel aliis; cum vero de pensione, vel fructibus loquitur coërcet pactionem vi cuius fructus, vel pars eorum alii, vel aliis praestentur.

Verisimile est *alii* vel *aliis* ita intelligi: alii vel aliis quam recipiens beneficium: is enim est subiectum sermonis Qua interpretatione verba referuntur quoque ad procurantem. Sane Pius V innovavit legem Pii IV, qui expresse loquitur etiam de eo qui *sibi* pensionem reservat.

Res clarius patebit si prae oculis habeas textum Pii V. « Statuimus ut si quis, quacumque auctoritate, Ecclesiam, vel monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personae simpliciter, aut cum circuitu retro cessionis cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut *illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem*, haec confidentia censeatur. Itidem si Ordinarius, vel alius collator contulerit antehac,

aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione tacita, vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscumque contra iuris communis ordinationem disponatur, sive *ut de eo provisus fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat et remittat seu pensionem illi, vel illis quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significaverit persolvat,* et pariter si a patrono etiam laico, vel altero praesentatore, seu electore contigerit, vel contingant haec fieri etc. »

231. In priore periodo piguit prolixiore locutione repetere eidem dimittenti, vel alteri etc. Reipsa si beneficium ex resignatione assecutus eius fructus, vel eorum partem do resignanti, *alii* do. Praeterea nota verba quae sequuntur: *sive ut de eo* (beneficio) *provisus, fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, aut remittat, seu pensionem illi vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius iusserit....* etc. Iamvero qui pensionem solvit ei qui beneficium resignavit, dimisit, nonne fructus, vel partem fructuum remittit ad utilitatem cedentis? Nihilominus res est controversa. Lessius negat simoniam committere eum qui pensionem reservat sibi, et Pianam Constitutionem non aliter usu receptam esse opinatur.

232. Praeterea prohibentur Episcopi eorumque ministri in conferendis ordinibus aliquid vel sponte oblatum accipere pro literis dimissoriis, aut testimonialibus nec pro sigillo, nec alio praetextu quovis (1).

Excipe Notarios, queis nullum stipendium constitutum sit. Hi pro literis dimissoriis, vel testimonialibus licite accipiunt modo ex eorum commodis nullum emolumentum in collatione ordinum Episcopo provenire possit. At si post ordinationem et chartas acceptas, ordinatus omnino libere

(1) Trid. sess. 21, De reform., c. 1.

aliquid dare voluerit accipi potest, ut legitur Caus. 1, q. II, c. 4. « Si autem qui ordinatus fuerit, non ex placito (pacto) neque exactus, neque petitus post acceptas chartas et pallium, aliquid cuilibet ex clero, (grati animi) tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus ».

233. Praeterea nefas est quidvis accipere in dispensationibus a lege canonica concedendis (1).

Denique de examinatoribus in concursu ad paroeciam, ita Tridentina Synodus: « Caveant ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ante nec post accipiant: alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrunt, a qua absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur » (2). At beneficia, quae antea obtinebant, non amittunt ante sententiam iudicis (3).

Ceterum legibus Ecclesiasticis sicut in aliis, ita et in hac re consuetudine legitima derogari potest (4).

234. Praeterea est simonia iuris divini promittere vel dare, exigere vel accipere aliquid temporale pro ingressu Religionis sive ingressu in Novitiatum, sive stricte pro ipsa professione, sive pro admissione in Novitiatum aut ad Professionem (5).

Licitum tamen est et non simoniacum ab ingressis vel ingressuris Religionem aliquid temporale non tantum accipere sponte oblatum, sed etiam de eo pacisci *titulo sustentationis* si monasterium est inops, et *titulo dotis* licet sit dives et probe fundatum vel dotatum (6).

(1) Trid. sess 25, De reform., c. 18

(2) Trid. sess 24. De reform., c. 18

(3) Cfr. *S. Alph.* lib. 3, 4, 112.

(4) *Fiscetta* II, n. 445 seqq.

(5) CC. 8, 19, 25, 40,41; Extrav. *sane* I int. comm. h. t.

(6) *s. Thomas*, 3, 2, q. 100, a. 3 ad 4; *Suarez*, l. 4, de Simon. C. 17 n. 18. Cfr. *M. De-Luca*, l. c. tit. XXIX.

235. Pretium simoniacum est quodvis temporale commodum quod praestatur, vel promittitur, aut exigitur, vel ceu motivum inducens obligationem dandi spiritualia, vel ceu debitum ob spiritualium dationem.

Et cap. 114, caus. 1, q. 1, triplex distinguitur: *munus a manu*, *munus a lingua*, *munus ab obsequio*.

Munus a manu est pecunia et res quae pecunia emi solent, v. gr. domus, ager, triticum, vel eorum usus: remissio debiti, eiusque dilatio, datio mutui, et alia sexcenta.

Munus a lingua est favor voce, scriptisve praestitus: v. gr. laudare, commendare, intercedere pro aliquo, defendere excusare: detrahere aemulis, vel inimicis.

Munus ab obsequio est quodvis aliud officium, ut docere filium, custodire domum, hortum etc., curare aegrotum, famulari, bona administrare (1).

236. Ad poenas (2) quod attinet, notandum est eis non subesse simoniam mentalem, neque conventionalem, neque semirealem (excepta confidentiali), sed solam realem. Sed neque omnis realis simonia poenis coërcetur; nam latae sententiae poenae eam attingunt, quae fit in ingressu religionis et in beneficiis conferendis, id est in eorum praesentatione, electione, institutione, collatione.

237. Itaque in reos *simoniae realis in ingressu religionis*, et in reos *simoniae confidentialis*, et in reos *simoniae realis in beneficiis*, lata est excommunicatio Romano Pontifici reservata.

Reus simoniae confidentialis et amittit beneficia antea obtenta (nempe post sententiam iudicis. Vide S. Alph., lib. 3, n. 142), et (item post sententiam, probabiliter) fit inhabilis ad alia beneficia in posterum obtinenda. Dixi post sententiam iudicis; nam eatenus solum receptae sunt Constitutiones Pii IV et Pii V.

(1) Cfr. *Piscetta*, II, n. 440.

(2) Praeter poenas veri nominis agimus hic et de restitutione acceptorum simoniace, quae minus proprie poena est.

Nota in beneficiis conferendis interesse posse simoniam realem et simoniam confidentialem.

Realis simoniae nomine venit emtio, venditio beneficii, utrinque completa. *Emtio, venditio*; nam haec sola est simonia veri nominis; aliae pactiones quae emtionem, venditionem seu commutationem beneficii pro re temporali non continent, lata solummodo significatione simonia vocantur. *Utrinque completa*; id est hinc beneficio procurato, hinc dato pretio.

Simonia *confidentialis* in eo a reali differt 1. quod non est commutatio beneficii pro pretio temporali; cum potius hinc detur beneficium, hinc idem beneficium diverso tempore restituatur; 2. opus non est pacto utrinque impleto. Statim enim ut beneficium procurasti reservato accessu, vel ingressu etc., simonia perfecta intelligitur et poenis subest.

238. Deinde, in poenam simoniae, cautum est ut quaevis collatio simoniaca beneficii sit ipso iure nulla: et provisus de eo non modo teneatur illud restituere cum eius fructibus, sed inhabilis fiat ad idem beneficium ea vice obtinendum. *Ea vice*; non si postquam alii collatum fuerit, iterum vacaverit. Quae valent sive de simonia confidentiali, sive de simonia *reali* (1).

Ad confidentialem quod attinet videri possunt Constitutiones Pii IV et Pii V (Septimo Decret., lib. 1, tit. 10. *De beneficiorum collatione et impetratione*, cap. XI).

Ad simoniam quamcumque quod attinet, ita Paulus II, an. 1464, cap. 2, *de Simonia in extravag. comm.*: « Per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, et quae viribus omnino careant in Ecclesiis, mona-

(1) Nondum dato pretio, collatio valet et ex ea fructus facis tuos. Dato pretio vel eius parte, collatio irrita fit. Quae irritatio in foro externo retrotrahitur adeo ut antea perceptos fructus restituere debeas. *Piscetta*, II, ad num. 465.

(2) Cfr. *Piscetta*, II n. 463 et seqq.

steriis, dignitatibus, personatibus, officiis ecclesiasticis, et quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quae percepit restitutionem sub animae suae periculo sit adstrictus ». Cfr. quoque c. 27, *de Sim.* et cap. 59, quae valent, etsi simonia (admissa ab eo qui beneficium obtinuit) occulta sit (1).

239. V. **Blasphemia** est *locutio contumeliosa in Deum.* Blasphemia alia est *interna* alia *externa*, alia est *haereticalis*, alia *simplex*, alia *directa* alia *indirecta* (2).

Poenae in blasphemos olim gravissimae fuerunt (3); hodie attendendae variae locorum legitimae consuetudines.

240. VI. **Periurium** proprie est *iuramentum veritate destitutum.* Potest ergo esse *assertorium* et *promissorium* ut et iuramentum.

Poenae contra periuros comminatae hae praecipuae:

1) infamia iuris (4), 2) privatio beneficiorum (5), 3) inhabilitas ad testimonium ferendum (6).

241. VII. **Sacrilegium** definiri solet: *Rei sacrae violatio.* Sacrilegium dividitur in *personale*, *reale*, *locale.*

Personale est violatio personae sacrae; *locale* violatio loci sacri: *reale* violatio rei sacrae quae neque persona, neque locus sit (7).

Poenae quibus sacrilegi plectuntur, ex parte in ipso iure sunt constitutae (8) et ex parte prudenti arbitrio iudicis infligendae committuntur (9).

(1) *Piscetta,* op. cit. vol. II, n. 363 et seqq.

(2) Ex iure civili videntur fuisse usque ad ultimum supplicium. *Novel.* 77 in fine. Ex iure can. publica poenitentia ante Ecclesiae fores, ieiunium, multa. Cfr. Decret. Tit. XXVI *De Maledicis.*

(3) Can. 7, Ca 22, q. 5.

(4) C. 11 *de iureiur.*

(5) C. 54 *de Test.*

(6) *Piscetta* l. c. n. 371 seqq.

(7) C. 1, 9, 12 X de test.; *Thomass.*, l. c. P. III, l. II, c. 38 et seqq.

(8) Cfr. Trid. sess. XXII, c. 11 de ref.; Const. Pii IX « *Apost. Sedis* » nn. II. V, VII, XI XII.

(9) Cfr. *M. De-Luca,* l. c. tit XXVIII: *Lombardi,* III, p. 89.

242. VIII. **Sortilegium** est *divinatio per sortes aut falsa signa, ad futura, vel occulta cognoscenda*; sed late sumptum omnem superstitionem, et divinationem et magiam comprehendit (1).

Contra sortilegium gravissimae minantur poenae, uti est infamia, in laicis olim excommunicatio, in clericis depositio, et privatio beneficiorum; sed delinquentes gravioribus adhuc plectendi sunt poenis uti degradatione et traditione curiae saeculari (2).

(1) *Piscetta*, l. c. n. 245 seqq.

(2) Cfr. Bul. « *Inescrutabili* » Urbani VIII et Bul. « *Omnipotentis* » Gregorii XV. Cfr. *Giraldi* ad tit. *de sortil.*; *Ios. Ferrari*, tit. XXIV, n. 265.

ALLEGATUM I

I.

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS super Statu Regularium auctoritate SS. Domini Nostri Pii PP. IX editum de Testimonialibus Ordinariorum Litteris requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant (1).

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium Familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum Postulantes reciperent, de illorum vita, moribus, ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi a locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim v pastoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent.

Haec animadvertens SS.mus D. N. Pius PP. IX, audito voto S. R. E. Cardinalium huius Sacrae Congregationis super Statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti Decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit:

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari

(1) Hoc Decretum est universaliter legendum in publica mensa die prima Ianuarii.

privilegio etiam in corpore iuris clauso (1), vel alio quovis titulo in Decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque Testimonialibus tum Ordinarii originis tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis Litteris Testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse huiusmodi Testimoniales Litteras denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

III. Omnibus et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cuiuscumque gradus sint, et instituti, licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius Decreti observantia districtae praecipitur: et qui contra huius Decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et Constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede, aliquis Ordo, Institutum, Superior Religiosus consequeretur, numquam huic Decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, li-

(1) Privilegium in corpore iuris clausum dicitur illud quod ex iure Decretalium derivat. Hunc modum loquendi, nimirum *in corpore Iuris clausum*, et *extra corpus Iuris*, induxerunt Doctores, post confectum Corpus Decretalium, ad distinguendum illud ius quod in Decretalibus reperitur, ab illo, quod statutum est in Constitutionibus RR. Pontificum, quae utpote non insertae in Decretalium collectione, dicebantur *extra vagantes*, V. Acta S. Sedis, Vol. I. pag. 209.

cet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem Decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno die prima Ianuarii in publica mensa hoc Decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem huius Decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac Decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 25 ianuarii 1848.

ANDREAS *Can.* BIZZARRI

A Secretis.

II.

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS super Statu Regularium auctoritate SS. Domini N. Pii PP. IX. editum de receptione Novitiorum ad habitum et professionem (1).

Regulari disciplinae instaurandae, ubi collapsa fuerit, vel servandae ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis Novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti, morum honestate, ceterisque dotibus praediti Religionem ingredi-

(1) Hoc alterum Decretum pro Italis tantum confectum legendum est in publica mensa die prima Ianuarii et Dominica prima Iulii.

untur cupientes Deo inservire, mundi pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad praescriptum Instituti, quod profitentur, consulere. Ex Novitiis enim Religionis bonum, vel malum prorsus pendet: quandoquidem hi sunt Religiosum semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt. Quapropter Romani Pontifices et praesertim Sixtus V (1), Clemens VIII (2), Innocentius X (3), et Innocentius XII (4), saluberrima edidere Decreta, quibus leges in admittendis Novitiis servandae constituebantur. Cum igitur SS. D. N. Pius PP. IX ab ipsis Pontificatus sui primordiis pastoralis vigilantiae studia convertenda esse duxerit ad Religiosarum Familiarum disciplinam totis viribus promovendam, Praedecessorum suorum vestigia sectando certam stabilemque legem constituendam esse existimavit, quae in admittendis Novitiis ad habitum et professionem servari omnino deberet. Re igitur demandata S. R. E. Cardinalibus huius S. Congregationis de Statu Regularium a Sanctitate Sua institutae, Eminentissimis Patribus universa rei ratione sedulo diligenterque perpensa, necessarium visum est in admissione Novitiorum ad habitum et professionem partes concedendas esse nedum inferioribus Praelatis, et Superioribus generalibus, verum etiam nonnullis aliis Religiosis viris probatae vitae, regularis disciplinae zelo ferventibus, consilio et gravitate praestantibus, ut eorum, qui Religiosae Familiae nomen daturi sint, indolem, ingenium, mores, ceterasque necessarias dotes accurate explorent, et sedulo investigent, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur, et eos tantum probent, quos secundum Deum idoneos esse revera constiterit. Sententiae Sacrae Congregationis Sanctissimus in Christo Pater inhaerens ea, quae sequuntur, pro Italia, et Insulis adiacentis hoc perpetuis futuris temporibus valituro Decreto apostolica Sua auctoritate statuit, atque decernit.

(1) Const. *Cum de omnibus* anni 1587.
(2) Decr. cui initium *Sanctissimus in Christo Pater* diei 19 Maii 1602.
(3) Instr. *Ad Propagandam* diei 5 Novembris 1654.
(4) Decr. *Sanctissimus in Christo Pater* diei 18 Iulii 1695.

PARS PRIMA DECRETI.

De lege servanda in probandis iis qui ad habitum religiosum admitti postulant.

1. Qui duplici scrutinio iuxta modum inferius exprimendum probatus non fuerit, ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel alio quovis titulo, in Decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat.

II. In qualibet Provincia habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii idonei Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate ac zelo disciplinae regularis praediti, a Capitulo seu Congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen ut si in Provincia sint Definitores, vel Consultores, vel Assistentes, vel alii, quocumque appellentur nomine, Consiliarii provinciales, quo ex ipsis in Examinatores deligantur. Examinatores in praefato munere usque ad novum Provincialem capitulum seu Congregationem perdurabunt.

III. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta, et requisita ad praescriptum SS. Canonum, Costitutionum Apostolicarum, Decretorum SS. Congregationum, ac Statutorum Ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus ac etiam an amore perfectioris vitae, et Deo liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta et informationes tradat saltem tribus ex Provincialibus Examinatoribus, exclusis iis, qui Postulanti sint consanguinei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die Provincialis cum delectis ab ipso Examinatoribus conveniet, et postquam ipse, et alii Examinatores iuraverint, ad

Sancta Dei Evangelia, *se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros*, Postulantem examinent, eoqu eab examinis loco demisso, eius documenta, qualitates, et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suffragia iudicent an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus Provincialis, et aliorum Examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si Postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen, et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis, et unusquisque ex Examinatoribus manu propria subscribet declarando etiam sese omnia requisita a SS. Canonibus, Constitutionibus et Decretis Apostolicis et Regulis, et Satutis respectivi Ordinis praescripta debito modo examinasse; huiusmodi vero relationem examinis, et scrutinii, et respectivam declarationem iureiurando confirment. Quibus peractis, Provincialis praefatam relationem, et declarationem una cum authenticis documentis ad Superiorem generalem, vel ad Procuratorem generalem, prout in artic. XI explicabitur, transmittet. Ne autem huius Decreti executio differatur usque ad celebrationem proximi Capituli vel Congregationis Provincialis, interim Examinatores Provinciales eligantur per secreta suffragia a Provinciali una cum suis Definitoribus, vel Assistentibus, vel aliis Consiliariis Provincialibus; et si huiusmodi Definitores, Assistentes, Consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati desint, eiusdem Provinciae ab eodem Provinciali deputandis.

IV. In Ordinibus, aliisque institutis, in quibus Provinciales non exstunt, vel Provincialia Capitula seu Congregationes non celebrantur, Examinatores, pro unaquaque domo Novitiatus eligantur iuxta superius praescriptam methodum a Capitulo, Dieta, seu Congregatione generali et Superior eiusdem Domus loco Provincialis habeatur, cuius erit convocare Examinatores, et alia peragere, quae in artic. III statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem Religiosorum numerum contingere possit, ut septem Examinatores eligi minime valeat, Examinatores numero minores, non tamen citra quatuor, eligi poterunt. Si autem huiusmodi Capitula, Dietae, et Congregationes Generales statim non convocentur, interim electio Examinatorum fiat iuxta modum in articulo V designandum.

V. Si Institutum constet aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, vel Domo, nec in Congregationem erectum sit, et Capitulum, Dietam, Congregationem generalem minime habeat, Examinatores capitulariter per secreta suffragia a Superiore et Capitularibus eiusdem Monasterii, Conventus, vel Domus eligantur; et quoad eorum numerum serventur, quae in articulo IV definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent.

VI. Praeter memoratos Examinatores Provinciales in quolibet Ordine, Congregatione, Societate, Instituto alii septem Examinatores generales constituantur, qui tamen ad quatuor reduci poterunt in iis Ordinibus, et Institutis, in quibus ob pauciorem Religiosorum numerum septem haberi nequeant. Hi ex gravioribus, et prudentioribus Religiosis viris probatae vitae, ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta suffragia in Capitulo, Dieta, vel Congregatione generali eligentur, ita tamen ut si agatur de Ordine, in quo sint Definitores, Assistentes, Consultores, Visitatores, vel alii Consiliarii generales, duo ex ipsis in Examinatores deputentur. Examinatores generales in officio usque ad futurum Capitulum, Dietam, vel Congregationem generalem perdurabunt. Superior generalis erit praeses cum suffragio in consilio Examinatorum; et Procurator generalis uti Examinator natus praeter electos habendus erit.

VII. Examinatores generales in intervallo quod intercedet a data huius Decreti usque ad celebrationem proximi Capituli, Dietae. vel Congregationis generalis eligantur per secreta suffragia a Superiore generali una cum saltem tribus Religiosis graduatis seu gravioribus Ordinis ab eodem Generali Superiore deputandis, et deligendis ex Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, vel Consultoribus generalibus si adsint.

VIII. Si agatur de Instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, Domo, nec in congregationem erecto, et praeter localem, alius maior Superior non habeatur, Superior localis probum et idoneum deputet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. III perficiat cum Examinatoribus electis iuxta art. V, et ipse Superior localis cum iis Capitularibus eiusdem Domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum in articulo X praescribendum exequetur.

IX Quod vero attinet ad Ordines, et Instituta, quae licet

in Congregationem, et Societatem erecta sint, tamen in iis Capitula, Dietae, et Congregationes generales vel non celebrantur, vel raro convocantur, in iisdem Ordinibus, et Institutis auctoritas, quae Capitulis, Dietis, et Congregationibus generalibus circa electionem Examinatorum superius attributa est, conceditur Superiori generali cum Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, Consultoribus, aliisque, quocumque nomine appellentur, Consiliariis generalibus, ita tamen ut si Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non sint saltem quatuor, Superior generalis alios graves et idoneos Religiosos eis adiungat ad enunciatum saltem numerum constituendum: quae Religiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat si in Ordine, et Instituto Definitores, Asssistentes, aliique Consiliarii generales non reperiantur. Quibus in casibus electio Examinatorum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos Definitores, Assistentes vel alios Consiliarios generales inter Examinatores adnumerare.

X. Cum autem Superior generalis relationem examinis et scrutinii, ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum art. III receperit, ipse omnia accurate percurrat, ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investigando num tenor huius Decreti servatus fuerit, et an adversus Candidatum et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis Superior generalis praefatam relationem, declarationem, et documenta ac requisita tradat Procuratori generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus generalibus, qui cum Candidato nullo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo coniuncti sint; et quatenus Procurator generalis, non adsit, tribus saltem Examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant iuxta modum in art. III designatum. Postea vero indicto die conveniant, et praestito tam a Superiori generali quam a Procuratore generali et ceteris examinatoribus, ut supra, iuramento, reque mature perpensa, per secreta suffragia definiant an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super quibus omnibus conscientia Superioris generalis, et Examinatorum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata intelligatur, quando eius favore saltem unum suffragium supra medietatem habeatur.

XI. Si Superior generalis Romae non resideat, acta, de qui-

bus in articulo III, ad Procuratorem generalem Romae morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum est secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices Superioris generalis gerat. Quod si Examinatores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint, eadem acta ad Superiorem generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat quae in art. III statuta sunt.

XII. Superior generalis, sive ipse, sive Procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit Candidatum ex iustis et rationabilibus causis reiicere, licet fuerit ab Examinatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus.

XIII. Ut vero Candidatus definitive ad habitum recipiatur praeter praescriptam legem et formam cui omnes omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt, quae a Constitutionibus et Statutis respectivi Ordinis circa receptionem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte dumtaxat, quae huic Decreto non opponitur.

XIV. Superiores quolibet semestri ad hanc Sacram Congregationem super Statu Regularium summarie referant de singulis Novitiis ad habitum receptis, de uniuscuiusque aetate, patria, aliisque qualitatibus, respectivis documentis, nec non de actis confectis pro receptione, deque observatione huius Decreti.

PARS SECUNDA DECRETI.

De lege servanda in admittendis Novitiis ad Professionem.

I. Quicumque ex Religiosis et Novitiis alicuius Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, de quibus part. I Decret., art. I, cognoverit Novitium sui Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum et defectum Superiori Conventus Novitiatus, vel Provinciali, vel Supe-

riori generali manifestare teneantur. Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant.

II. Prope terminum cuiusque trimestris Novitiatus Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cuiusque Novitii scripto referat.

III. Duobus mensibus ante professionem Provincialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum Novitii voluntatem diligenter exploret an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi, et regulae agnoscat: decreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios, nec non Religiosos etiam Conversos Conventus seu Domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto Capitulo Conventuale eiusdem Conventus, seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

IV. Huiusmodi relationem Provincialis tribus saltem Examinatoribus Provincialibus, communicet; et condicto die convocet praefatos Examinatores et Novitiorum Magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato iuramento, Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino existimet Novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque iuramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et Examinatores per secreta suffragia definiant an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

V. Si Novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino iudicaverit, quin tamen unquam permittere possit professionem Novitii, qui ab Examinatoribus provincialibus reprobatus fuerit.

VI. In iis Institutis, in quibus Provinciales non existunt,

sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus.

VII. Si quid ulterius exigant Constitutiones et regulae alicuius Ordinis et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori huius Decreti minime contraria sit.

Ut autem suprascriptum Decretum quoad utramque eius partem executioni omnino demandetur, Sanctitas Sua omnibus ad quos spectat etiam in virtute sanctae obedientiae districte praecipit plenam illius observantiam, et quemlibet Superiorem cuiuscumque gradus sit, et Instituti quantumvis exempti, et privilegiati etiam de necessitate exprimendi qui non servata huius Decreti forma Novitium ad habitum, vel professionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda plane subiicit, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis Superioribus idem Decretum quolibet anno in omnibus Monasteriis, Conventibus, Collegiis et Domibus die prima Ianuarii, et Dominica prima Iulii in publica mensa legi sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda. Decernit insuper vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et Constitutionum etiam in forma specifica quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic Decretum derogatum esse censeri, nisi ei expresse, et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur: quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem Decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi posse vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua ne huius Decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis et statutis cuiusvis Ordinis Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac Decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque Apostolica auctoritate prorsus derogat et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 25 Ianuarii 1848.

ADREAS *Can.* BIZZARRI
A Secretis.

NOTA. — *Ex huiusmodi duorum Decretorum tenore clare pate quod primum obligat universaliter, et est legendum ad publicam mensam quolibet anno in singulis Domibus Religiosis die prima Ianuarii; alterum vero obligat tantum pro Italia et Insulis adiacentibus, et bis legendum in anno, scilicet die prima Ianuari et Dominica prima mensis Iulii, absque tamen Declarationibus, quae sequuntur.*

DECLARATIONES

A SS. Domino N. Pio PP. IX approbatae ad Decreta incipientia « Romani Pontifices » et « Regulari Disciplinae » a S. Congregatione super Statu Regularium edita die 25 Ianuarii 1848.

I.

Declarationes super Decreto « Romani Pontifices » ubique locorum servando.

1. An sufficiant Testimoniales datae ab Ordinariis per litteras privatas?

Resp. Affirmative.

2. Utrum sufficiant Testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in Decreto *Romani Pontifices* praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus Postulantis?

Resp. Ad 2. Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas qualitates Postulantium cognoscendas.

3. Quid agendum si Ordinarii respondeant se Postulantes non agnoscere?

Resp. Posse postulantes admitti ad habitum et Novitiatum si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen Testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure serbanda; et Postulantes antequam ad habitum admittantur maneant saltem per tres menses in Conventu, ibique diligenter probentur.

4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis Postulantem, absque Litteris Testimonialibus Ordinarii quando hic affirmat non posse eas dare quia prohibitus ab auctoritate civili?

Resp. Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas: sed si Ordinarius a Superiore requisitus Testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo Testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem.

5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse informare cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec Parochi ullam de his notitiam habere possint?

Resp. Affirmative si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo Testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum saltem per tres menses maneant in Conventu, ibique diligenter probentur.

6. Quid agendum sit quando Ordinarii nolunt dare Litteras Testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui Postulantis in Religionem?

Resp. Ordinarios, prout in art. II Decreti *Romani Pontifices* praescribitur, non posse Testimoniales Litteras denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad Sacram congregationem super Statu Regularium.

7. In his Ordinibus, in quibus praeter Conversos laicos habentur Donati seu Oblati, an Testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum vel potius Conversorum?

Resp. Ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum.

8. An sit nulla susceptio habitus sine Litteris Testimonialibus?

Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: Testimoniales Litteras omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad Professionem admitti minime poterunt.

9. Utrum sit invalida Professio si fiat omissis Testimonialibus Litteris?

Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

II.

Declarationes super Decreto « Regulari Disciplinae » in Italia et Insulis adiacentibus servando.

1. Si Superior Generalis alicuius Ordinis, in quo provinciales non habeantur, sit eodem tempore Superior Conventus, seu Domus Novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse in perficiendo primo scrutinio?

Resp. Superior Generalis deputet ad effectum, de quo agitur, probum et idoneum Religiosum, et una cum praescriptis Examinatoribus primum scrutinium perficiat.

2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque causa numerus Examinatorum provincialium, vel generalium in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli, vel Dietae advenerit, quomodo ad eorumdem Examinatorum electionem procedendum erit?

Resp. Servetur methodus in Decreto *Regulari Disciplinae* (art. III et IV in fine, et art. VII *primae partis*) praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erant statim post latum idem Decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli, vel Dietae: Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Dietae. Quae methodus etiam servetur quando ex S. Sedis dispensatione Capitula, vel Dietae non celebrantur, et electio Superiorum per Decretum S. Sedis, vel per schedas fiat.

3. In aliquibus Institutis Capitula provincialis ordinarie celebrantur prope finem triennii, et in praeparationem Capituli generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo

hoc in casu ad electionem Examinatorum provincialium procedendum erit?

Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a Capitulo provinciali licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis. Quod si aliqua vice Capitulum provinciale non convocetur, electio ad Consultam provincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

4. An ad officium Examinatorum sive generalium sive provincialium, ita duo Definitores, vel Assistentes, vel Consultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii Examinatores ex reliquis Definitoribus, Assistentibus, Consultoribus eligi nequeant?

Resp. Negative.

5. Utrum in Ordinibus, et Congregationibus, quae licet habeant Capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem Examinatores, vel quatuor tantum sufficiant?

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea Decreti interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes ad quos pertinet, in Ordinibus tam amplis, quam exiguis sufficere tres Examinatores provinciales, praeter Superiorem provincialem ad primum scrutinium; et tres Examinatores generales praeter Superiorem generalem ad secundum scrutinium peragendum, et alios Examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse.

6. In articulo III *primae partis* Decreti *Regulari disciplinae* praescribitur, ut Postulantes accedere debeant ad locum primi scrutinii, ut ab Examinatoribus provincialibus personali examini subiiciantur. Saepe saepius accidit, ut huiusmodi examen personale absque notabili incommodo Postulantium fieri nequeat sive ob expensas sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli Superiores Regulares expostularunt, quomodo in huiusmodi casibus sese gerere debeant?

Resp. Provincialis (et in Institutis, in quibus Provincialis non existit, is qui eius partes iuxta Decretum adimplere debet) cum tribus Examinatoribus, ad peragendum examen personale Postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam Postulantem ab accessu personali dispensare iudicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem in Domino idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco, ubi Conventus Ordinis reperitur; secus aliquam personam eccle-

siasticam sive ex Clero saeculari, sive ex Clero regulari, dummodo Episcopus loci, vel eius Vicarius generalis eam idoneam iudicaverit transmissa Examinatori deputato instructione circa ea super quibus Postulans examinandus erit (1). Verum Religiosus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata transmittere teneatur relationem examinis ab ipso vel ab ipsa subscriptam iuramento firmatam, *quo profiteatur sese fideliter munus suum adimplevisse quacumque affectione postposita.* Quibus peractis Provincialis dictam relationem tribus Examinatoribus exhibere debeat: ut scrutinium, de quo in eodem art. III Decreti, in reliquis perficiatur, et cetera omnia, quae in Decretis praescribuntur, omnino serventur.

7. Nonnulli Examinatores nimis anxii sunt in praestando iuramento, quo declarare debent *se omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et Decretis Apostolicis* praescripta *debito modo examinasse* cum non omnes tuto scire possint quaenam sint omnia huiusmodi requisita; expostularunt propterea ut a S. Congregatione super praemissis Instructio detur; qua tuto procedi possit.

Resp. Iuramentum quoad requisita, et Examen qualitatum referri dumtaxat ad requisita et qualitates *expresse* et *speciatim* praescriptas in Constitutione Sixti V incipiens. *Cum de omnibus* cum moderatione Gregorii XIV, et in Decreto Clementis VIII cui initium *Cum ad regularem disciplinam*, nec non in Regulis et Constitutionibus respectivi Ordinis, seu Instituti. Et iuramento satisfieri si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis et timoratae conscientiae adhiberi solet.

8. An Decretum *Regulari Disciplinae* vim habeat in Sabaudia?

Resp. Affirmative.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 1 Maii 1851.

9. Quaeritur an sit nulla, vel tantum illicita Professio facta non servata *prius* forma Decreti *Regulari Disciplinae?*

Resp. Esse tantum illicitam, non vero nullam (Declaratio eiusdem S. C. die 16 Ianuarii 1852).

ANDREAS BIZZARRI *Proton. Apost.*
A Secretis.

(1) V. huiusmodi Instructionem inferius positam ad commoditatem Examinatorum.

INSTRUCTIO

Pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant, sive examen ipsum fiat ab Examinatoribus provincialibus iuxta art. III Primae Partis Decreti « Regulari Disciplinae », sive ab Examinatore deputato iuxta declarationem ad dubium 6 eiusdem Decreti.

1. Examinatores provinciales seu Examinator deputatus, interrogent Postulantem de eius nomine, parentibus, patria et aetate. Diligenter Postulantis voluntatem explorent, et praesertim an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum, quae deinceps emittere debet.

2. Si recipiendus uti Clericus religionem ingredi postulet, inquirant Examinatores, vel Examinator an eam litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut Minores, et suis temporibus Maiores Ordines iuxta Decreta S. Conc. Tridentini suscipere valeat. Quod si agatur de admittendis ad habitum Conversorum, an saltem praecipua Doctrinae Chistianae capita noverint. Quoad omnes vero, et praesertim relate ad Postulantes provectioris aetatis, Examinatores, vel Examinator sagacius sed prudenter curent subodorari si recte de Catholica Doctrina sentiant, prout conditio cuiusque personae postulet.

3. Exquirant a Postulante utrum eius Parentes, vel alter eorum adhuc vivat, quam artem et professionem exerceant, vel exercuerint, et an adeo pauperes sint, ut filii subsidio indigeant.

4. Exquirant etiam a Postulante eius conditionem et statum, an habeat in saeculo media sufficienti sustentationis; si sit aere alieno gravatus; an, et quam artem, vel professionem exerceat; an alicui Religioso Instituto nomem dederit, vel saltem uti Novitius illius habitum induerit, vel Eremitarum habitum susceperit; utrum fuerit inquisitus, aliqua nota, infamia, irregularitate irretitus, gravi morbo affectus.

5. Videant an Postulans notabili deformitate laboret; utrum

aliquod signum valde infirmae valetudinis, vel fatuitatem praeseferat; et cetera exquirant, quae in respectivis Constitutionibus ab admittendis ad habitum in eorum personali examine exquirenda praescribuntur.

6. Verum licet ex huiusmodi personali examine, si diligenter fiat, plura agnosci possint, et in scrutinio, de quo in art. III Primae Partis Decreti *Regulari Disciplinae*, de eodem personali examine ratio omnino habenda sit, tamen praeter illud a Provinciali exquirenda sunt Documenta, et informationes prout in eodem art. III praescribitur, et reliqua omnia perficienda, quae in enunciatis Decretis cum suis Declarationibus decernuntur.

ALLEGATUM II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

SS. D. N. Leonis PP. XIII De religiosorum Institutis vota simplicia profitentium.

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio: aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eae quippe unâ inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari

ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eâdem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est; alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam

quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum curâ atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat: eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis

ferendis praeerit; peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum; integrâ tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa, (1) ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula*, et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi; item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

(1) Sess. XXV, cap. XVII, de Regul. et Monial.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali*, utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem*, a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae*, a Benedicto XIV decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui

vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis; Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequâ statâque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius Sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. — A. Card. MACCHI

VISA

De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco † Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cvgnonivs.

ALLEGATUM III

INSTRUCTIO

de modo quo oeconomice procedere debent Curiae Ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus Clericorum.

Die 11 Iunii 1880.

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, praesentis temporis conditione, in qua Ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens maxima ex parte ecclesiasticas Curias opportunis mediis carere quibus recte ordinentur, constituit facultatem expresse impertire locorum Ordinariis ut adhibitis formis magis oeconomicis iurisdictionem suam in Clericos, ad disciplinam quod attinet, exerceant. Utque hinc iustitia incolumis servetur inde vero processus ad canonum praescriptum ab omnibus fiant, sequentes praestituit normas ab omnibus Curiis servandas.

I.

Ordinarii pro eorum munere pastorali, tenentur disciplinae ac correctioni consulere clericorum qui iisdem subduntur, eorum mores inspicere, atque ea opportuna remedia adhibere quae a sacris canonibus sive ad praecavenda sive ad corrigenda mala praescribuntur.

II.

Haec inter, alia ad praecavendum malum ordinantur, alia in eius coercitione ac medela vim suam exercent. Hinc priora ea amovere student quae aut scandalum aut occasionem voluntariam aut causam delinquendi proximam exhibent. Posteriora vero tum delinquentes ad meliorem frugem revocare tum damna ex crimine secuta reficere satagunt.

III.

Porro Ordinariis munus incumbit recensita hactenus remedia pro sua prudentia ac conscientia adhibendi prout rerum et adiunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.

IV.

Mediis quibus malum praecavetur, potissimum accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V.

His tamen praemittenda est summaria saltem facti notitia, cuius ab ordinario habenda est ratio, ut si opus sit *ad ulteriora* procedat vel etiam possit superiori auctoritate satisfacere si legitime ab aliquo ad illam recursus habeatur.

VI.

Monitiones vero *canonicae* fiant vel in forma paterna et secreta adhibita etiam epistola vel interposita aliqua persona vel in forma iuridica, ita tamen ut aliquo modo semper constet de facta monitione.

VII.

Monitionibus frustra adhibitis, ordinarius Curiae mandet ut praeceptum opportunum intimetur delinquenti, quo eidem quid facere vel omittere debeat indicatur, addita si illud transgrediatur respondentis ecclesiasticae poenae comminatione.

VIII.

Praeceptum reo praevento intimatur a Cancellario coram Vicario generali; vel coram duobus testibus probatae integritatis, sive ecclesiasticis sive laicis.

§. 1. Actus subscribitur a partibus praesentibus, quin et a praevento si velit.

§. 2 Vicarius generalis, iurisiurandi vinculo obstringere potest testes ut secretum servent, si rei natura de qua agitur id ad prudentiae normam exigat.

IX.

Ad infligendas poenas quod spectat, sedulo Reverendissimi Ordinarii animadvertant, hanc instructionem haud efficere ut so-

lemnitates in iudiciis servandae iuxta sacros canones, apostolicas constitutiones aliasque ecclesiasticas sanctiones abrogatae censeantur, quotiescumque libere et efficaciter usurpari possint; verum oeconomicos huiusmodi processus iis Curiis servandos praescribi in quibus solemnitates iudiciorum aut adhiberi nequeant aut minus expedire videantur.

Insuper vim suam plene retinet remedium extraiudiciale quod *ex informata conscientia* appellatur, et pro criminibus occultis adhibendum decrevit Concilium tridentinum (*sess. 14 cap. 1 de Reform.*) iis tamen regulis ac cautionibus servatis quas in eiusdem capitis intellectu constanter adhibuit, Sacra Congregatio Concilii in pluribus resolutionibus ac nominatim *in Bosnien, et Sirmien. 20 Decembr. 1873.*

X.

Quum criminaliter procedi opus sit sive ob praeceptorum infractionem sive ob communia crimina aut ecclesiasticarum legum violationem, processus ea ratione confici potest ut summaria forma absque strepitu iudicii fiat, servatis tamen semper iis regulis quae ad iustitiam essentialiter tuendam pertinent.

XI.

Processus vero *ex officio* instruitur aut post supplicem libellum exhibitum aut occasione quaerelae aut cuiuscumque notitiae a curia habitae, atque ad finem eo consilio perducitur ut maiori quo fieri potest cautione ac prudentia veritas detegatur et tum criminis notitia haberi tum qui accusatus fuerat innocens aut reus cognosci possit.

XII.

Processus confici potest ab aliquo ecclesiastico viro probo ac idoneo cui opem suam conferet actuarius.

XIII.

In quacumque Curia adesse debet Procurator fiscalis ad iustitiae legisque tutelam.

XIV.

Si Curia Cursores non habeat eorum munus pro intimationibus aliisque significationibus suppleri poterit ab aliqua qualificata

persona quae de facto fidem faciat, vel documenta per tabellarios publicos specialiter commendata transmitti poterunt, ita tamen ut scripto constet de eorum exhibitione receptione aut reiectione.

XV.

Criminis iuridica existentia tum ex processus confectione authenticis communita informationibus aut confessionibus extraiudicialibus vel testium depositionibus constare poterit. Trasgressio vero alicuius praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis iis servatis de quibus supra art. VII et VIII.

XVI.

At vero ut accusatus tamquam reus haberi possit ea iuridica probatione opus est qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo quae prudens dubium omnino excludat.

XVII.

Qui examini subiici debent ii semper seorsim audiantur.

XVIII.

Testes sive ad probandum sive ad defensionem nisi lex aliqua obstet, iurati esse debent quin et si opus sit iuramento ad secretum servandum adigantur.

XIX.

Si qui forte ex iis absint, eorum examen fiet ab ecclesiastica auctoritate loci quo morantur ad quam facti expositio transmitti debet, haec vero supplet servatis tamen iis quae in hac instructione praescribuntur.

XX.

Si vero quidam testes vel quoad factum vel quoad eius circumstantias veluti ad causam dirimendam omnino necessarii iudicentur neque tamen audiri possint vel quia non expedit vel quia nolunt; eorum in actis mentio fiat; horum vero defectus per alios testes *de relato* aut alio quovis modo fide dignos supplendus erit.

XXI.

Cum omnia sufficienter habeantur quibus factum eiusque imputabilitas eruatur ad examen accusatus erit vocandus.

XXII.

In citatione nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentatae ut se praeparet ad eas disiicendas.

XXIII.

Si vero vel ex accusationum qualitate vel alia de causa id prudenter fieri nequeat, generali modo ei iniungendum erit ut ad examen veniat et accusationem obiectam diluat.

XXIV.

Si renuat, iteratur intimatio eique praefigitur peremptorius terminus, simulque monetur eo termino elapso tamquam in contumacem animadversum iri: et reapse ceu talis habebitur nisi legitimam absentiae causam probet.

XXV.

Si in iudicio adest, examini subiicitur et si alicuius momenti inductiones exhibeat eae quantum fieri potest exhauriendae erunt.

XXVI.

Deinde ad contestationem facti criminosi deveniendum est simulque probationes exhibitae proferendae quibus evincitur eum qui accusatur reum esse poenisque canonicis statutis puniendum.

XXVII.

Cum hoc pacto reus conventus omnia cognoscet quae contra ipsum proferuntur, hic tum ea diluere tum se tueri iure poterit.

XXVIII.

Poterit tamen terminum aliquem etiam petere ad semet defendendum scripto, quod potissimum fieri debet cum ex dictis in art. XXIII haud potuerit se paratum ad respondendum exhibere.

XXIX.

Processu absoluto, actorum instructor eiusdem essentialium conclusionum restrictum conficere debet.

XXX.

In causae tractatione inquisitus potest si velit repraesentari et defendi sive ab alio Sacerdote sive a laico qui tamen prius ab Ordinario approbandi erunt.

XXXI.

Si reus praeventus defensorem sibi constituere nolit, Ordinarius unum ex officio eidem deputabit.

XXXII.

Defensor caute ex actis notitiam haurit causae ut eam possit tueri eiusque defensio etiam ante causae propositionem scripto poterit exhiberi. At si Ordinarius iudicet ex causae natura secretum iuramenti vinculo servandum esse defensor quoque eodem obstringitur.

XXXIII.

Processus et restrictus dein ad Procuratorem fiscalem transmittitur ut ea quae ad ipsum pertinent exequatur; itemque ad Ordinarium postea utrumque transmittitur, qui causae statu apprime perspecto, diem statuit quo discuti ac dirimi debeat simulque de hoc eum qui accusatur certiorem efficit.

XXXIV.

Statuta die causa proponitur coram Vicario generali adstantibus Procuratore fiscali, rei patrono et Cancellario.

XXXV.

Auditis tum conclusionibus fiscalibus tum deductionibus pro defensione, sententia profertur, cancellario dispositivam partem scribente ex dictato, in eaque mentio expressa fieri debet si reus damnatur canonicae sanctionis quae contra ipsum adhibetur.

XXXVI.

Sententia praevento indicitur, qui appellationem ad superiorem ecclesiasticam potestatem interponere potest.

XXXVII.

In iudicio appellationis servantur ea quae Benedictus XIV, in sua Constitutione *Ad militantes* 30 Martii 1742 praecepit itemque huius S. Congregationis Decretum 18 Decembris 1835, et littera encyclica 1 Augusti 1851.

XXXVIII.

Appellatio fieri debet intra decem dies a sententiae notificatione, quo termino inutiliter elapso sententia executioni debet demandari.

XXXIX.

Facta intra decem dies appellatione, Curia absque mora transmittere debet ad superiorem ecclesiasticam potestatem ad quam appellatum est omnes actus causae originales, scilicet processum restrictum, defensionem et sententiam.

XL.

Potestas ecclesiastica superior appellationis habita notitia, appellantem monet ut intra viginti dies defensorem sibi constituat ab eadem superiore potestate approbandum.

XLI.

Si peremptorius hic terminus frustra elabatur, censetur appellans, renunciasse appellationis beneficio et a potestate superiore appellatio consequenter edicitur perempta.

XLII.

Cum a sententia Curiae Episcopalis fit appellatio ad Metropolitanum, hic in cognoscenda ac dirimenda causa instructionem hanc ceu normam in processu servare debet.

XLIII.

Si contingat Clericum contra fori privilegium a laica potestate ob communia crimina processui et iudicio subiici, Ordinarius eo in casu facti criminosi summariam notitiam capit simulque perpendit utrum ad sacrorum Canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§. 1. Iudicio nondum expleto vel quousque accusatus vinculis detinetur consultius est ut ordinarius sese contineat in remediis provisoriis adhibendis.

§. 2. Iudicio vero absoluto reoque convento libertati reddito, Curia, iuxta informationes prius habitas earumque indolem procedit si opus sit iuxta modum in hac instructione praescriptum.

XLIV.

Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, Ordinarii, ad vitandas contentiones et nullitates, recurrant ad hanc S. Congregationem.

Ex Aud. SSmi diei 11 Iunii 1880.

SS.mus D.nus Noster Leo Div. Prov. PP. XIII audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sac. Congreg. Episcoporum et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra.

I. Card. Ferrieri *Praef.*
I. B. Agnozzi *Secretarius.*

Pag.	Linea	ERRATA	CORRIGE
9	7	Pontifici	Pontificis
11	12	§ 13;	§ 3,
12	22	iuri	iure
18	16	dans se sources	dans ses sources
19	2	De Gratiani Decreti	De Gratiani Decreto
20	19	sexta	sextae
21	20	facta	factas
26	25	ab	ob
28	21	deestrvebum	deest verbum
31	32	collectae	collecta
31	34	extans	extant
171	14	eorum	earum
192	34	quorum	quarum
212	12	existentes	existentium
221	6	dimidia partem	dimidiam partem
224	12	praecedat	praecedant
232	14	qua	quae
235	20	ad diligenter subsidium	ad diligenter praestandum subsidium
240	9	at	et
268	1	habet	habent
268	2	suspendi	suspendere
306	11	dius	diu
309	14	fructum	fructuum
318	11	consensu capitulis	consensus capituli
341	17	provinciales	provincialis
381	1-2	sensibilem inflictu malis	sensibile inflictum mali
389	13	stato	statu
391	14	e	se
391	20	iuri	iuris
393	1	est	esse

Alia leviora per se patebunt

BIBLIOGRAPHIA AUCTORUM

quorum mentio hic saepius recurrit

Acta Conciliorum (**Harduin**, S. I.), 12 vol. Parisiis, 1714-1715.

Acta Conciliorum (Editio **Mansi**, S. I.), 31 vol.

Acta et Decreta Concilii plenarii Americae latinae, 2 vol. Romae, Typ. Vaticanis, 1900.

Acta Sanctae Sedis iu compendium opportune redacta et illustrata (**Piazzesi**).

Acta SS. D. N. Leonis Pp. XIII. (Allocutiones, Epistolae Constitutiones aliaque acta praecipua). Brugis, Desclée, De Brouwer, 5 vol. 1887-1898.

Agostino *Antonius*. De emendatione Gratiani dialogorum libri duo - Lucae 1767.

Aichner *Simon*, germanus. Compendium iuris ecclesiastici. 1 vol Brixinae, 1900 ed. 9.

Andreucci *Andreas Hier.* S. I. Viterbiensis, n. 1684, m. 1771. Hierarchia ecclesiastica. Romae 1766, tom 2 in-4.

Audisio *Guillelmus*, italus, n. 1802. Diritto pubblico della Chiesa e delle genti cristiane. Romae 1863, vol. 3. - Diplomazia ecclesiastica. Romae 1864. - Storia dei Papi. Lille 1885, 1890.

Avanzini *Petrus*, italus. De const. Apost. Sedis commentarii. Romae 1872.

Ballerini *Petrus* et *Hieronimus* fratres, itali, m. 1764. S. Leonis m. opera. Verouae 1756. - Appendix huius operis vetustissimus codex can. eccl. et const. - Praemisso tractatu de antiquis tum editis, tum ineditis collectionibus et collectoribus canonum usque ad Gratianum. Veronae 1757.

Ballerini *Antonius*, italus, n. 1805, m. 1881. Opus Theologicum morale in Busembaum Medullam; quod Dom. Palmieri absolvit et edidit.

Balmes *Iacobus*, hispanus, n. 1810, m. 1848. Il protestantesimo comparato col cattolicismo. Parmae, 1851.

Barbosa *Augustinus*, lusitanus, n. 1589, m. 1649. De officio Episcopi - De officio Parochi - Variae iuris tractationes etc. Plurimae editiones recusae sunt.

Baronius *Caesar*, italus, n. 1588, m. 1607. Historia Eccl. Universalis. - Plurimae editiones prodierunt.

Baruffaldi *Hieronimus*, italus, n. 1675, m. 1755. Comment. ad Rituale Rom. Venetiis 1731.

Battandier *R. D.*, gallus. Guide canonique pour les constitutions des soeurs a voeux simples, 1 vol. Paris, Lecoffre, 1898.

Bellarminus *Robertus* Card. S. I. italus, n. 1542, m. 1621. Disputationes de controversiis christianae fidei. 4 vol. Pragae 1721.

Benedictus XIV (Prosper Lambertini) italus, n. 1675, m. 1758. Institutiones ecclesiasticae, 3 vol. Lovanii 1762 - De synodo dioecesana l. 13, 4 vol. Mechliniae, 1823.

Berardi *Carolus Sebastianus*, italus, n. 1719, m. 1768. Gratiani canones genuinis ab apocryphis discreti. Taurini 1752-66 tom. 4 in-4. - Commentaria in ius eccl. universum. Augustae Taurinorum 1766, tom. 4 in-4 - Institutiones iuris eccl. Taurini 1769 t. 2.

Beringer *F.* S. I. Die Ablässe ihr Wesen un Gebrauch, 1 vol Paderbon, 1900 ed. 12 (approbata a S. Congr. Indulg.).

Bianchi *Antonius*, italus, n. 1686, m. 1758. Della podestà e della polizia della Chiesa. Roma 1745

Billot *Ludovicus*. De Ecclesiae Sacramentis commentarius in tertiam partem S. Thomae. 2 vol. Romae ex typ. polyglotta 1897.

Biner, elvetus m. 1766. Apparatus erud. et iurisprud. eccl. Aug. Vind: 1754.

Bizzarri Card. Collectanea in usum Secreteriae S. C. Episc. et Reg. 1 vol. Romae typ. Cameralis 1863.

Bolgeni *Ioannes Vincentius*, italus, n. 1733 m. 1811. L' Episcopato, Urbisveteris an. 1837 - Dei limiti delle due potestà; qui tamen liber est prohibitus

Bonal *A.* Institutiones canonicae. Augustae Taurinorum apud Tappi ed.

Bossuet *Iacobus Benignus*, gallus, n. 1627, m. 1704. Inter alias: Response à une consultation de Jacques II, roi d'Angleterre. Ed. Vers. t. XLIII.

Boulx *Maria Dominicus*, gallus, n. 1808, m. 1870. Institutiones iuris canonici, pluribus tract. contentae et pluries recusae.

Brunengo *Iosephus*, italus, S. I. n. 1821, m. 1891. Le origini della Sovranità temporale dei Papi. Romae 1861.

Bucceroni *Ianuarius*, S. I. Institutiones theologiae moralis. Romae 1892.

Bullarium Benedicti XIV 5 vol. Romae 1746.

Rollarium Romanum **(Coquelines-Mainardi)** 28 vol. Romae 1734-1762.

Bullarium magnum R. **(Cherubini)**, 14 vol. Luxemburgi 1727-1740.

Bullarii Romani continuatio **(Barbieri)** Romae Typ. camer. 19 vol. 1835-1857.

Bullarium Privil. ac Diplom. Rom. Pont. Romae 1741

Bullarium Ordinis FF. Praedicatorum, 8 vol. Romae 1729-1740.

Bullarium Ordinis FF. Minorum Capuccinorum. 6 vol. Romae, 1740.

Caglano de Azevedo, Della natura e carattere essenziale dei Concordati. Romae 1872.

Camarda *Antonius*, messanensis, m. 1754. Const. Apost. de perinentibus ad electionem S. P. synopsis. Romae 1732.

Canisius. *Henricus*, batavus, m. 0600. Summa luris can. Ingolstadii 0594.

Cantù *Caesar*, italus, Storia universale.

Canus *Melchior*, hispanus, n. 1523, m. 1566. Loci communes theologici. Plurimae editiones prodierunt.

Cassiodorus. Dir. lit. edit. Roth. 1679.

Cavagnis *Felix* Card. Institutiones iuris publicis eccl. Rom. 1888. - Nozioni di diritto publico naturale ed eccl. Romae Desclée.

Cecconi *Eugenius*, italus, n. 1834, m. 1888. Storia del Concilio oecum. vat. tom. 4. Romae 1879.

Cercià *Aonius*, S. I. n. 1810, m. 1865. Lezioni di Diritto Canonico. Neapoli 1872.

Ciolli *Alexander*. Commentario pratico delle censure. Taurini 1891.

Cohellius, italus, m. 1654. Notitia Cardinalatus. Romae 1653.

Colomiatti. Codex iuris pontificii et canonici. Taurini 1891.

Corradi *Pyrrus*, italus, fl. c. 1656. Praxis beneficiaria. Neapoli 1656.

Covarruvias *Didacus*, hispanus, n. 1512, m. 1577. Opera eius in duos divisa tomos ad ius pontificium maxima ex parte referuntur. Ed. generensis 1762 vol. 5.

Craisson *D.* gallus. Manuale iuris can. - Parisiis 1894.

D' Annibale *Iosephus* Card. italus, n. 1815, m. 1892. Comment. in Bullam Apostolicae Sedis (1880). Summula Theologiae moralis. Ed. 3. 1888-1892.

Darras *I.* gallus, n. 1825, m. 1878 Histoire de l' Eglise. Paris 1861.

De-Buck *V.* S. I. De exemptione regularium conservanda et confirmanda. 1 vol. Bruxellis 1869.

De-Angelis *Philippus*, italus, n. 1824. m. 1881. Praelectiones iuris canonici ad methodum Decretalium Greg. IX exactae.

De-Camillis. Institutiones iuris canonici. Parisiis 1868.

De-Hammerstein *Ludovicus*. De Ecclesia et statu iuridice consideratis. Treviris 1886.

Delbene *Thomas*, italus, m. 1673. De immunitate et iurisdictione ecclesiastica. 2 vol. Lugdunii 1650.

De-Liguori *Alphonsus* n. 1696, m. 1787. Ecclesiae Doctor.

De-Luca *Ioannes Baptista* Card. italus, n. 1614, m. 1683. Relatio curiae romanae. 1 vol. Coloniae 1706.

De-Luca *Marianus*, S. I. Institutiones iuris eccl. publici. 2 vol. Romae 1901. - Praelectiones iuris canonici. Vol. 5, Romae 1898.

De-Luise. De iure publico seu diplomatico Ecclesiae. Neapoli 1877.

De-Maistre, gallus, n. 1753, m. 1821. Du pape. Lugdunii 1830.

De-Marca, gallus, n. 1594, m. 1662. De concordia sacerdotii et imperii. Hic liber prohibitus est a S. Sede 11 Iun. 1642.

De-Mortier. Etym. sacra. Romae 1703.

Devoti *Ioannes*, italus, n. 1744, m. 1820. Iuris canonici publ. et priv. comp. vol. 8, Romae 1803. - Institutionem canonicarum. l. IV, Venetiis 1827.

Doulat, gallus, n. 1651, m. 1688. Histhoire du droit can. Paris 1677, vol. 1

Duchesne. Origines du culte chrétien, 1 vol. Paris 1898, ed. 2.

Engel *Ludovicus*, germanus, m. 1674. Collegium universi iuris canonici pluries recusum. - Manuale Parochorum. Salisburgi 1760 ed. 15.

Estanyol-Bollani. Lezioni didattico-storiche di Diritto Canonico. Romae, 1897.

Fagnanus *Prosper*, italus, n. 1587, m. 1678. Commentaria in 5 libros decretalium. Pluries edita sunt.

Ferrais *Aemilius*. Liturgia Missae. Veronae 1902.

Ferrante, italus, n. 1754, m. 1803. Elementa iuris can. Romae 1854.

Ferrari *Aloysius M.* De statu religioso commentarium. Romae 1896.

Ferrari *Iosephus*. Summa institutionum canonicarum. 2 vol. Genuae 1877.

Ferraris *Lucius*. italus, fl. c. 1760. Prompta bibliotheca iuridica, canonica, moralis. 8 vol Migne 1860-61.

Fiore *Pasqualis*. Trattato di Diritto Internazionale pubblico. Taurini 1897.

Fleury, gallus, n. 1640, m. 1723. Histoire Eccl. Paris 1691.

Franzelin *Ioan.* Card. S. I. n. 1816, m. 1886. Tractatus de Ecclesia. Romae, Desclée.

Galeotti. Della legatione apostolica in Sicilia. Torino 1868.

Gardellini *Aloysius*, m. 1837. Decreta authentica. Romae 1808-26, tom. 7.

Garcias *Nicolaus*, hispanus. De beneficiis. Venetiis 1630, vol. 2.

Gasparri *Petrus*. Tractatus canonicus de sanctissima Eucharistia. 2 vol. Parisiis 1897. - Tractatus canonicus de sacra Ordinatione. 2 vol. ibid. 1901.

Gavanti *Bartolom.* m. 1638. Thesaurus ss. Rituum seu commentaria in rubricas Missalis et Breviarii Romani.

Geffcken. La condizione del R. Pontefice nel Diritto Internazionale. Pisa 1886.

Gennari *Casimirus* Card. Consultazioni morali canoniche liturgiche. 5 vol. Neapoli 1893.

Gerdil Card. Opuscula de ecclesiastica hierarchia. Habentur separatim impressa Typographia S. C. de Propaganda.

Giobbio *Adolphus*. Lezioni di diplomazia ecclesiastica. Romae Tip. Vaticana 1899 vol. 2. - I Concordati. Roma 1900.

Giraldi *Caietanus*, italus, n. 1692, m. 1775. Expositio iuris pontificii. 3 vol. Romae 1830.

Gonzalez Tellez *Emmanuel*, hispanus Commentaria perpetua in singulos textus SS. Decretalium. Lugdunii 1673.

Gosselin *Augustinus*, rotomagensis, n. 1787, m. 1858. Pouvoir du pape au moyen âge. Parisiis 1845.

Gousset, Card. m. 1867. Exposition des principes de droit canonique. 1859 - Theologie morale. Hoc opus saepe recusum, retractavit et auxit D. Munerati. Parmae 1901.

Gratianus, italus. Concordantia discordantium Canonum. Scripsit seu absolvit hoc opus Gratianus Bononiae in monasterio S. Felicis anno 1151.

Grisar *H.* Storia di Roma e dei Papi del medio evo 1899 - Anacleta romana. Romae, Desclée.

Haimberger *A.* Il Diritto Romano privato e pubblico. 1 vol. Venetiis 1840.

Hallier, gallus, n. 1595, m. 1659. De hierarchia eccl. Parisiis 1646.

Hefele *C. Ioseph*, germ. n. 1809, m. 1893. Conciliengeschicte. Friburgi 1855-76, tom. 7, cuius plures versiones prodierunt.

Hergenroether I. Card. germ. n. 1824, m. 1890. Kirchenlexicon ab ipso inceptum sed a D.r Kaulen in Univ. Bon. profes. editum. - La Chiesa cattolica e lo stato cristiano nel loro storico svolgimento. Parmae, Fiaccadori.

Huguenin. Expositio methodica iuris canonici. Parisiis 1867.

Hurter *H.* S. I. Theologiae Dogmaticae Compendium. Vol. 3 Oeniponte 1591. - Nomenclator litterarius. Vol. 4, Oenoponte 1899.

Icard, gallus. Praelectiones iuris canonici. Vol. 3. Parisiis 1893.

Ioannes Andreae, italus, m. 1348. Novella in Decret. Greg. IX. Glossa in VI. - Apparata in Clem. etc.

Iungmann *Iosephus*, germanus, S. I. n. 1830, m. 1885. Dissertationes selectae in Hist. eccl. Ratisbonae 1882.

Iuenin *Gaspar*, gallus, m. 1707. Comment. historicus et dogm. de sacr. Lugdunii 1696.

Krimer *Ferd.* germanus S. I. n. 1639, m. 1708. Quaestiones theologicae in 1. 2. S. Thomae, de iustitia.

Labbeus, gallus, n. 1607, m. 1667. Sacrosanta Concilia. Lutetiae. Paris 1692.

Lacointa *A.* De l'influence du Christianisme sur le droit penal. Paris 1888.

La Fuente. Storia eccl. di Spagna. Madrid 1873-75.

Lagarde. Constitutiones apost. Lipsiae 1842.

Laurent *Franciscus*, n. 1810, m. 1887. Cours elementaire de Droit civil.

Lega *Michael*. De iudicis ecclesiasticis. Vol 4, Romae 1896-1902.

Lehmkuhl *Augustinus*, germanus S. I. Theologia moralis. Friburgi 1890.

Lessius *Leonardus*, belga, S. I. n. 1544, m. 1623. De iustitia et iure. Lovanii 1606.

Leurin *Petrus*, germanus, S. I. n. 1646, m. 1723. Forum beneficiale - Forum ecclesiasticum. Augustae Vindelicorum, 1737.

Liberatore *Matthaeus*, italus, n. 1810, m. 1892. La Chiesa e lo Stato. Neapoli 1872. - Del Diritto pubblico ecclesiastico. Prati 1887.

Lombardi *Carolus*. Institutiones iuris canonici privati. Romae 1901, vol. 3, ed. 2.

Lotterius *Melchior*, romanus. De re beneficiaria. Romae 1629, tom. 2.

Lucidi *Angelus*, italus. De visitatione ss. Liminum. Vol. 8, Romae 1883.

Mabillonius, gallus, n. 1632, m. 1690 (?). Sanctorum Ordinis bened. acta. Lutetiae Parisiorum 1668.

Mai *Angelus* Card. italus, 1782, m. 1854. Spicilegium Romanum. Romae 1839.

Mathaeucci *Augustinus*, lucensis, m. 1722. Officialis Curiae ecclesiasticae. Venetiis 1728.

Mamachi, graecus, n. 1713, m. 1792. Epistolae ad Iustinum Febronium de ratione regendae christianae reipublicae, deque legitima Romani Pontificis auctoritate. Romae 1776-77, vol. 2.

Manacorda *Aemilianus*. Specimen iuris et disciplinae eccl. Fossani 1897, vol. 2.

Manenti. Concetto ed importanza dello studio del Diritto canonico. Macerata. 1872.

Martene O. S. B. De antiquis Ecclesiae ritibus. Antwerpiae c763.

Maschat, boemus, n. 1692, m. 1747. Institutiones iuris can. Florentiae 1854.

Mazzella *Camillus* Card. S. I. De religione et Ecclesia. Romae, Desclée.

Melchers, Card. De can. visit dioec. Coloniae 1893.

Molina *Ludovicus*, hispanus, S. I. De iustitia et iure. Coloniae 1733, 5 vol. in-8.

Monacelli *Franciscus*. Formularium legale practicum fori eccl. 2 vol. Romae. 1703-1706.

Montalembert Com.te **De**. Le moines d'occident depuis St. Benoît jusq' à St. Bernard. 7 vol. Paris 1860.

Moroni *Caietanus*, m. 1833. Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica.

Munerati *Dantis*. Elementa Theologiae Sacramentariae dogmatico-canonico-moralis. Augustae Taurinorum 1903.
Venetiis 1840-79, t. 109.

Muratori *Ludovicus*, n. 1672, m. 1750. Annali. Milano 1818.

Nannetti *Emidius*. Brevi nozioni di Diritto pubblico eccl. Vol. 2, Bononiae 1840.

Nardelli *Vincentius*. Le Congregazioni religiose a voti semplici. Romae 1901.

Nardi, italus, n. 1808, m. 1877. Elementi di Diritto ecclesiastico. Patavii 1854.

Nasoni *Angelus*. Iuris can. Compendium. 2 vol., Mediolani 1897.

Natalis *Alexander*, gallus, n. 1633, m. 1724. Historia ecclesiastica.

Navarrus (Azpilcueta) *Martinus*, hispanus, n. 1494, m. 1586. Consilia et responsa in iure canonico. ll. 5 in-f.

Nervegna *I*. De iure pratico Regularium. Romae, Pustet 1900.

Nilles *Nicolaus*. Commentaria - Se lectae di disputationes (1888-1890.

Nussi *Vincentius*. Conventiones de rebus eccl. inter S. Sedem et civilem potestatem. Maguntiae 1870.

Paglia *Franciscus*. Brevis Theologiae speculative cursus. Augustae Taurinorum 1899-1902.

Palecottus, italus, n. 1522, m. 1597. De sacris concistorii consultationibus. Ingolstadii 1594, Romae 1596.

Pallavicinus (Sfortia) Card. S. I. italus, n. 1607, m. 1667. Istoria del Concilio Tridentino, Romae 1656.

Pallottini S. Sacerdotium et imperium. Vol. 2, Romae 1875. - Collectio omn. concl. et resol. quae .... a S. Congr. Conc. Trid. interpretum 1564-1860 prodierunt. Romae 1868.

Passerini *Petrus*, italus, n. 1595, m. 1677. De electione canonica. Romae 1665 - De privilegiis Relig. ibid. 1663.

Pecorelli. Iuris eccl. maxime privati Institutiones. Neapoli 1847.

Pellegrini, m. 1675. Praxis Vicariorum et omnium in utroque foro ius dicentium. Roma 1666.

Pellizzario *Franc.* italus, S. I. n. 1596, m. 1651. Manuale regularium - De monialibus. Utrumque opus in Indicem relatum fuit donec corrigatur. Romae 1655.

Pennacchi *Iosephus*. Comment. in Const. Apostolicae Sedis. (1883-1888).

Perrone *Ioannes*, italus, n. 1794, m. 1876. L'idea cristiana della Chiesa ecc. Taurini, 1862.

Petavius, n. 1583, m. 1652. De eccl. hierarchia. Parisiis, 1643.

Petra *Vincentius*, Card. n. 1662, m. 1747. Commentaria in costitutiones Apostolicas. Venetiis, 1741.

Pezzani. Codex S. Rom. Ecclesiae. Romae 1896.

Phillips, germanus, n. 1804, m. 1872. Du drois eccl. dans ses principes generaux. Paris 1855 - Compendium iuris eccl. Ratisbonae 1896, 2 vol.

Phoebeus, italus, n. 1652, m. 1706. Inst. iuris canonici. Romae, 1698.

Plat (frater) montensis O. FF. Min. Capucc. Praelectiones iuris regularis. Tornaci. 1898.

Pichler *Vitus*, germanus, n. 1670, m. 1750. Ius canonicum pratice explicatum. Ingolstadii, 1735.

Pierantonelli *Pacificus*. Praxis fori eccles. Tours apud. Mame edit.

Pignatelli *Iacobus*, italus. Consultationes canonicae. Romae 1750.

Pirhing *Enricus*, bavarus, S. I. m. 1679. Ius canonicum. Venetiis 1759.

Piscetta *Aloysius*. Theologiae moralis Elementa. Vol 4, Augustae Taurinorum, 1900 1903.

Pitoni *Franc.* italus, m. 1729. Disceptationes ecclesiasticae. Venetiis, 1733.

Pitra, gallus, n. 1812, m. 1889. Iuris eccl. histor. et monum. Romae 1864-68..

Pottiér. De iustitia et iure. Leodii 1900.

Quarto *Paolus*, italus, fl. c. 1655. Rubricae missalis romani commentariis illustratae.

S. Raymundus a Pennafort, n. 1175, m. 1275. Iussu Gregorii IX collegit Decretales.

Rebuff, n. 1487, m. 1557. Praxis beneficiorum. Venetiis 1554.

Reiffenstuel *Anacletus*, bavarus, n. 1641, m. 1703. Ius canonicum universum. 6 vol. Antwerpiae, 1755. Parisiis 1866.

Riganti *Ioannes B.* melphitanus, n. 1661, m. 1735. Commentaria in regulas, constitutiones etc. Coloniae 1153, t. 4.

Rodriguez *Emmanuel*, lusitanus, m. 1613. Quaestiones regulares et canonicae. Salamancae, 1598.

Rohrbacher. Storia della Chiesa Cattolica. Vol. 15, Taurini 1883-84. Ab anno 1846 usque ad 1876 continuavit Prof. Petrus Balan. Vol. 3.

Roskovany *Augustinus*, ungar. n. 1807, m. 1892. Monumenta catholica pro independentia potestatis eccles. Vol. XII, Nitriae 1876.

Salmaticenses, h. e. Patres Carmelitae excalceati, auctores, Cursus Theologiae dogmaticae et moralis qui sub eorum nomine venit. Saec. XVII.

Salzano *T.* italus, n. 1807, m. 1890. Lezioni di Diritto canonico pubblico e privato. Neapoli 1845.

Sanguineti *Sebastianus*, italus, S. I. n. 1829, m. 1893. Instit. iuris eccl. priv. Romae 1884.

Santi *Franciscus*. Praelectiones iuris can. lib. 5 Ratisbonae 1886.

Satolli *Franciscus* Card. Prima principia iuris publ. eccl. de concordatis. Romae 1888.

Schenkl *Maurus*, germanus, 1749, m. 1816. Institutiones iuris eccl. Ingolstadii 1790-91, t. 2.

Schmalzgrueber *Franciscus*, S. I. germanus, n. 1663, m. 1735. Ius eccles. universum. Neapoli 1738.

Schimidt, germanus, n. 1734, m. 1805. Thesaurus iuris eccl. Heidelberg, 1772-79, 7 vol. in-4.

Schneider *Iosephus*, S. I. germanus, n. 1824, m. 1884. Decreta authentica S. C. Ind. et Relig. (1883).

Schwarz *Ignatius*, germanus, S. I. n. 1690, m. 1763. Institutiones iuris publici universalis naturae et gentium. Venetiis 1760.

Sebastianelli. Praelectiones iuris canonici. Romae Desclée, 1896.

Selvagio, italus, n. 1728, m. 1772. Institutiones canonicae. Neapoli 1766.

Soglia, italus, 1779, m. 1855. Institutiones iuris priv. et publ. eccl. Parisiis 1859

Solieri *F.* Iuris publici ecclesiastici Elementa. Romae, Pustet 1900.

Suarez *Franciscus*, hispanus, n. 1548, m. 1617. De legibus; De virtute et statu religionis; De censuris. Venetiis 1742.

Tamburini *Asc.* Mon. Vallis Umbrosae. De iure Abbatum et aliorum Praelatorum. 3 vol. Lugdunii 1640.

Tamburini *Thomas*, italus, S. I. n. 1591, m. 1675. De sacramentis. Venetiis 1755.

Taparelli *Aloysius*, S. I. n. 1793, m. 1862. Saggio di Diritto naturale. Neapoli 1850.

Tardif, gallus, n. 1824, 1890. Histoire des sources du droit can. Paris 1877, 3 vol.

Tarquini *Camillus*, italus, Card. S. I. n. 1810, m. 1874. Instit. iuris eccl. publici. Accedit dissert. de Regio Placet. Romae, 1875 ed. IV.

Thesaurus *Carolus*, italus, n. 1587, m. 1655. De poenis ecclesiasticis. 3 vol. Romae, 1833.

Theiner *Augustus*, Disq. critic. in praecip. canonum. Et Decretalium Collectiones. Romae 1853.

Thomas (S.) *Aquinat.* Doctor Angelicus n. 1227, m. 1174.

Tiraboschi *Hierom.* italus, n. 1731, m. 1794. Biblioteca modenese. Mutinae 1781. Memorie storiche modenesi, ibid. 1793.

Thomassin *Ludov.*, gallus, n. 1619, m. 1695. Vetus et nova disciplina Ecclesiae circa beneficia. 3 vol. Lugdunii 1705-06.

Trombetta. Praxcos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum. Romae, Desclée.

Troplong. De l'influence du christianisme sur le Droit civil de romains. Ed. 3 Paris 1868.

Turinaz. Les concordats. Deuxième édition. Paris 1888.

Turri. De auctoritate Legatorume a latere, Romae 1656.

Van-Espen *Bernardus*, belga, n. 1646, m. 1728. Ius eccl. universum. 2 vol. Lovanii 1753 (opus est. in Ind. relatum).

Vecchiotti *Septimius*. Institutiones canonicae. Augustae Taurinorum, g886.

Vering. Droit Canon. Nova editio (3a) locupletata et lingua germanica exarnta, nuper Friburgi in lucem prodiit.

Vespasiani. De S. Pallii origine. Disquisitio, Romae 1856.

Vives y Tuto Card. Compendium iuris canonici. Panormi 1886.

Vermeersch *Arthurus*, S. I. De religiosis institutis et personis. Brugis, 1902. - Romae, Pustet.

Walter,germanus n. 1794, m. 1879. Manual de derecho ecclesiastico universal. Iuan Pèrez Angelo. Madrid, 1871, 2 vol.

Wernz *Franc. Xav.* S. I. Ius Decretalium. Vol. 3, Romae 1898 1901.

Wiestner, germanus, m. 1709. Instit. Can. - Monachi, 1705.

Wiseman, n. 1802, m. 1865. Lectures on Concordats. Londini 1854.

Wonters, belga n. 1802, m. 1872. Hist. eccl. compendium. Lovanii 1842 - Dissert. in selecta hist. eccl. ibid. 1878.

Zaccaria *Antonius*. Anti-Febronius. 5 vol. Lovanii 1829 - Anti-Febronius vindicatus. Romae 1843 - Et varia opuscula.

Zallinger, tirol. n. 1735, m. 1813. Iuris ecclesiastici publici et privati institutiones. 5 vol. Romae, 1833.

Zamboni. Collectio decret. S. C. C. Tr. Roma 1816.

Zech, bavarus, n. 1692, m. 1772. Compendium iuris can. Ingolstadii 1750.

Zitelli *Zephirinus*, italus. Apparatus iuris eccl. etc. Romae 1888, edit. 2.

INDEX

LIBER I.

DE IURE PUBLICO.

PARS I.

De Ecclesia.

PARS II.

De subiecto potestatis Ecclesiasticae.

LIBER II.

DE IURE PRIVATO.

PARS I.

De persónis.

SECTIO I. — DE CLERICIS SAECULARIBUS.

SUBSECTIO I. — *De Hierarchia Ordinis.*

SUBSECTIO II. — *De Hierarchia iurisdictionis.*

SECTIO II. — DE RELIGIOSIS.

(*De Ordinibus et Congregationibus religiosis*)

PARS II.

De rebus.

SECTIO I. — DE REBUS SPIRITUALIBUS.

SECTIO II. — DE REBUS TEMPORALIBUS.

PARS III.

De iudiciis.

Visto: nulla osta alla stampa.

Torino, 30 novembre 1903.

Teol. L. Piscetta
Rev. Arcivesc.